Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

KW 233 G 7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

JOHANNIS vander WAEYEN,
Eccleſiaſtæ Leovardienſis,
PRO
VERA & GENUINA

REFORMATORUM

SENTENTIA
Præſertim in negotio
De

INTERPRETE SCRIPTURÆ

LIBRI TRES,
Adverſus
LUDOVICUM WOLZOGIUM.
Addita ſparſim contra LAMBERTI VELTHUSII
Errores Digreſſione.
In Præfatione Criminatio, quam habet Wolzog.
Apolog. Part. IV. *Cap.* IV. *retunditur*.



AMSTELODAMI,
Apud HENRICUM & THEODORUM BOOM,
cIↄIↄcLXIX.

Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

PRÆFATIO
ad
LECTOREM.

Candido & Pio Lectori S. P.

POſtquam de ſcripto à Domino Ludovico Wolzogio, Eccleſiæ Walonicæ apud Ultrajectinos Paſtore, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in Academia Profeſſore, adverſus Paradoxum Exercitatorem edendo, rumor ad nos delatus erat, maximum ejus me tenebat deſiderium. Sperabam enim fore, ut communem cauſam rite defenderet, labemque, in Seniore Velthuſio, Eccleſiæ Walonicæ adſperſam, Paſtor omnem abſtergeret. Etenim & in ea me opinione diu fuiſſe fateor, ſcriptum illud Paradoxum Velthuſio deberi, exſtabant etiam, præter communem famam, quæ probabilem hanc conjecturam reddebant, alia ejuſdem viri, non multò melioris notæ, non pauca monumenta: deceptus tamen in eo fui, juxta cum plurimis. *Non modo non Auctorem ſe, ſeu libri, ſeu editionis ejus, ſed ne dicto quidem ullo, factove Adjutorem extitiſſe*, quippe *ſanctè religioſo jurejurando* ipſe *affirmavit*. Quod utinam de multis aliis libellis dicere eidem liceret! Nihil etiam erat hactenus, quod me admodum male, de Wolzogii erga orthodoxiam ſtudio, ſentire juſſerat. Imo meliora de ipſo ſubinde teſtantes diverſæ ſortis homines audiveram. Ut præ-

Wolz. Epiſt. ad Senat: Acad. Franeker.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

judiciis occupatus adverſus ipſius labores non fuerim, verum de eruditione potius, & eloquentia Wolzogiana optima quæque mihi fuerim pollicitus, præſertim cum diſcipulus audiret Viri celeberrimi, qui tot tantaque, orthodoxias ſuæ, in hiſce controverſiis, dedit ſpecimina. Legi itaque, & avidiſſimè legi ſcriptum hocce Wolzogianum, at, quod diſſimulare non poſſum, ſtatim multa, quæ offendiculo bonis fore videbantur, offendebam. Primum erat magnus nimis & fervidus pro Velthuſio ejuſque nomine & honore zelus: qui eò ipſum abegit, ut virum iſtum, publico orthodoxias & innocentiæ Teſtimonio decorare non erubuerit, quin magis ſeriò Velthuſii, quam cunctorum ſimul Reformatorum cauſam egerit, ac defenderit; non ſine acri, ſed à Remonſtrantibus & Libertinis jam uſu contrito, dicterio, in illos, quos novit Velthuſio & omnibus mundanis, jugum Chriſti & diſciplinam non ferentibus, ob falſo impactam *animi ſuperſtitionem & animarum tyrannidem*, exoſos eſſe. At multorum errorum jam dudum Profeſſorem eſſe Velthuſium, ac proinde ejuſdem cum ipſo heterodoxias ſuſpicionem, apud omnes, ſeſe incurſurum, noviſſe debuerat vir alias ſatis perſpicax. Neque enim non noviſſe poterat, aut debebat, quæ tot in locis ſcripſerat vir intimæ cum ipſo conſuetudinis. Ego ſaltem, ſtatim ac iſtam Velthuſii *innocentiam & orthodoxias tenacem animum*, a Wolzogio tantopere prædicatum vidi, de nimio inter ipſos in errore conſenſu, cogitandum eſſe, neceſſe judicavi. Nec me fefellit iſta cogitatio, ſæpiſſime enim utriuſque collationem utiliſſimam deprehendi:

di: dum quæ minus apertè dixerat Wolzogius, ea magis explicatè à Velthuſio dicta reperiebam. Quem agendi modum minus juſtum dicere non poterit Wolzogius, qui tanto orthodoxias Velthuſianæ elogio, probaſſe cenſeri debet & ſua feciſſe, quæ ſcripſerat Velthuſius, quorum ſi ignarus fuerit, maximæ levitatis reus eſt. *Scriptis* demonſtratæ ac publicè notæ heterodoxias crimen, Velthuſio communis fama impegerat, ab ea, apud Clariſſimum Arnoldum, eum purgat Wolzogius, & ſic, *ſcripta* reſpiciens, *veritatis orthodoxæ tenacem* ipſi adſcribit *animum & in omni genere doctrinæ ſingularem eruditionem.* Epiſt. Citat. Res ipſa etiam, quam uterque, libellis adverſus Paradoxum conſcriptis, tractat, idem non patitur ſolum, ſed ſua quadam indole nexuque poſcit & requirit. Ex. gr. *Lumen infuſum* negat Wolzogius, ut ſuo loco notatum eſt, refutat multis Velthuſius. Quid vetat ex Velthuſio, tantopere ipſi laudato, judicare de ſenſu Wolzogii, quem exprimit quidem, verum non ita fuſè pertractat, quam factum à Velthuſio. Lib. II. pag. 63. & ſeq. Idem in negotio de Scripturæ objectiva ſeu abſoluta perſpicuitate à me lectori videre dabitur Lib. II. pag. 110. E re ipſi erat, non ita palam, non ita liberè, ſubinde reſerare & revelare quæ ſentiebat, cum magis impunè à Velthuſio idem perficeretur. Serò quidem nimis editus forſan dici poſſet, de uſu rationis in Theologia, à Velthuſio tractatus, quam ut inde de ejus ſenſu certus eſſe potuerit noſter, ſed, præterquam quod ex intima inter illos conſuetudine jam dudum illa didiciſſe credi poteſt, variis in locis alibi ſimilia dixerat Velthuſius, ut obſcu-

rum eſſe non potuerit, hanc ipſi ſententiam eſſe, quam nunc ab ipſo palam & prolixè propoſitam videmus. Quod ſi autem hanc ſequelam evitare voluiſſet Wolzogius, idem encomium iterata ſui tractatus editione iterum ponere, quin, aliis in locis, auctius circumferre non debuiſſet. Atque ſic cauſam videt lector, quare hoſce duumviros ſubinde conjunxerim & unum ex altero explicuerim. Equidem affectui erga Velthuſium Wolzogiano iſta elogia imputari poſſunt, verum etiam de unius ſententia, aliquatenus ſaltem, ex alterius ſcripta rectè judicari, ſententiarum jubet convenientia. Secundum, quod itidem omnibus, quibus deceſſorum veneratio non planè excidit, non diſplicere non poteſt, vanitas illa eſt, qua omnes ſolus ut ſuperaſſe videri poſſet, ſummorum virorum labores magno probro afficit & vituperio. Non nego profectum dari poſſe, quin in id omni ſtudio incumbendum puto, ut aliorum inventis bene perceptis aliquid addatur, atque ita in veritatis inveſtigatione ſemper eatur ulterius, hoc enim modo prioribus ſuus non eripitur, ſed conſtat honos, qui apprimè curandus eſt ſucceſſoribus. Sic autem corrupta nunc ferunt tempora, ſic mores corruptiſſimi, ut nihil laude habeatur dignum, niſi quod ſua ſe novitate commendet. Hinc contemtos videas ſpretoſque immenſi pretii labores & operas, libroſque fere omnes ſtudioſorum manibus ereptos, ut novum videatur, & à noſtri ſeculi hominibus inventum, quicquid accuratiorem ſapit rerum cognitionem, ſcilicet *minutis ingeniis*, ex noſtri Velthuſii judicio, *ſtudia concredita fuerunt hactenus humaniora*. Quod

ſuper-

ſuperbiæ cacoëthes utinam & noſter ſibi non contraxiſſet! De Interprete Scripturarum controverſiam, juxta cum aliis Theologiæ capitibus, ulterius excutere, liberum erat Wolzogio; ſed argumenta ad unum omnia rejicere, ſpernere phraſes, deceſſoribus recte uſurpatas, non item. Imo ab intoleranda non longe abeſt ſuperbia, quod dicat *NB. nequaquam fuiſſe hactenus enucleatè ſatis expoſitam hanc quæſtionem.* pag. 5. Scriptorem Paradoxum ulterius inquirendi, & meditandi, occaſionem dediſſe, ſi dixiſſet, excuſari fortaſſe poſſet; quanquam meo judicio vix quicquam inſulſum illud caput protruſerit, quod non à Socinianis antea dictum ſit, & à noſtris refutatum abundè: at *hactenus*, non argumenta quædam, non Phraſes aliquas, ſed ipſam *quæſtionem* non *ſatis*, imo *nequaquam ſatis enucleate expoſitam* dicere, næ illud omnes modeſtiæ limites tranſgreditur, & debitam erga deceſſores venerationem excutit. Profectum enim quæri unicè, præ ſe non ferunt iſta verba, quicquid poſtliminio dicat eorum author, ſed contemtum, ſed vituperium eorum, qui ante nos pro veritate feliciſſimè dimicaverunt. Non putem ex formula humana anxiè nimis loquendum eſſe; phraſes tamen & loquendi modos uſu jam receptos temere rejicere, egregiæ ſuperbiæ ſemper à modeſtioribus ingeniis & αὐθαδείας ſignum judicatum eſt. Quod tamen an hodie plus quam par eſt non fiat ab iis, qui aliàs præ reliquis modeſtiam crepant & moderationem, judicent qui partium ſtudio non aguntur. Hæc autem, de quibus hactenus, homines ſpectant, eorumque laudes & merita: verum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

quod tertio loco recenſendum puto, Deum propius concernit, Scripturæ dicta quod vix ullibi reperiantur vel citentur. De Scriptura tractatum ſcribi, Scripturæ locis omnino vacuum, quis ferat? De Arminio, ſic olim Tuiſſus, *cum analyſin noni Capitis ad Romanos inſtitueret, per univerſum tractatum vix duo loca Scripturæ quibus niteretur, obſervante hoc Lareno, ab Arminio producuntur. Nimirum vulgare nimium eſt & in medio poſitum, Scripturas juxta Scripturas exponere: maluit Arminius tanquam Pontifex aliquis* ἀνυπεύθυνος, *non Romanus ſed Batavus, juxta ingenium ſuum & reconditam ejus ſubtilitatem verbi divini interpretationem expedire.* Quod quam bene quadret in Wolzogium, penes lectorem eſto judicium. Neque excuſari aut palliari iſta ſocordia poteſt, eo, quod ad hominem ſic agier oportebat. Paradoxus enim ipſe Scripturæ loca citat tractatque, & ex ipſa Scripturæ conſideratione, facili negotio, de ejus intelligibilitate & non univerſali ambiguitate convinci poterat, ut Scripturam omnem ſeponere non fuerit neceſſe. Si autem ipſe Wolzogius id excipiat, regeram, non bona fide ab ipſo dici poſſe, quod in gratiam Paradoxi, & ad hominem, ut dicimus, ſic egerit, nam pag. 247. ubi Caput Paradoxi XII. examinat, ſic ex ſuo ſenſu, ob uſurpatam ſcripturam Paradoxum reprehendit, *Loca Scripturæ nos putamus*, (non dicit Paradoxo, tu putas, ſed ſuam depromens ſententiam) *nos putamus nec proferri debere*, (atque ita Reformatos carpit, qui loca, quæ explicare hic aggrediebatur Paradoxus, produxerant) *nec prolata refutari*, (voluit dicere explicari) *ab iis, qui non-*

Animadv. in Collat. Armin. cum Jun. p. 130.a.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

dum de Interprete convenerunt: ſicque Paradoxum, loca à noſtris prolata, ſuo modo explicantem reprehendit, ut dubium non ſit, quin Wolzogius, Reformatos ob prolatam, Paradoxum ob explicatam Scripturam, refutans, non ad hominem, ſed ex proprio ſenſu & ſeriò ſtatuerit, non eſſe huc adducendam Scripturam: exertè nimis hoc ſignificat pag. 217. quam ut diſputari de eo poſſit: *Verum,* inquit, non ad hominem, ſed ex ſuo ſenſu loquens, *ubi de Interprete Scripturæ quæſtio agitatur, velle proferre Scripturam, id mihi videtur, ſi quicquam præpoſtere fieri.* Subterfugia igitur quærit palàm, & ſibi contradicit, quoties, Scripturam huc adferendam non eſſe, ad hominem ſolum a ſe dictum eſſe prætendit Wolzogius. Mirum autem non eſt, eum, qui Scripturæ obliviſcitur, non multum de precibus loqui, nam nec frequenter nec libenter Deum in precibus alloquitur, qui non frequenter, non libenter audit Dei alloquia, in verbo prolata; atque hoc quartum erat, quod tractatum iſtum minus gratum reddere videbatur pio lectori & utilem: preces quippe, tantopere in hoc negotio commendandas, vix ullibi memorat. Ut autem preces minus piè excipit, ſic, quod quinto dicendum erat, Spiritum Sanctum, qui ut Spiritus precum, ſic & ſapientiæ & revelationis in omni cognitione eſt, ejuſque operationes, nimis perfunctorie tractat. Neque Spiritus S. auxilium ſatis magnum ac neceſſarium ab ipſo concipi poterat, mentis noſtræ corruptionem non rite conſiderante; quare & nuſquam de captivando intellectu, officio hac in re præſertim obſervando, differentem reperias noſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

trum. Carteſianiſmi è contra laudes ſatis amplas & prolixas inveniri vix poſſe putavit, fallit tamen lectorem, dum Apologiæ ſuæ Parte IV. Pagina 46. Carteſii encomium me unicè in ipſum concitaſſe, fabulatur; non enim ita cæcus ſum aut perverſus, ut, præ nimio adverſus Carteſianiſmum odio, vel ipſam veritatem non feram in homine Carteſiano: ego nec Ariſtotelicam profiteor Philoſophiam, nec Carteſianam, liberam colo & veneror veramque: quæ mens Wolzogio ſi fuiſſet, in immodicas iſtas Carteſianæ Philoſophiæ laudes intempeſtivè non erupiſſet, Theologus in tractatu Theologico; ſed ſciri voluit, utri parti ſe addixerit, ego autem partes nec faciendas puto, nec ſequendas. Ut diſpliceant, qui omne quod Ariſtoteles aut alii Philoſophi ſcriptis reliquerunt vituperant, dum quicquid Carteſio in mentem venit, palliandum, defendendum, quin pro oraculo habendum cenſent. *Nempe ignobili Peripateticorum jugo abdicato, Carteſii aſſumſerunt, illudque haud minus propudioſum ſibi ferendum æquum arbitrati ſunt; atque ita è foſſa, quod ajunt, in foveam inciderunt. Ne ergo cæcorum inſtar naſo nos duci pateremur, aut unius jugo excuſſo alterius implicemur imprudentes, &c.* Sunt verba Schuleri in Præfat. ad Exam. Philoſ. Carteſ. ſpecim. Et revera, quod, non ſine omni ratione, Baco Verulamius alicubi ſcribit de Ariſtotele, idem hodie de Carteſio dici poſſet & Carteſianis. Referam verba ſummi viri. *Omnino*, inquit, *avemus (quatenus ſine veritatis ac ſcientiarum diſpendio fieri poſſit) vel minimum ab antiquorum aut opinionibus aut loquendi more deflectere. Qua in re Ariſtotelis,*

De Augment. Scient. Lib. II. Cap. IV. p. m. 79.

(addi

(addi poſſet Carteſii, Carteſianorumque plurimorum) *confidentiam proinde ſubit mirari; qui impetu quodam percitus contradictionis, bellum univerſæ Antiquitati indicens, non ſolum nova artium vocabula pro libitu cudendi licentiam uſurpavit; ſed etiam priſcam omnem ſapientiam extinguere & delere anniſus eſt. Adeo ut neque nominet uſpiam authores antiquos, neque dogmatum eorum mentionem ullam faciat, niſi quo aut homines perſtringeret, aut placita redargueret.* Legatur Ariſtoteles, legatur Plato, legatur Carteſius, ſarta modo tectaque maneat divina fidei noſtræ veritas. Hanc ſi intactam reliquiſſet & immaculatam, ejus Profeſſores contemtim nimis ſi non excepiſſet, adverſariiſque deridendos modo non propinaſſet, Carteſianizando, ut ita loquar, me obloquutorem ſibi nunquam nactus fuiſſet Wolzogius. Sanctè id, ſi neceſſe foret, teſtari poſſem teſtorque. Vorticibus ſuis gyriſque circumagantur, imo abſorbeantur, quamdiu velint, quos ita lubet Philoſophari, non habebunt me adverſarium; ſed vana confidentia, ex gurgite iſto emergens, Theologiam, receptamque in Eccleſiis doctrinam ſugillare, Reformatorum ſenſa carpere, argumenta rejicere, quiſquis præſumet, illius, eatenus, adverſarium me, pro viribus à Deo gratioſe indultis, poſthac fore polliceor. Atque illud demum eſt, & quidem unicè, quod me unquam de congrediendo cum Wolzogio vel ſomniare fecit. Varii errores, quos deprehendere in Wolzogiano ſcripto putabam, novaturiendi illud & in Theologia luxuriandi cacoëthes me adverſus illud concitarunt. Non homines alii, non partis hujus aut illius favor, necdum enim

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

de denunciatione Medioburgenſi, aut proteſtatione Roterodamenſi, aliorumve, ex Wolzogii ſenſu, ſequioribus ſuper iſto libello judiciis, vel fando quicquam audiveram, cum notas quaſdam chartæ injicere, & periculoſiſſimas phraſes, Venerandæ claſſi noſtræ, ſignificare conſultum judicabam, teſtis mihi conſcientia, teſtes inter homines plures ſunt, omni exceptione majores, imo & plures forſan, ex iis, qui poſtea approbationis in Synodo Walonica conſcii fuerunt & conſortes. Hac de re paucis. Tanti res iſta Claſſi noſtræ momenti viſa eſt; ut, auditis & lectis quibuſdam ex Wolzogiano libello theſibus, Gravamen aliquod ſuper eo mittere ad Synodum ſtatuerit; attamen ne quicquam temerè aut inconſideratè ageretur, quatuor Paſtoribus, (libelli ſeriem penitius examinaturis, ut & gravamen aliquod ſuper eo concepturis, Claſſique ſequenti illud communicaturis) hoc negotium demandavit, qui fideliter officio functi, pauca Claſſi exhibuerunt, quæ unanimiter gravamen Synodo mittendum iterum decrevit, hiſce verbis conceptum. „ An non periculoſum ſit & falſum, „ imo *receptæ doctrinæ* repugnans. 1. Dicere, „ Eccleſiæ Reformatæ Theologos hactenus, „ aut *obſcurè*, aut *non ſatis dilucidè* ſcripſiſſe de „ Interprete Scripturæ? (quoniam ab ea con„troverſia inter nos & Pontificios ac Socinianos „ omnia dependent) prout in quodam libello, cui „ Titulus, Ludovici Wolzogii de Script. Inter„prete &c. pag. 5. 222. 251. factum eſt? 2. Di„cere, eos qui Scripturam audiunt Scripturæ „ Interpretem, *Deum non audire Interpretem* „ pag. 203. Quando de Interprete Script. agi„tur, *non eſſe huc illud adducendum, quiſque ſuo-*

rum

rum verborum optimus Interpres. p. 207. Etiam “
ſequentia: *Verum ubi de Interpr. Script. quæſtio* “
agitatur, velle proferre Scripturam, id mihi vi- “
detur, ſi quicquam præpoſtere fieri p. 217. *Deum* “
eſſe Interpr. Script. non video quo fundamento “
nitatur. pag. 250. 3. An non ſit horrendus aut “
ad minimum durus & imprudens loquendi “
modus, dicere, cum de veracitate Dei, & “
Verbi divini, ſermo eſt: *ſufficit Deum dixiſſe* “
ut ſciamus eum fallere nolle, dico nolle eum falle- “
re, ut ne credatis non poſſe ſi velit. p. 24. Et “
plura ejuſdem generis? Quod omne ſi ſic: ni- “
mirum, ea ſic ſcripta eſſe. 4. An non conduce- “
ret (quoniam primorum Reformatorum labor “
hiſce ſpernitur & Eccleſia noſtra dedecore affi- “
citur; Papiſtis vero gloriandi anſa datur, ac “
ſi in negotio tanti momenti aut hactenus er- “
raſſemus aut ſaltem de eo hactenus inter nos “
conſenſus non detur) hac occaſione urgere “
Art. 50. & 52. Ordinis Eccleſiaſtici de an- “
no 1619. Ac conſequenter, per Correſpon- “
dentes reliquis Correſpondentibus Synodis, “
& per literas, quoniam author iſtius libelli hu- “
jus membrum eſt, Walonicæ, Chriſtianæ Fri- “
ſicæ Synodi offenſam ſignificare, addita debi- “
tæ & maturæ correctionis ſeu remedii (*ordre*) “
petitione. Qua in re neque præter ordinem le- “
gitimum, ac decentem quicquam egit Claſſis, neque imprudenter. Cauſa communis erat, & ad omnes Eccleſias ex æquo ſpectans, proſpicere, ne recepta fidei veritas labaſceret aut quicquam caperet detrimenti. Neque in alterius meſſem falcem miſit ſuam, nondum enim, aut Claſſis, aut Synodus aliqua, quicquam, quod iſtud negotium ſpectabat, hactenus occœperat: & ſi vel aliquid egiſſet, non

minus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

minus tamen & noſtræ, ſuum pro orthodoxia zelum probare, licitum erat & decorum. Eo etiam collimabat, ut illi, quibus id præcipue incumbebat, aliorum cura excitati, ſerio magis & ſedulo rem iſtam agerent. Nec primi fuerunt Friſii qui aliis Claſſibus aut Synodis, etiam Walonicæ, quicquam quod curam aut attentionem requirebat, indicarunt. Si quis Extracta Synodorum pervolvat, ſemper iſtam mutuam communionem conſiliorum & mutuam incitationem obtinuiſſe ſtatim reperiet. Remonſtrantium turbas memorare, ac tum temporis quid factum fuerit narrare, non eſt neceſſe. Cum D. Vedelius in Friſia Theol. Profeſſor, edidiſſet ſuum Conſtantinum, Synodus Zuid-Hollandica de eo egit non ſolùm, ſed ipſi Vedelio ſerio ſcripſit & laborem illum ſibi diſplicere ſignificavit, quin Synodi Friſicæ Deputatis, aliiſque Correſpondentibus Synodis, eadem facienda commendavit. Vid. Act. Syn. Z.Hol. Anno 1642. §. 51. Sic Anno 1651. Synodus Noort-Holl. Harlem. §. 47. & Ultraj. §. 32. judicavit à Paſtoribus quibuſdam Gallo-Belgicis editos quoſdam tractatus, *periculoſas* continere *aliquas poſitiones* & una cum Synodo Zuid-Holl. adverſus iſtum agendi modum remedia adhibenda eſſe ſtatuit. Ut novi quid à Claſſe noſtra actum eſſe dici non poſſit, niſi à rerum Eccleſiaſticarum imperitis. Deinde, quemadmodum ordinem & decorum rite ſervavit, ſic & ſatis circumſpectè egit idem venerandus cœtus; antequam enim ad Synodum gravamen, ut vocant, tranſmiſit, res rite examinata, iterumque in ipſa Claſſe excuſſa eſt, non ſegniter, ut majorem quam fere adhiberi ab

aliis

aliis conſuevit huic negotio laborem impenderit & circumſpectam prudentiam. Unde autem hoc habeat, quod falſo narrat Wolzogius, Claſſem nimirum vix à *cenſura*, eâque *publica* mihi infligenda, ſeſe continuiſſe, idque eam ob cauſam, quod deceptam ſe, in iſto Wolzogiano negotio, per me videret, haud ſcio. Pudeat Wolzogium, vel potius eum, qui ita impudenter ipſi ſupplantavit, iſtius mendacii, ego ſaltem de iſta cenſura ne fando quidem ante editam Apologiæ illius Wolzogianæ quartam partem quicquam audivi. Hoc ſcio, fuiſſe quendam, qui, edito libello, notatos in ſuo gravamine à Claſſe Carteſii errores incruſtare & palliare ſuſtinuit, eaque occaſione aliquid, à Claſſis Leovardianæ ad iſtud negotium juxta cum me Deputatis, D. Johanne Wemero, D. Davide Acronio jam fatis functo, D. Johanne Laſtdrager Collega meo in Claſſis Leovardienſis juſtam defenſionem dictum eſſe; at & hoc ſcio, tantum abeſſe, ut ob gravaminis aut ſcriptionem, aut defenſionem, aut quicquam eo ſpectans, ullus hominum cenſura notatus fuerit, aut ejus periculum vix evaſerit, ut è contra exertè gratias egerit veneranda Claſſis, iis fratribus, qui ad iſtud negotium Deputati, Claſſis cauſam coram Synodo egerant & defenderant. Falſitatis Wolzogium accuſarem, quod me, tecto licet nomine, in iſta ſua Apologia, tanquam convictum deceptorem traduxerit, niſi ab alio forſan ipſi impoſitum eſſe ſuſpicarer; hoc ſciat lector, ea, quæ inibi. pag. 46. &c. narrantur, nihil præter puram putam falſitatem continere, ut ex publicis tabulis docere paratus ſum, & certè, ſi non firmiori tibicine, reliqua, quæ

ma-

magno numero in iſtis Apologiæ quatuor partibus de aliis narrantur, ſuffulta ſint, videat lector quam ſubleſtæ & ſuſpectæ fidei haberi debeant. Sic tamen fama creſcit eundo, & mendacium fide dignum tandem judicatur, modo ſit qui audacter effutire audeat. Nihilominus *fideliſſime* ſe acturum promiſerat p. 45. Wolzogius, teſtimonio nixus ſatis veraci. Paucis iſta, quoniam me concernunt, quæ inibi ſequuntur, excutiam. Quantam fidem mereatur calumniator ille, quiſquis ſit, qui iſta Wolzogio retulit, vel ex ipſo narrationis capite eluceſcit: *il faut ſcavoir que le Synode de Friſe eſt partagé en cinque Claſſes*, id eſt, *ſciendum eſt, Synodum Friſiæ in quinque Claſſes partitam eſſe:* falſa computatio, cum vel pueri norint, ſex eſſe in hac Provincia Claſſes, quarum deputati Friſiæ Synodum conſtituant. Hinc judicet lector, quali teſtimonio hic loci nitatur iſte Apologiſta, hominis certe, qui rerum noſtrarum omnimodam ignorantiam, aut in narrando inconſiderantiam incomparabilem ultro prodens, apud attentum prudentemque hujuſce egregii teſtimonii æſtimatorem, ulteriorem fidem non merebitur. Hic error autem, circumſtantiam quippe reſpiciens, excuſare ſi quis velit, ex ſupina tamen & turpi rerum noſtrarum, quin omnis, in omnibus Synodis Belgii, ordinis, ignorantia ortus apparebit, ſi conferantur ea, quæ pag. 52. nugatur Apologiſta, ubi rem ipſam & eſſentialia hujuſce rei deſcribit. De Gravaminibus loquitur, *ce ne ſont*, inquit, *que de Reflexions & de Conſiderations, de points que l'on propoſe pour en deliberer au Synode, & la Claſſe même qui fait ſes propoſitions, ne les examine pas avec la der-*

derniere exactitude dans ſon aſſemblée, parce qu'elle en doit encore juger dans le Synode même. Non ſunt niſi reflexiones & conſiderationes, eorum, quæ proponuntur, ut de iis conſilium agitetur in Synodo, quin ipſa Claſſis, cujus ſunt iſtæ propoſitiones, eas non examinat in ſuo conſeſſu exactiſſime, quia de iis judicandum ipſi eſt in ipſa Synodo. Nihil quod vero ſimile ſit hæc continent, nec verum eſſe poteſt: fratres enim, qui ad Synodum mittuntur, dum in rebus particularibus agere ipſis licet, prout rectum juſtumque, in ipſo Synodi conſeſſu, viſum fuerit; in ea, quæ ſuper Gravaminibus deliberatio inſtituitur, nihil poſſunt, inſtructi veniunt, imo de verbo ad verbum Claſſis ſuæ, ſuper iis decreta dictare tenentur; ut non in ipſa Synodo, ſed in Claſſibus *exactiſſimè* iſta excuti debeant, quod tamen hic negat, imo cujus contrarium audacter ponit, iſte Apologiſta: Claſſis autem, de cujus Gravamine in Synodo agitur, omni adhibita exactitudine, rem eo contentam, examinaſſe creditur. Hinc ſemper ejus votum, in colligendis votis, juxta cum aliis numeratur, inter ea, quæ *pro* Gravamine concludunt, niſi quod ſubinde Claſſis illius Deputati paulo clarius committentium ſuorum ſenſa, ſuper eo & rationes explicare (quod vocant hypotheſin aperire noſtri) teneantur; adeo debent à Claſſe ſua rite inſtructi ad Synodum mitti Claſſium Deputati, hinc, non per Capita, ſed per Claſſes (ut dicunt) de Gravaminibus ſuffragia numerantur. Claſſis igitur in Synodo proprie non judicat, ſed, quæ in Claſſe decreta ſunt, in Synodo referuntur, & cum reliquarum Claſſium decretis conferuntur, quâ collatione facta, plurium Claſ-

ſium ſuffragia decretum evadunt Synodale. Quin, quod malam fidem redolet, ipſe hoc innuit pag. 48. Ubi, quid Claſſis Franequerana, ſuper iſto Gravamine, in ſuo conventu decreverit, refert, ut ignorare non potuerit, in Claſſibus ea, quæ Gravamina concernunt, agitari, ac de iis ſingulas Claſſes Deputatos ſuos Claſſicali decreto inſtruere. Hic tamen contrarium magis è re ſua eſſe autumavit, ne ſc: decretum in iſto negotio à Claſſe quicquam eſſe, lectori falſò perſuaderet. Exertè vero legibus noſtris contradicit, quod profert p. 53. *Le moindre ſoupçon, pourveû qu'il ait quelque apparence de verité, oblige une Claſſe a porter les affaires à un Synode. Minima ſuſpicio, modo aliquam habeat veriſimilitudinem, Claſſem, rem iſtam ad Synodum mittere, obligat.* Certè Gravamina non niſi de rebus momentoſis, perſpicuis, & certis, ad Synodum tranſmittere legibus cautum eſt, & res ipſa poſtulat; tot enim Gravamina, ſi ex veriſimilibus, & iis quæ minimæ ſuſpicionis cauſa ſunt ea cudere Claſſes tenerentur, Synodis ſuborirentur, ut continua ejus requireretur congregatio. Tam abſurda, tam omni praxi & legibus contraria, hîc narrat Apologiſta; ut deridendum ſeſe cunctis, rerum iſtarum non plane ignaris, propinaverit. Ex ignorantia autem, aut alterius illuſione iſta ſi retulit, miſerrimum in modum proſtitui ſeſe eſt paſſus. Malitia vero & fallendi animus ſi ſubſit, videant ad quos iſta ſpectant, quid talis meritus ſit Apologiſta. Hujus farinæ & paris levitatis plura ſequentur. De nimia Carteſii & quorundam novaturientium ac in Theologiam involantium in Philoſophando licentia, Paſtorem quendam Leovar-

dien-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

lienſem coram Claſſe queſtum eſſe, negari
non poteſt, neque ejus ulla pœnitentia tangi-
ur, ille, quem deſignat Apologiſta. Ut id
ruſtra tam ſalſè illi exprobretur p. 46. quod
ibi dedecori apud bonos non fore certiſſimè
novit. Quatuor ad iſtud negotium à Claſſe
niſſos, verum eſt. Quæ enim narrat pag. 46.
am procul abſunt à vero, quam ſupradicta
computatio, & de Gravaminibus eorumque
natura inſtituta futilis nugatio potiùs, quam
narratio: non enim, quod innuere vult no-
ter, penes quatuor illos erat, pro ſua autho-
itate, *voir ſi l'affaire meritoit qu'on la portát
u Synode.* Hoc eſt, *videre an tanti momenti hoc
negotium eſſet, ut ad Synodum tranſmitti mere-
etur.* Etenim jam de mittendo ſuper iſto ne-
gotio Gravamine decretum erat, neque etiam
aut rei indoles, aut ordo ullus, hoc patitur, ut
de Gravamine mittendo, aut non mittendo
penes paucos arbitrium ſit, quod niſi omnis
ordinis noſtri ignarus fuiſſet narrator, ne ſo-
mniare quidem potuiſſet. Gravamen mitten-
dum jam decretum erat, ſed varia quoniam
examinanda in iſto Gravamine Claſſi vide-
bantur, tum ut prudenter conciperetur, tum
ut aliarum Eccleſiarum ſuper eodem negotio
leges conferrentur; aliquibus id negotii de-
mandare conſultum duxit; idque, non, ut
illi pro lubitu quidvis ſtatuerent, ſed ſua toti
Claſſi communicarent, quod &, antequam
per Claſſes Gravamen iſtud mittebatur, fa-
ctum fuit. Prælegerunt igitur, toti veneran-
do conſeſſui, quatuor jam ſupra nominati fra-
tres, ſua de iſta re cogitata, & quæſtionibus
ac mediis, ad unum omnibus, rite expenſis,
ac examinatis, fratres Gravamen illud ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tranſmittere decreverunt, prout tranſmiſſum reipſa fuit. Tantum abeſt, ut ex iſtorum quatuor arbitrio, iſtius Gravaminis miſſio, aut non miſſio pependerit. *Ils jugerent qu'oui. Illi judicarunt quod ſic*, ſc: mittendum Gravamen eſſe, at in toto conſeſſu jam id decretum erat, quod conſultum judicabant iſti fratres, & iteratis conſiliis, rite omnibus perſpectis, deinceps in toto conſeſſu idem ſtatuit Claſſis Leovardienſis. *Et porterent de pleintes*, inquit, *fort ſanglantes au Synode. Et cruentas valde querelas ad Synodum detulerunt.* Nimirum iſti fratres, ſed fallit Apologiſta & fallitur, non enim iſtorum fratrum, ſed totius Claſſis decretum fuit, quod valde cruentarum querelarum nomine ſeu ſtigmate inſignit Apologiſta. Fratres iſti cruenti, at ô imprudentem Leovardienſem Claſſem cruenta ſibi ſupponi conſilia paſſam! Artificium videri poſſet, quatuor viris imputaſſe crudelitatem, quam Claſſi impingere non audebat, inſignis eam imprudentiæ accuſari quippe ſatis audax facinus judicavit noſter. Quicquid ad hæreſes, ad errores compeſcendôs proponitur, *cruentum* dicere, alterius cujuſdam Apologiſtæ mores refert, cui in aliis an non æque ſimilis ſit hic noſter, in ipſo tractatu videre eſt. Atque hic modeſtiam hominis & moderationem vide lector. Si ex Talionis lege agendum foret, cruenta adverſus fratres conſilia, an ab aliis agitata non fuerint, diſquiri poſſet. Cruorem vero & crudelitatem, in iſto Claſſis noſtræ Gravamine, non videbit, niſi cui cruor præ inſita crudelitate forſan in ſomniis obverſetur. Non cogitavit crudelis, venerandi cœtus, & impudens cenſor, plures Eccleſiarum Claſſes & Synodos, Academia-

rum

rum Curatores, imo vel ipſos Hollandiæ & Weſtfriſiæ Illuſtriſſimos Ordines, hic reos agi. Omnia enim, quæ ad novitates compeſcendas, Synodo media propoſuit, Claſſis Leovardienſis, ab aliis didicerat. *Peſtem in Theologia Philoſophiam Carteſianam* jam dudum dixerat Hardervicena Academia. De ea compeſcenda deliberavit antehac Synodus Z. Hollandiæ, anno MDCLVI. Uti & Synodus Generalis Eccleſiarum Juliacenſium, Montanarum &c. Anno MDCXLIII. 13. Auguſti. Idem præſtitit Synodus Gelrica. Quarum ultima ab Academiæ Curatoribus & prima ab Hollandiæ Ordinibus, ſeria decreta impetrarunt. Sic Gelrici Curatores exertè prohibent. I. *Ne ullus Profeſſor ordinarius aut extraordinarius, directe aut indirecte, in Academia aut privatis collegiis, Carteſii aut ſimilium Sectariorum & adhærentium dogmata doceat aut proponat, niſi forſan ad ea refutanda.* II. *Neve conſequenter aut theſes, aut Corollaria, aut quæſtiones, aut problemata de iis ad diſputandum proferat, cui ſi contrarium quis egerit, à profeſſione ſua removetor.* Plura addiderunt Illuſtriſſimi & Potentiſſimi Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordines. Eat nunc Apologiſta & *cruenta* clamet ſeu ſanguinolenta conſilia, Claſſi Leovardienſi, ex Hollandiæ Ordinum, & Gelricæ Academiæ Curatorum prudentiſſimo decreto, mutuo data. Quid, cum nec eouſque extendatur à Claſſe Leovardienſi quæ proponitur cautela, magis certe cruenti Wolzogio habendi ſunt laudatiſſimi proceres, duriora quippe decernentes, quam à Claſſe propoſita ſunt novaturiendi remedia. Pergit in hunc modum, *& pourtant le Synode ne les jugea gueres bien fondées.* Synodus

dus tamen eas judicabat parum bene fundatas. Non ita in Synodo decretum eſſe, prout à Claſſe noſtra erat propoſitum, & ab alia quadam Claſſe probatum, fateor, nec tamen parum benè fundatas querelas judicabat, quæ tantum effecerunt, ut Deputatis Synodi, adverſus licentiam Philoſophicam, tam apud Illuſtriſſimos D. D. Ordines, quam Nobiliſſimos D. D. Academiæ Curatores, ejuſque Clariſſimos Profeſſores, officia ſua interponerent, in mandatis datum ſit. Ut falſa ſint quæ ſequuntur, *qu'on laiſſa l'affaire dans l'Eſtat où elle avoit été auparavant, rem iſtam in priſtino ſtatu relictam eſſe.* Decretum enim eſt, id, quod jam retuli, & in Extractis noſtris Synodalibus ab iſto tempore novum Titulum reperire licet, de licentia Philoſophandi, hactenus in Friſicæ Synodi actis eorumve repertorio, ut dicunt, non niſi occaſione iſtius Gravaminis, viſum vel auditum. Hoccine eſt negotium in priſtino ſtatu reliquiſſe, hoccine Gravamen noſtræ Claſſis minus bene fundatum judicaſſe eſt? Non certe talis eſt noſtra Claſſis, ut *cruenta* quin *valde cruenta* cudat conſilia, non ea Friſiæ Synodus, quæ crudelitatem deprehendens, eam non ſolum impunitam dimittat, ſed & partim ſuam faciat; in genere enim decrevit id, quod ſolummodo paulo ſpecialius & magis explicitè decretum optarat Claſſis Leovardienſis, eaque in Synodo non ſola. Ejuſdem commatis ſunt, ea, quæ de ſuo libello refert, ſic pergit, *Les Meſſieurs les Examinateurs entreprirent auſſi mon livre, & celuy qui s'étoit attacqué à Deſcartes, en voulant auſſi à moy, parce que je loue Deſcartes dans mon livre, fit voir à ſes Compagnons les paſſages de mon livre qui ſe*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

trouvent couchés dans ce Gravamen. Domini Examinatores etiam præ manibus ſumſerunt meum librum, idemque, qui Carteſium aggreſſus erat, me itidem petens, propterea quod in libro meo laudem Carteſium, oſtendit ſociis ſuis loca libri mei, quæ in iſto Gravamine prolata reperiuntur. Qui vanas Hiſtorias conſcribunt vel fabulas potius, quas *Romans* vocant Galli, non tam veritati quam nitori & narrationis amœnitati intenti ſunt, ab iis hunc narrandi modum didiciſſe videtur noſter Walonicus Apologiſta. Artificium eſt, modo ne impoſtura dici mereatur, quod talem in modum iſta referat, ac ſi, poſt habitam Claſſem, modo dicti quatuor fratres Gravamen illud, quod de libello Wolzogiano ad Synodum miſſum eſt, ſua authoritate reliquis addidiſſent, quo nihil dici poteſt ab omni veritate remotius. Prælecta jam erant, ex ipſo libello, coram Claſſe, loca; & in ipſo conſeſſu, de mittendo, ſuper eo Gravamine non ab iſtis fratribus, ſed ab ipſa Claſſe decretum. Seſſione vero poſt aliquot dies ſubſequente, ipſum Gravamen, prout ſcriptum erat, (eſt autem moris apud nos, ut, qui de mittendo quodam Gravamine quicquam proponit, is ſcripto conſignatum id Claſſi, probandum, rejiciendum, aut mutandum tradat) iterum prælectum, &, rogatis ſuper eo omnium fratrum ſuffragiis, ſic tandem ex decreto ad Synodum miſſum eſt. Minus odioſum fore putavit Apologiſta, ſi, quod à tota Claſſe & quidem iteratò decretum eſt, ex quatuor iſtorum fratrum juſſu factum eſſe, lectori falsò perſuaderet. Omitti autem & alterum artificium non debet: ſcilicet, ut ſic in partes ſuas omnes Carteſianos pertrahe-

ret, omne quod adverſus ipſum Claſſis egit, Carteſianiſmi odio imputandum eſſe lectori perſuaſum voluiſſe. Nimirum qui Carteſium aggreſſus erat, ob laudatum ab ipſo Carteſium, Wolzogium unà voluit adoriri. Laudat fateor immodicè ſatis Carteſium & inconſideratè Apologiſta, quemadmodum Libr. I. pag. 80. notavi; illa autem adulatio tantopere non diſplicebat illi, quem deſignat, ut propterea Reformatum Paſtorem oblitæ Orthodoxias argueret, quanquam juſtæ indignationis cauſam eo ſuppeditaverit, quod omnes Reformatorum Theologos contemtim excipere non fuerit veritus, dum, præ nimio affectu, Carteſium ad cælum uſque laudibus evehit; non tamen ita affectibus agitur Leovardienſis Paſtor, aut naſo, quod dicitur, circumduci ſe patitur Leovardienſis Claſſis, ut propterea neglectæ Orthodoxias cuipiam dicam ſcribat tam ſolenniter. Videbit jam Lector alia fuiſſe & maximi momenti quæ meritò à Claſſe reprehendi potuiſſent, quæque receptæ fidei non parum adverſentur. Nec ſola Claſſis Leovardienſis, ſed Profeſſores & Paſtores alii, magno numero, poſt eam, idem de libello Wolzogiano judicarunt. Malæ fidei me ſuſpectum lubens redderet in ſequentibus, quaſi, *ſans examiner la ſuitte de ſon diſcours, ny les raiſons qu'il pouvoit alléguer j'aurois propoſé ſes paſſages toutes cruës à la Claſſe, abſque ſequentium examine, aut rationum, quas allegare potuiſſet, plane crudas propoſitiones Claſſi propoſuerim.* An autem ſequentia & rationes Wolzogianas rite ponderaverim, nec ne, hic tractatus docere poterit: deinde hic ipſe coram Claſſe lecta fuiſſe, ac proinde non ex arbitrio

iſtorum quatuor Deputatorum poſita, in Gravamine, iſta libelli ſui loca aſſerit, cujus contrarium verbis paulo ſuperioribus innuere videbatur. At quomodo adverſus omnis generis libros erroneos agier in Claſſibus ſolet & Synodis? extracta quædam nonne proponuntur & examinantur? ſic Remonſtrantes, ſic Vorſtius, adverſus ipſam Synodum Dordracenam, ejuſque, de ipſorum erroribus, ſententiam, excipiebant, ex abruptis ſententiis & ſeorſim conſideratis periodis judicaſſe Patres. Diſtinguendæ ſunt ſingulares ſententiæ, quæ completum ſenſum referunt, ab iis, quæ, ut rite intelligantur, antecedentium requirunt & ſubſequentium conſiderationem. Poſterioris naturæ, ſi fuiſſent illæ Wolzogianæ periodi, haberet de quo conqueri jure poſſet, at prioris generis ſi ſint, tergiverſatur ſtrenuè, quæritque ſubterfugia, quoties abruptas clamat ſententias & periodos. An autem tales non ſint, quas habet Leovardienſis Claſſis, dubitari non poteſt, ab eo, qui mente captus non fuerit. Sic ſonant verba pag. 5. quæ primo reſpicit Claſſis. *Eſt quidem iſta cum per ſe nobilis, ſi qua alia, de Scripturarum Interprete, quæſtio, tum vel imprimis neceſſaria. Nam & omnem habet in ſeſe religionem Chriſtianam, quæ nulla ſit profecto, ſi non continenti alveo ab ipſo fonte Scripturarum diducta fluat;* & NB. *nequaquam ſatis fuit enucleatè hactenus expoſita.* Quæ hic antecedentia, quæ conſequentia requirantur, ut intelligam, eum hoc velle, *nequaquam ſatis fuiſſe enucleate hactenus expoſitam hanc quæſtionem*, ego equidem non video. Idem in reliquis primo intuitu patebit. Ut mera tergiverſatio ſit, quæ hic de abruptis cla-

mat ſententiis Apologiſta. Ego, ut errores bene detegantur, ſingularium ſententiarum, ſparſim latens venenum ſubinde prodentium, collationem, apprime utilem ſemper exiſtimavi, imo neceſſariam. Non facile uno in loco deprehendes, quos ſub veritatis umbra errantes deliteſcere velle, juſta ſuſpicio eſt. Exemplis id probare odioſum magis foret, quam difficile. Quæ deinceps pag. 47. ſequuntur non mihi, ſed Apologiſtæ nocent, de Claſſe dixerat, *où il n'y avoit qu'une ou deux perſonnes*, inquit, *qui me connuſſent, & perſonne qui eut lû mon livre. Cui vix unus aut alter intererat qui me cognoſceret*; ex livore igitur aut alio malevolo affectu nihil actum eſſe, eo magis credendum eſt, ignoti quidem nulla cupido, nullus amor, ſed nec odium eſt. Cauſa igitur ac res ipſa, non perſona, libellus ipſe, non Wolzogius Claſſi, quod & æquum erat, obverſabatur. Quis etiam ſapiens adverſus ignotum ſe incitari unquam paſſus eſt, niſi ex errore quopiam innoteſcens, juſtam quid mali de ſe ſuſpicandi anſam dederit, is, qui antea plane erat ignotus? Neminem vero librum ſuum tum temporis adhucdum legiſſe, probare non poterit. Nollet tamen (certiſſime ſcio) Wolzogius, librum pro non probato haberi, qui à multis, à quibus nondum lectus erat, forſan probatus eſt. Quid ni ex ungue Leonem noſcas? Malum ex quolibet defectu, ajunt Scholaſtici, bonum ex integra cauſa. Error, ex una pagina ſubinde detegi poteſt, cum de libri Orthodoxia, ut quis certus evadat, totum perlegi neceſſe ſit, præſertim ſi de ea lis mota fuerit. *Neantmoins*, ſic pergit, *Nihilominus*, ac ſi rationes dediſſet, contrarium

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

quæ Claſſi ſuadere debuiſſent, *ce Miniſtre de Leeuwarde ayant lû les paſſages de mon livre, locis ex libro meo à Miniſtro Leovardienſi lectis*; ſed legerant & alii fratres, quibus in Claſſe libellus ipſe tradebatur, legerunt & poſtea quatuor Deputati, iterumque ea loca in Claſſe lecta ſunt poſteà: quid porro? *La Claſſe crût d'abord, Claſſis credidit primo intuitu*; quam falſum hoc ſit, jam ſæpius notatum eſt: primo quidem intuitu ſatis momentoſum negotium illud, de quo in Synodo judicaretur, viſum eſt; ſed ad Synodum idem non tulit Claſſis niſi re ritè & abunde expenſâ, prout aliquoties jam inculcatum eſt: &, licet primo intuitu tales propoſitiones falſas judicaſſet receptæque doctrinæ adverſas veneranda Claſſis, nullius tamen præcipitantiæ rea foret, tantæ enim illæ, multorum judicio, & tam manifeſtæ ſunt perſpicuitatis, ut ulterius examen non requirant, præſertim cum abſolutæ & plenum per ſe ſenſum referentes antecedentium & conſequentium examine non egeant. At quid credidit Claſſis? *qu'ils meritoyent qu'on en parlat dans le Synode, dignas eſſe,* nimirum propoſitiones illas, *quarum mentio fieret in Synodo, qu'on en parlat*, ac ſi nihil ultra intendiſſet Claſſis, quam de iis ut loquerentur fratres in Synodo; ſequentia vero majorem habent emphaſin, *& conſentit qu'l'on en fit un grief, & Gravamen ſuper iis fieri paſſa eſt*; vox illa *conſentir*, ſi pro Etymologia ſua Latina ſumatur, rem prout geſta eſt exprimit, revera enim de omnium conſenſu Gravamen illud mittere decretum eſt, hoc autem vult Wolzogius, quaſi rogatam, id permiſiſſe Claſſem, ut fieret & paſſam eſſe, ſed fallitur, cordi enim erat fra-
tri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tribus res tanti momenti. Deinde de excellente Theologiæ Doctore Franequerano loquitur & dicit, *illum plus quam uno in loco plura in libri Wolzogiani ut & authoris defenſionem poſuiſſe.* Wolzogius ipſi eſt Nob. D. ejus libellus, eximium ſcriptum, hinc ad minimum excellens homo vocandus iſte Doctor erat Wolzogio. At excuſabit me Wolzogius, ſi tantum uno in loco aliquid de ipſo, eoque non plura, quæ liber continet, defenſa, ſed authorem ſolummodo laudibus elatum reperiſſe me dixerim: niſi ita laudibus delectetur, ut eæ, uno in loco poſitæ, pro rerum, pluribus in locis, poſita defenſione, ipſi ſumantur. Claſſes varias, non lectum ſibi Wolzogii librum teſtatas eſſe, quamvis concederem, nil tamen hoc faceret pro Wolzogio, cum meram, iſta declaratio, negationem contineat. Franequerani autem fratres teſtati ſunt, *que la Claſſe de Franequer avoit trouvé que toutes choſes étoyent alleguées à faux, Claſſem Franequeranam omnia falſò allegata eſſe deprehendiſſe.* Non debebant tam publicè exponi quæ in cœtu fratrum geſta putantur, alia addi poſſent, ſed conſeſſus veneratio me tenet. Ad ea quæ Apologiſta propalavit reſpondebo paucis. Fratres Franequerani ſi hoc dixerint, procul dubio non ex Claſſis decreto, ſed ſuo ſenſu locuti fuerunt. Claſſis enim, ipſo narrante Wolzogio, non dixerat omnia falſo allegata eſſe, ſe deprehendiſſe, ſed ſolummodo *ea ſibi non conſtitiſſe*, novimus autem quid phraſis illa velit, *hoc mihi non conſtat*, pro pura enim negativa ſumi poteſt; Franequerani igitur fratres, niſi infidelitatis eos accuſare velit Wolzogius, quod abſit, ſi quid præterea dixerint, ex ſuo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

eoque privato ſenſu id dixiſſe cenſendi ſunt. Aderant autem auditores inter, quatuor iſti Deputati fratres, de quibus ſupra. Hi, impetrata venia, per maximûm inter ipſos natu, virum Reverendum, teſtati ſunt, ſe paratos eſſe, adverſus quemlibet, coram facie Synodi, optimam, in ponendis Gravaminibus, etiam citando Wolzogii libello, Claſſis Leovardienſis fidem ad oculum demonſtrare, & ab omni cujuſcunque exceptione ſtatim liberare, addita de læſo Claſſis Leovardienſis, per iſtum Doctoris tractatum, honore querela & obteſtatione: neque erant qui deinceps collationis cum iſtis Deputatis periculum ſubire geſtiebant, libellus interim iſtius Doctoris, jam inter Synodi membra diſtributus & à quovis ſigillatim acceptus, communi conſenſu & decreto authori ſuo reddebatur. Lubens iſta prætermiſiſſem, niſi juſta, contrarium juberet, honoris & nominis tam impudenter ab Apologiſta læſi, defenſio. Hæc poſtea Claſſi Leovardienſi à quatuor iſtis Fratribus relata ſunt, quæ non ſolum verbis, ſed & ſcripto eum in finem decreto ac concepto iis exertè, pro bene vindicato Claſſis honore, gratias habuit. Quæ ſi negare quiſpiam audeat, ex Claſſis noſtræ tabulis abundè docebo. Tandem, ſi, prout tu fabulatus es, res tota geſta fuerit, qua in re quæſo tam acrem, imo publicam Cenſuram, quo ſcelere tantam indignationem meritus erat Paſtor ille Leovardienſis? Claſſis enim *conſentit* ſeulement *qu'on en fit un Gravamen, qu'on en parlat dans le Synode. Loqui de iſtis propoſitionibus & Gravamen ſuper iis fieri paſſa eſt,* aut *conſentit* conſenſit: abſque ulla de iis facta determinatio-

ne,

ne, ſic enim nugaris pag. 52. *Ce* Gravamina ſc: *ne ſont, que de Reflexions & de conſiderations, des points que l'on propoſe pour en deliberer au Synode: ea non ſunt niſi reflexiones & conſiderationes & Synodo & Claſſi ipſi ad deliberandum ſolum propoſitæ*, imo quæ *minima ſuſpicionis anſa aut veriſimilitudo, le moindre ſoupçon & quelque apparence de verité* ad Synodum deferre jubet. Qua in re Claſſis ita ab iſto Paſtore decepta fuit, ut publica cenſura dignus ab ea haberi potuerit? An quod librum tuum ejuſque propoſitiones aliquas expendendas Claſſi dederit? an vero quod Gravamen ſuper iis Claſſis fieri decreverit? at *Reflexionem, at conſiderationem* ſolum aliquam, *Gravamen tale* ex tua fictione continet. Minima ſuſpicionis anſa, rem aliquam, ad Synodum ferri jubet, an ne minimam igitur, ſequioris cogitationis, anſam, vel aliqua veriſimilitudine, præbent, ea, quæ ex te citata, Gravamen continet? Nihil ſi decretum à Claſſe fuit, in Synodo demum ſi decernendum erat, imo exactum examen in Claſſe inſtitui ſi non erat neceſſe, minima ſuſpicionis cauſa ſi ad Synodum Claſſem propellat, ut tu fabulatus es: quid à Claſſe peccatum? qua in re Claſſis decepta? quin ita decepta, ut deceptionis author Cenſuram eamque publicam meritus fuerit, imo vix evitaverit? deliria videntur hominis, præ nimia vanitate & gloriæ cupiditate, ſui vix compotis. Optaſſem ſanè Wolzogi, ut melius tibi & Apologiæ tuæ quadripartitæ, ejuſque veriſimilitudini, conſuluiſſes: nec me ad partes ita imprudenter vocaſſes; antea verbis non pauca, vel in ipſo Walonicæ Synodi Naerdenæ conſeſſu, occaſio-

caſione iſtius Gravaminis in me contumelioſè ſatis effutieras, quæ generoſè, ut in aerem ſparſa, & indignatione juſta minus digna, ſpreviſſem: nunc autem, poſtquam publicè me laceſſere; quid laceſſere? ut deprehenſum deceptorem & cenſuram publicam vix effugientem, falſiſſimè traducere voluiſti, non potui vaniſſimas & futiliſſimas fabulationes & jactationes tuas non diſſipare. Condonet tibi Deus, quæ adverſus fratrem ita imprudenter, ſic molliſſimè loquar, perpetraſti. Poſthac, ſi lubet, dicamus de erroribus, de quibus diſputare decet Theologiæ operam dantes, &c. Eccleſiæ Paſtores: rixis & mutuis dicteriis ne lædamus alii alios. Eat nunc Apologiſta nimium credulus, & me deceptionis coram Claſſe convictum fingat: quinimo, quoniam ſic lubet, Venerandæ Claſſi noſtræ putidiſſima in faciem mendacia conjiciat, *la Claſſe de Leeuwarde a formé le Gravamen, mais elle s'en eſt retractée au Synode. Claſſis Leov. Gravamen fecit, ſed in Synodo ipſa retractavit.* Quot verba, tot errores; prior hujus, ut brevis ſit, periodi pars, auctorem ſuum refutat, altera veritati è diametro adverſa eſt. Priori parte Gravamen à Claſſe formatum dicitur, quod antea pag. 46. Lin. 14. & ſeqq. *Les Meſſieurs Examinateurs, Domini Examinatores* feciſſe dicebantur, qui id crude & nude ſolummodo Claſſi exhibuerant pag. 47. Lin. 1. Parte autem poſteriore, certe doleo tam turpiter decepti Apologiſtæ Walonici vices, ſplendidiſſimum refertur mendacium, quod, affirmanti licet injungi poſſet probatio, ex ſuperabundanti inde patet, quod fratres, qui Gravaminis in Synodo defenſionem ſuſceperant, gra-

tias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tias proinde à Claſſe retulerint, tam longe à revocato Gravamine abeſt: novum argumentum, ex hujus anni Gravamine, de non inſertis, in acta Synodalia, Gravaminibus, proferre poſſem, ni unicum ita demonſtrativum hactenus ſufficere putarem. En igitur, Wolzogi, quantum abfuerit, à cenſura eaque publica, quam vix evitaverit Miniſter ille Leovardienſis. Gratias cum ſuis Condeputatis retulit, pro eo, quo tu vix evitatam publicam cenſuram falſiſſimè dixiſti, tam leviter, tam audacter hominis famam arrodere te pudeat Wolzogi: jam diſce poſthac cautius mercari. Et iſta tu lingua exotica, Gallica, effutiiſti. Si ex uno Apologiæ tuæ quadripartitæ argumento omnia noſſe detur, non multum certè redhoſtimenti Apologiſtæ ſuo debebit Walonica Synodus. Atque hic tandem moderatum ac candidum agendi modum Antagoniſtis ſuis præfigere audebit, qui vel minimam fratrem calumniandi occaſionem prætermittere, imo falſiſſimos rumores non ſpargere, quin non ſcribere, non potuit. Quid iſta ad rhumbum, poſtquam ſuperior in ſua Synodo evaſerat, quid attinebat me perſonali litigio immiſcuiſſe; quid ni in melius omnia interpretabatur & ex amore veritatis, quæ egeram, orta eſſe credebat? nondum enim de denunciatione Medioburgenſi, quin de ulla hujus libri improbatione, vel fando quicquam audiveram, non ſtudio partium, non Carteſianiſmi odio hæc egeram. Teſtari poſſum, me, ſimulac aliquas ſolum paginas libelli perlegiſſem, antequam laudes iſtas Carteſii in eo advertiſſem, plura reperiſſe, quæ non improbare, imo, quorum quædam, non deteſtari,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

non poteram. Putabam ſeculi typhum, verba aſſentatoria, aliorum contemtum in eo me ſtatim in ipſo limine offendiſſe, pios dicterio punctos, hominem è contra erroribus ſcatentem pro innocentiſſimo habitum, videbam; & fateor ex tali veſtibulo non multum de ſacrario ſperabam, verebar ne plus adhuc eſſet in receſſu, quam in fronte. Dixeram de eo quod vitium putabam, nihil de perſona; quid igitur perſonæ parcere Wolzogio prohibuit? Satis de iſtis. Si velit poſthac candide agere, & rem cum re, cauſam cum cauſa placide conferre, bene: nihil mihi gratius accidere poterit. Nunquam quod ſciam vidi Wolzogium, mali quid ipſi nunquam precatus ſum, dona in ipſum à Deo collata colere, honores aut munera ipſi ſeu data ſeu connata venerari, & ſuſpicere nunquam detrectabo. Neque ex talibus ortum duco, qui & ob mores cives dici non mereantur; aut tam peregrinus in Chriſti ſchola ſum, ut fratrem amare & honore proſequi non didicerim.

Referebam ea quæ mihi in iſto Wolzogii Tractatu offendiculo ſtatim fuiſſe teſtari poſſum, Carteſianiſmi immodicas laudes ultimo recenſebam, quoniam vero Wolzogio lectori ſuo imponere libuit, & quantum pote perſuadere, me Carteſianiſmi odio unicè, ſaltem præcipuè, adverſus ipſum inſtigatum eſſe, removendam iſtam accuſationem cenſui, eaque occaſione, & Claſſem noſtram, & nomen meum, ab atroce calumnia vindicavi. Illi enim gravaminis imprudenter poſiti, ac deinceps retractati, mihi vero, vix evitatæ cenſuræ publicæ & manifeſtæ deceptionis cri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

men, impactum voluit. Plura nunc adderem, at nimium excreſcit præfationis moles: cui finem faciam, poſtquam, quæ ſcripti hujus occaſione objici poſſent, breviter removero.

Multa ſanè ſunt, quæ obicem ponere huic operi debuiſſe videri queant, meque à ſcribendo eo abſterruiſſe. Quæ quidem ſex numero nunc occurrunt. Quorum *primum* & fere præcipuum puto, ſatis nunc ſuperque diſputatum & litigatum in Eccleſia eſſe, de praxi tandem aliquando & morum cum veritate conjunctione cogitandum: & revera, ſi mores, ſi pietatis praxin, vitamque Euangelio dignam reſpiciamus, tantum eorum defectum undequaque deprehendemus, ut cum Propheta plorabundi exclamare debeamus: *Da ſalutem Jehova, nam deſiit beneficus: nam defecerunt veraces ex filiis hominum. Vanum loquuntur alter cum altero; labio blanditiarum artifice.* Quoſcunque hominum ordines examines, ſemper ingeminare cogetur mens pietatis avida: *Periit benignus è terra hac, & rectus in hominibus his nullus eſt.* Adeo ut negari nequeat, quin omni conamine in id ſit incumbendum, ut pietas, ut morum reformatio, ut vitæ ſanctitas, rite proponantur & urgeantur à Paſtoribus, exprimantur & demonſtrentur ab omnibus qui nomen Chriſti invocant, quorum eſt deſiſtere ab injuſtitia. At veritas Doctrinæ cum veræ praxeos ſit baſis, & quaſi fundamentum, non minori cum ſedulitate, unius quam alterius curam gerere decet, cui propoſitum eſt Domino ſuo fidelem eſſe. Solet etiam pietatis veræ praxis, non parum, ex doctrinæ corruptelis, detrimenti capere.

Eos autem nunc dies vivimus quibus ab omni parte quibuſlibet novitatibus puritas receptæ confeſſionis infeſtatur, idque eò magis impunè, quo contranitentium numerus minor apparet, & ſub Prophetandi quadam libertate, vel pacis ac moderationis prætextu, tutiores deliteſcunt qui novaturiunt: dum nemo derelictæ fidei reum haberi ſe patitur, imo unuſquiſque de invariata fide Reformata magnificè gloriatur. Longo tempore ipſi Remonſtrantes, de conſenſu cum Eccleſia, ejuſque formulis, proteſtabantur, ut ſæpiſſimè ejus generis proteſtationibus non ſit fidendum. Obviam eundum iis, qui vel tantillum à recto tramite diſcedunt. In lucem protrahendi, de quorum palliatis tectiſque erroribus juſta ſuſpicio eſt. De Wolzogii vero in fide immaculata puritate, quod certi eſſe non poſſimus, duo ſunt quæ faciant, primum eſt, quod in iſto libello ſuo, Reformatorum phraſes, argumenta, imo ſententiam & cauſam reliquerit, alterum, quod hominem, erroribus Pelagianis refertiſſimum, Orthodoxum prædicaverit & adhuc tam factis, quam verbis, prædicet. Neque ab hiſce multum diverſa fuerunt ea argumenta, quibus Eccleſiæ noſtræ Doctores Socinianiſmi virus à Remonſtrantibus foveri, ſuoque tempore expectandum eſſe, ut crederent, inducti fuerunt. Quo jure autem ſuperiora dixerim, aut qua injuria, ex ipſo Tractatu meo haberi poterit.

Veruntamen non levi de cauſa fratres in fratres ſtylum vertere fas eſt, quæ *ratio ſecunda* eſt, ex iis, quas aliis objicere poſſe non nego. Ejuſdem, fateor, profeſſionis homines

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſumus, ejuſdem Eccleſiæ Paſtores, nihil enim vetat eaſdem vocare quarum tam arcta eſt unio & communio. Semper lites illas, inter Orthodoxos, de rebus Problematicis fui deteſtatus, fraternæ tolerantiæ & moderationi in hiſce multum deberi judicans; pacis ſumus & charitatis filii, quâ ſalvâ, in multis diſſentire poſſunt, vel ipſi fratres: at tales hodie gliſcunt & ſerpunt novitates, quas inter Problematicas quæſtiones ſi quis recenſeat, næ ille Orthodoxiæ parum fidus æſtimator eſt. Quas & proinde non in lucem protrahere, non detegere & refutare non poſſunt, quibus cordi veritas. At tales vereor ne ſint varii quos Velthuſius, quoſque Wolzogius protulit, hoc ipſo, de quo dicimus, tractatu. Sunt quædam, quæ meliorem patiuntur interpretationem, quam aliis nulla ratione inferri poſſe videbam. Et diffiteri non poſſum eſſe quædam, quæ tantam ſubinde ſuſpicionem mihi non injeciſſent, niſi ex collatione eorundem conceptuum cum Velthuſianis, in eadem materia, in pejus ſumenda eſſe videbantur. Quicquid ſit, neminem in excuſando eo, quod ex tenerrimo veritatis amore, ſeu quadam paulò ſuſpicioſiore zelotypia, ortum ducit, magis difficilem eſſe oportet, quam in eorum, quæ errorem præ ſe ferre primo obtutu videntur, palliatione ſeſe demonſtrat facilem. Hoc opuſculum, quod inter multiplices, laborioſiſſimi miniſterii, occupationes natum eſt, non ex alio fonte, quam ex tenerrimo, erga receptam in Eccleſia Reformata doctrinam, affectu, promanaſſe ſancte teſtor. Quare & in melius id ſumere bonorum erit, malos ne tanti quidem facio. Putavi & adhuc puto,
multa

multa continere Wolzogianum iſtud ſcriptum, quæ excitandæ ſanctæ iſti Zelotypiæ, apta nata ſint. Quæ ſi rotunda, candidaque ac aperta veritatis profeſſione, corrigere unquam voluerit, habebit me ingenuum Orthodoxias ſuæ præconem & amatorem. Nunc vero ipſius ſenſa penitius inveſtigare licuit, neque cordati id vitio mihi vertere poterunt, poſtquam utriuſque cauſam, abſque ullo præjudicio, contulerint. At quæſo te, benigne & candide Lector, cum omnes Reformatos non dilucidæ tractationis, non accuratæ dictionis, non ſolidæ argumentationis, palam & ex profeſſo Wolzogius accuſaverit; An mihi in ipſius ſenſa, & ex quo fonte iſta promanent, inquirere nefas erit? Quis majorem mihi erga Wolzogium, quam ipſi erga omnes Reformatorum Theologos venerationem, abſque injuria, injungat? Loquentur Calvinus, Withakerus, Zanchius, Chamierus, Polanus, Walæus & ille dicet, *quæ illis opponuntur, me non tangunt magnopere, illorum argumenta non ſtringunt, ipſis non ſatis exploratè percepta quæſtio eſt*, & quæ ſunt alia contumeliæ ſigna; mihi vero cauſas iſtius diſſenſus perſcrutanti, crimen propterea impingetur? A litibus cum iſtis heroibus ſeſe ſi temperaſſet Wolzogius, Reformatorum phraſes, argumenta, ſententiam, intacta ſi reliquiſſet, nunquam me adverſarium nactus fuiſſet. Diſſenſum in minutioribus ferre non poſſe, rixoſi, imo malevoli & ſuperbi ingenii ſignum eſt, at eundem in majoribus negligere, deſidioſi & tempori litantis. Sive frater ſit, ſive non ſit, errores, periculum creare Ec-

cleſiæ qui poſſent, ferendi non ſunt: at tales mihi ab initio videbantur Velthuſio-Wolzogiani. Sicque ad ſcribendum me induci non ab homine ullo, ſed ipſa cauſa paſſus ſum. Et per me non ſtabit, quin cauſa cum cauſa unicè conferatur: quo facto evitari poſſunt mala, quæ, aliàs fratrum diſputationes comitantia, eas noxias reddunt & Eccleſiæ probroſas. Imo in Eccleſiæ communione viventes, quoties ad errores deflectunt, majus multo malum Eccleſiis imminet, iidem quam ſi à peregrinis & exteris docerentur. Scimus quam exiguis ab initiis ortum trahat turpiſſimus ille Remonſtrantium Pelagianiſmus. Neque ullibi veritas minus tuto in dubium revocari poteſt, quam qua viribus humanis oppoſita eſt, & gratiam Dei, & Spiritus Sancti illuminationem, aliaſque operationes profitetur. Pelagianiſmus altas, in homine corrupto, ex ipſa natura, radices fixit, ideoque minori opera hoſce errores adoptat & recipit. Et hujus generis ſunt quæ in Wolzogio, ejuſque Seniore Velthuſio, ferenda non erant & intacta omittenda. Ut levi de cauſa adverſus fratrem non inſurrexerim. Sanari etiam hoc vulnus commodiſſimè poterit, veritatem receptam aperte modo & candide profiteatur Wolzogius, quod ſi agere detrectet, ſciat ſe incruſtando & palliando, apud eos, qui partium non aguntur ſtudiis, nihil effecturum; quin magis ſuſpectam Orthodoxiam ſuam redditurum impoſterum.

Adverſariis, Paradoxo imprimis, hoc ſcripto, gloriandi anſam datum iri, quod *tertiò* obtendi poſſet, non video; quin potius eam pænitus præſcindendam autumo. Wolzogius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

in rei ſumma Reformatorum veſtigia relinquens, Socinianis aliiſque veritatis hoſtibus de communi cauſâ aliquando triumphandi fortaſſe ſpem fecit, quam alio modo vix decollandam putavi, quam ſi, ex Reformatorum ſcriptis, Wolzogii ſingularitas, & invariata Eccleſiæ demonſtraretur Profeſſio. Habet procul dubio Paradoxus de quo ſibi lætabundus gratuletur, Wolzogium ſi reſpiciat, quippe tam apertè in plurimis, quin in ipſa rei ſumma Reformatos deſerentem, eorumque cauſam tradentem: quam viam huic homini totique Socinianorum impiæ gregi præcludi neceſſe fuit, quod abſque Wolzogii refutatione ſatis commodè fieri potuiſſe non videtur. Wolzogium culpet, non me, non alios, cui cauſa communis cordi eſt, non partis alicujus ſtudium vel hominis favor. Me propius ad Socinianos aut Paradoxum accedere, aut accedentes Reformatorum Theologos fingere, ne quidem ipſe dixerit Paradoxus, aut ullus Socinianorum, quin nec ipſe, credo, Wolzogius. Habebunt, fateor, diſſenſum nobis exprobrandi cauſam, dicti homines; at quis non potius diſſenſus mutui quam relictæ cauſæ ferat opprobrium? ſic non omnes, ſed hunc vel illum, iſtius criminis reos eſſe videant, dum reliqui ſe Patrum ſuorum ſemitas calcare, imo ne latum quidem unguem à priſtina deflexiſſe fide publicè teſtantur. Receptas phraſes, eaſque accuratas, argumenta ſolida, veriſſimam ſententiam, tenaciter ſi retinuiſſet ac defendiſſet Wolzogius: quid haberent de diſſenſu quod objicerent adverſarii. Sententiam, cum ea, quæ Socinianorum eſt, revera eandem tenet Para-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

radoxus, parum interpolatam; ut aliis plane armis adverſus eum pugnare coactus non fuerit noſter. Et, quid ſi aliis uti voluiſſet, quorſum ſolita, quæ & ſolida, rejiciuntur, vituperantur? Quorſum ipſam cauſam reliquit & in rei ſumma aliter ſentire fecit Reformatos, quam revera ſenſerunt & ſentiunt hactenus? pedetentim in omnibus veritas amitteretur, ſi, ad evitandum diſſenſus opprobrium, dum alii paulatim ab ea deflectunt, ſilendum ſit iis, qui novitates faſtidiunt, & rerum mutatam faciem, ut ut à longinquo, non tamen obſcure, proſpiciunt. Et ſolent Eccleſiæ pacem, paciſque nomen prætexere, qui pacis vinculum, veritatem, paulatim ſubinde diſſolvunt. Novaturientibus nihil, diſſeminandis ſuis conceptibus, magis inſervit; quam, ſub pacis prætextu, tutos ab omni, qua detegantur, pugna degere. Non hodie inventum illud ſtratagema eſt, quod omni ſeculo, illi hominum generi, in uſu fuit.

Hæc autem, quæ hactenus dicta ſunt, majorem fidem mererentur, niſi probatus Wolzogii libellus eſſet etiam ab iis, de quorum Orthodoxia dubitare nefas videatur. Atque hoc *quarto loco* removendum eſt. Ego ſaltem improbatum à viris Orthodoxis vidi & audivi, antequam de ullius approbatione, vel tantillum mihi conſtaret. Scimus etiam per Antiperiſtaſin quædam ſubinde, quin ex affectu fieri; ſapienti dictum ſatis eſt, non enim quenquam laceſſere eſt animus, quare nec explicatius hic quicquam profero. Poſſunt quoque relativè quædam & negativè *non Heterodoxa* dici, quæ in omnibus tamen eo ipſo, *Orthodoxa* non declarantur. Sic memini à quibuſdam

dam explicatas Wolzogiani libelli approbationes eſſe. Et quid ſi ab hoc aut illo, ob peculiares quaſdam rationes, quicquam non probatum aliàs, jam probaretur, an hoc in præjudicium cederet omnibus? Poſſunt quædam, ob rationes minus cognitas, in melius ſubinde fuiſſe interpretata. Caſum refert Auguſtinus ad Bonifac. lib. 2. Cap. quem hic, ſed abſque ullius præjudicio, lubet adſcribere. Sic Auguſtinus apud Latium in Hiſt. de Pelag. *Quinetiam Romanos Clericos arguunt, ſcribentes, eos juſſionis terrore perculſos, non erubuiſſe prævaricationis crimen admittere, ut contra priorem ſententiam ſuam, qua geſtis Catholico dogmati adfuerant, poſtea pronunciarent malam eſſe hominum naturam; Imo vero Pelagiani falſa ſpe putaverant novum & execrabile Dogma Pelagianum vel Cæleſtianum perſuaderi quorundam Romanorum Catholicis mentibus poſſe, quando illa ingenia, quamvis nefando errore perverſa, non tamen contemptibilia, cum ſtudioſe corrigenda potius, quam facile damnanda viderentur, aliquanto lenius, quam ſeverior poſtulabat Eccleſiæ diſciplina, tractata ſunt. Tot enim ac tantis inter Apoſtolicam ſedem & Aphros Epiſcopos currentibus & recurrentibus ſcriptis Eccleſiaſticis, etiam geſtis de hac cauſa apud illam ſedem Cæleſtio præſente & reſpondente confectis, quænam tandem Epiſtola venerandæ memoriæ Papæ Zoſimi? quæ interlocutio reperitur? ubi præceperit credi oportere ſine ullo vitio peccati Originalis hominem naſci? nuſquam prorſus hoc dixit, nuſquam omnino conſcripſit. Sed cum hoc Cæleſtius in libello ſuo poſuiſſet, inter illa duntaxat, de quibus ſeſe adhuc dubitare & inſtrui velle confeſſus eſt, in homine acerrimi* *inge-*

Lat. de Pelag. Lib. I. Cap VII.

ingenii, qui profectò ſi corrigeretur, plurimis
» *profuiſſet,* voluntas emendationis, non fal-
» ſitas dogmatis approbata eſt; Et propterea
» libellus ejus Catholicus dictus eſt; *ſi quæ forte aliter ſapit quam veritas exigit, non ea certiſſimè definire, ſed detecta ac demonſtrata re-*
» *ſpuere.* Poſtquam vero literis ex Aphricanis
» partibus Romam miſſis, de Cæleſtii callidi-
» tate certiores facti erant Romani: *non ſufficere hominibus tardioribus & ſollicitioribus, quod ſe generaliter Innocentii Epiſcopi literis conſentire fatebatur, ſed apertè eum debere Anathematizare, quæ in ſuo libello prava poſuerat, ne ſi id non feciſſet, multi parum intelligentes, magis in libello ejus illa fidei venena à Sede Apoſtolica crederent approbata, propterea quod ab illa dictum erat, eum libellum eſſe Catholicum, quam emendata, propter illud quod ſe Papæ Innocentii literis conſentire ipſe reſponderat. Sed ſi, quod abſit, ita fuiſſet de Cæleſtio vel Pelagio in Romana Eccleſia judicatum, ut illa eorum dogmata, quæ in ipſis & cum ipſis Papa Innocentius damnaverat, approbanda & tenenda pronunciarentur, ex hoc eſſet potius prævaricationis nota Romanis inurenda.* Hactenus Auguſtinus. Fieri etiam poteſt, ut alia quædam, circa idem opus, hic aut ille conſideret, quæ alii, aut negligunt, aut conſideranda non putant. Ego poſtquam Velthuiſium, Wolzogio tam ſeriò tam ſæpe laudatum, quin Orthodoxum declaratum, animadverti, duumvirum iſtorum ſententias, mutuæ elucidationis cauſa, in eodem ſaltem doctrinæ capite, conferendas & comparandas ſibi invicem eſſe, æquum & utile judicavi: quo facto non parum aucta eſt mihi, de Wolzogiana minus

pura

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

pura doctrina, ſuſpicio. Quicquid ſit, à Claſſe noſtra variæ ejuſdem libelli theſes rejectæ ſunt, quas propterea à me itidem rejici nihil vetat; præſertim cum Claſſis noſtræ judicium, juxta cum aliis aliorum improbationibus, omnes ſubſecutas approbationes antevertat & fortaſſis avertere potuiſſet. Liceat mihi, & Claſſis noſtræ, & tot ſummorum virorum judiciis impune ſubſcribere. Primus qui mihi quicquam de hoc libello ſcripſit, vir doctus idem ſentire cum Paradoxo Wolzogium judicat, dicitque libellum *eſſe ſcandaloſum ac prophanum & de Spiritu S. loqui ac ſi in medio Barbarorum aut Scytharum educatus eſſet ejus author.* Nec tamen tum temporis de Medioburgenſi Cenſura quicquam ille juxta mecum audiverat.

Nec illud, quod *quinto* loco fortaſſis quis excipiet, majoris momenti eſt, correcta nimirum eſſe & rite explicata in Orthodoxa fide, morari quæ lectorem in priori libello potuiſſent: ſaltem illo poſteriore libro intacto, priorem refutandum non fuiſſe. Scio equidem paratam ipſi Authori cunctiſque ipſius fautoribus hanc exceptionem fore. At nullius plane momenti eam eſſe deprehendet, quiſquis bene conſideraverit, tam ante editam fidem iſtam Orthodoxam, quin ante viſam Cenſuram Medioburgenſem, pleraque nunc refutata, à me notata fuiſſe, & hunc fere in ordinem digeſta. Poſtquam vero, de Orthodoxa fide edenda, ſubaudiveram, opuſculum meum, longo ſatis tempore, donec eam perlegiſſem, valere juſſi. Et revera mihi ab omni adverſus Wolzogium ſcriptione temperare, ſi correctos errores & integram ſalvamque

Ortho-

Orthodoxiam viderem, decretum erat, quod præter conſcientiam meam, teſtari poſſent aliquot amici, quin teſtati ſunt conjunctiſſimi Collegæ in Epiſtola ad quoſdam Zelandos fratres, ſuper libello Wolzogiano, data. Ut in prima hujus opuſculi delineatione Fidem Orthodoxam reſpicere non potuerim. Quominus autem, eâ editâ, non mutaverim propoſitum, hæc erat ratio, tum quod & longe, imo plerumque alia me reſpexiſſe, quam Fratres Medioburgenſes, diverſaque plane methodo rem totam complexum eſſe, deprehendebam, adeo ut novum laborem mea poſcere judicarem, quod ex collatione patebit ad oculum; tum etiam quod in iis quæ cum Medioburgenſibus eadem ſubinde dixi, difficultatem omnem non tulerit, ſed auctiorem, novo ſcripto, reddiderit, & ſuſpicionem magis firmatam ac fundatam. Aliquoties contraria docentem, ſubinde ſubterfugientem, nunc Arminianorum exceptionibus ſua expedientem offendi: quarum unam, ante viſam Orthodoxam fidem, mihi ipſi objectam, Libr. II. p. 124. & 126. & poſtea in Orthodoxa fide repertam, ſpeciminis gratia Lectori exhibeo. Urgetur Wolzogius, quod in Interpretatione & intellectione Scripturæ non ſatis multa tribuat Spiritui, & ecce idem planè, quod Remonſtrantibus hiſce regerere eſt ſolitum, habet noſter in Orthodoxa fide ſæpius, pag. 7. 116. 166. 266. ſic pag. 280. §. 11. *Hic rurſus de fide & converſione agit. Non eſt ea res Labadie, inter te & me controverſioſa.* & III. *Hic rurſus agit de converſione & gratia regenerante, &c.* Ac ſi ad eliciendum actum ſpiritualis intellectionis circa ſacram Scripturam

minus

minus gratiæ requireretur, quam ad actum aliquem fidei aut converſionis: vel homo minus ad ſpiritualem intelligentiam, quam ad fidem & converſionem ineptus eſſet. Ex Epiſcopio ducta eſt, & Pelagianiſmi ſemina prodit iſta evaſio, prout in ipſo Tractatu demonſtravi. At ne viderer me aliorum rixis immiſcere, hanc Orthodoxam fidem facili alias negotio detegendam & refutandam, Authori ſuo relinquere conſultum duxi. Nolui ſtudio partium vel tantillum dare, vel dediſſe videri. Cenſuram vero Eccleſiæ Medioburgenſis ſi defendiſſem, aut Orthodoxam Fidem ſi refutaſſem, ſcio quantas de curata per me re aliena & me non ſpectante, querelas excitaturus fuiſſem. Maxima cum cura & zelo, ne quis ſeſe iis immiſceat, proſpectum eſt. Hoc in genere dico, plurima non correcta ſed magis corrupta prodiiſſe. In plurimis mea non tangi, tam ſunt à meis, quæ Medioburgenſes notarunt, diverſa. Hinc ad Stricturas meas ad Libr. Wolz. I. p. 8, 9. 12. 15, 16, 17. 19, 20. ut & ad omnes quas in Libr. II. ſcripſi, plane nihil in Orthodoxa fide reperiet Lector. Ad reliquas quæ dixit, ea ſcopo Medioburgenſium adaptanda erant, qui cum à meo in iiſdem ſæpiſſimè ſit diverſus; hinc, ut ut ad eadem, quæ ego perſtrinxi, verba, vindicanda quicquam dixerit, non tamen à me motas difficultates ſolvit, quin nec ſolvere potuit nondum motas. In ſumma quoque rei, idem adhuc ſuſtinet rationis arbitrium & uſum normalem, qui error alia plane methodo à me refutatus, hactenus Wolzogio corrigendus reſtat. Attamen ſi audiverim id velle noſtrum, aut ejus fautores, facili negotio

tectos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tectos & palliatos in Orthodoxa fide illa errores, in lucem protraham: modo me in alieno ulcere tunc unguem eſſe non prætexant alii.

Medioburgenſium Cenſura eadem notat quæ ego Strict. VI. ad L. I. Putavi verbis inibi ex Wolzogio citatis, ni melius explicentur ac limitentur, Pelagianiſmi ſterni fundamenta. Sic ad iſta Orthodoxa Fides. *In eo ſum totus, ut p. II. probem, Scripturas non eſſe inanes characteres; ſed ita comparatas eſſe, ut ex natura ſua aliquem ſenſum exhibeant legentibus. Id ea argumentatione conficio, quod, cum*
„ nullum habere alium uſum ex natura ſua poſ-
„ ſint, quam ut divinæ voluntatis placita ſigni-
„ ficent mortalibus, *fruſtra dederit iis ſuas Scripturas Deus, ſi nequaquam intelligi poſſint, quia, quæ intelligi non poſſunt, ſignificare nil poſſunt.* Optimè hactenus; hoc enim rerum ſtatu, ad erudiendum lapſum peccatorem cum data ſit, neceſſe eſt, ut, poſitis in ſubjecto, quæ ad ejus aptitudinem requiruntur, *hominem ſapientem reddere poſſit ad ſalutem.* Ea jam iſto ſimili
„ illuſtrat. Quemadmodum igitur, quando nos
„ facultate judicandi præditos experimur, eam-
„ que nos, ut & cætera omnia, accepiſſe à
„ Deo probavimus, facile nobis perſuademus
„ ejus facultatis beneficio verum nos percipere
„ poſſe, quia fruſtra illam indulſerit Deus, ſi
„ non poſſit id præſtare, ad quod efficiendum
„ ejus eſt unicè apta natura. Atque iſta argumentandi ſerie rite obſervatâ, omnem Pelagianiſmi ſuſpicionem aboleri poſſe putat noſter. Sed I. Notandum eſt, Wolzogium certo fine & ſcopo hunc conceptum profudiſſe; tum quod præcedens probatio hoc ſimile planè non requirebat; tum, quod me-

dium

dium probandi magis dubium adhibetur, quam erat theſis probanda; denique quod theſis probanda in confeſſo ſit, apud omnes, qui Scripturæ divinitatem admittunt, &, (ſi dubia forſan fuerit) argumento priori ſufficienter evincatur. 2. Non ſtringit iſta ratio, quæ à facultate intelligendi ſumitur, hoc enim rerum ſtatu, longe diverſa eſt Scripturæ, & intellectus corrupti, ratio. Scriptura corrupto homini in reſtitutionis *morale medium* data, debuit in ſuo genere inſervire huic uſui poſſe, niſi & fruſtra & illuſoriè egiſſe Deum cogitemus: idem de intelligendi facultate, in ſtatu integro, & primitus à Deo indita, dici poteſt, fruſtra eam datam eſſe, ni verum percipere potuerit; at poſt lapſum, hominis facultatibus ita corruptis, ut ſpiritualiter mortuus, & quod ad iſtam facultatem cæcus, evaſerit, ita argumentum inſtituere Pelagianorum eſt, quin Pelagianiſmi ſternit fundamenta, ut loco citato demonſtravi, & ad oculum, vel ex terminis, patet. Fruſtra eam non indulſerit Deus, apta modo, *primitus* indita, fuerit; licet vel ineptiſſima, *nunc*, poſt inobedientiam hominis & tantam contumaciam, exiſtat. Hoc ipſa Catechetica fundamenta docere poterunt Wolzogium. Ut mirum ſit eum iſta palliare & defendere auſum. Duo excipit 1. *Nulla*, ſic p. 2. *mihi mentio liberi arbitrii.* Quæ exceptio 1. Remonſtrantium & 2. futilis eſt. Utrumque oſtendi Libr. II. pag. 124, & 126. Addit 2. *Nulla rerum cæleſtium mentio, ad quarum perceptionem ſalutarem tranſferunt vires arbitrii Pelagiani.* At 1. Hic non in objecti ſed ſubjecti verſamur conſideratione, ut vanum ſit & impertinens, hic *objecta* diſtinguere *quæ*

per-

percipimus, dum de *facultate* diſputamus *quæ percipit*. Deducta enim ex Dei natura aut indole, ut ita loquar, qua nihil fruſtra agit, facultatis, ad percipiendum verum, aptitudine, ſero nimis deinceps objecta ſic diſtinguas. Eadem certe aptitudo, in ipſa facultate, circa ſpiritualia ni exiſtat, hoc ſaltem reſpectu, fruſtra indulta dici poſſet. Verum etiam qua tale, intellectui qua tali, ut proprium ſuum objectum, obverſatur; neque ea conſequentia minus ſequitur in naturalibus, quam ſpiritualibus. Poſſet utique per peccatum ad omne verum percipiendum, (ſicuti ad omnem cujuſcunque veri perceptionem ſpiritualem nunc inepta eſt) inepta facta fuiſſe percipiendi facultas. Quod cum non factum deprehendimus, non tam ex neceſſitate quadam, quam ex liberrima ac indulgentiſſima longanimitate divina id factum eſſe credimus. 2. Aſtutè hoc ingerit noſter, *Pelagianos ad cæleſtium perceptionem ſalutarem tranſferre vires liberi arbitrii, ſe vero facultatem naturalem proponere extra omnem uſum rerum divinarum*. 1. In genere locutus erat & de ſubjecto, jam determinate & de objecto loquitur & ejus diverſitate, ſed fruſtra, non enim de objecto ſed ſubjecto ejuſque interna habitudine ſermo erat. 2. *Cæleſtia* excipit, ſed & aliarum, quin naturalium, datur ſpiritualis & ſalutaris perceptio, ex ipſius ſubjecti diſpoſitione, indeque fluente perceptionis modo, ſic denominanda: an igitur ad illam valet facultas naturalis? ſin minus; ſequitur *objecti* diſtinctionem non tollere difficultatem, quæ circa *ſubjectum* (ejuſque, pro ſua diſpoſitione varia, varium agendi modum) movetur. Patet igitur

tur non tolli ſed incruſtari id quo Pelagianiſmi ſemina ſparſerat Wolzogius.

Ad ea quæ perſtrinxi Strictura VII. pag. 13. hæc addo. Inventam veritatem & detectam adhibitæ diligentiæ præmium eſſe & mercedem. Quam tamen abſolutè non debeat Deus, diligentiam licet adhiberemus omnem. Poſtquam vero ſe promiſſis obſtrinxit, certo diligentiam illam hanc mercedem poſt ſe trahere. Abſolutè tamen inanitatem adſcribi Deo, ob denegatam diligentiæ iſtam mercedem, non poſſe: niſi Papiſmi & meritorum de condigno ut Pelagianiſmi ponat fundamenta. Nihil autem quod mea infringat hic author.

Strictura decima pro Dei veracitate, adverſus omnem fallendi potentiam, egi pag. 19. Hic errorem incruſtat, non corrigit. In Deo, huc redit maleſana Philoſophatio, vult illas perfectiones eſſe, quibus, ſi eas vellet, aut poſſet velle, fallaciæ ſtruendæ impendere, fallere profecto poſſet: atque ſic dicendum eſſe, Deum poſſe fallere ſi velit. Sed 1. Eſt nugaciſſima principii petitio, hoc enim quæritur an quicquam ſit in Deo, quapropter fallere poſſe dicendus ſit. 2. Neque ſic evitat argumentorum vires: iis enim hoc conficitur, non dicendum Deum *poſſe*, quod nullo modo *velle poteſt*, quod ſanctitati repugnat, imo quod contradictionem implicat. 3. Quin idem, abſit blaſphemia, de quibuſcunque peccatis & ſceleribus dici poſſet: quidni, cum Deus ingenio *& ſapientia, & infinitis aliis divinis facultatibus* polleat, falſum cultum, idololatriam ingenioſiſſimam excogitare, veritatem omnem inſolubilibus argutiis perplexam reddere, imo omnia, quæ ſubtile requirunt pag. 38.

& ſagax ingenium, ſcelera patrare poſſe, dici queat? Verum quidem eſt, quod habet Orthod. fid. pag. 39. *poſſe aliquid Deum quod nolit*: ſed nihil ad rem facit, non enim quæritur an aliquid poſſit, quod non velit effectum dare; ſed an dici debeat, Deum exequi quicquam & efficere poſſe, quod voluntati, quin omni perfectioni abſolute repugnet, ut velle poſſit. Hoc probet Wolzogius. Non ita pollet ingenio, ut vano ſubterfugio imponat lectori noſter Orthodoxus. 4. Rogo an hoc deceat reverentiam, quam ſummo debemus Numini. Siccine homuncioni vaniſſimæ ratiocinationi indulgere licet? Seraphini tecta facie Triſagion ſemper ingeminent & ſumma cum veneratione adorent ſanctiſſimam Majeſtatem: vermis interim tam periculoſa, tam abſona attribuet veraci Iſraëlis Deo. Eant nunc Carteſiani, modeſtum illud Philoſophorum genus, & Scholaſticis Theologis ſuam, ob involuta Dei abdita ſacraria, temeritatem exprobrent & audaciam: ego, vel hoc uno ſpecimine, cunctis palmam præripuiſſe contendo Wolzogium. Tricas, nodos, problemata abſurda, vana, prophana, ab aliis poſthac exſpectet lector, præterquam à Scholaſticis.

Strictura XI. Majorem erga Scripturam reverentiam poſſit. Ad quæ nihil Orthodoxus quam ſibi de Scriptura ſermonem iſtic loci nondum fuiſſe. Orth. Fid. pag. 42. Quæ evaſio concedit quod peto, ſed petitioni meæ & reprehenſioni occaſionem datam negat. Hoc lector judicet, ego ſic de de ſacroſancto Dei verbo, ſeu oratione quam Deus ſuam fecit, loquentes, vix ferre poſſum. Verbi contemptus ſeculo noſtro familiaris eſt, ab eo

lon-

longiſſimè abeſſe velim, quos Deus verbi præcones fecit & pro virili vindices.

Limitationem Strict. XIII. requiſitam addidit; Orth. Fid. p. 62. ſed ſero ſatis. Theologum, præſertim cum Antitrinitario agentem, tantamque accurationem & perſpicuitatem jactantem, iſtius Myſterii, ſemper decebat eſſe memorem. Nam licet de Trinitate exertè non loquatur, effatum tamen, illi ni limitetur contrarium, ſine ulla limitatione ponere, accuratum ſcriptorem non refert & dilucidum.

Ad Stricturam XIV. vix quicquam quod mea concernat, niſi quod p. 67. Orthodoxæ Fidei, abſurdiſſimè de *Ratione* philoſophetur. Sic diſſerit. *Secunda perfectio*, nimirum *qua apta ſit ad percipiendum verum, ſi abſit, deſtruitur ratio, quæ intelligi non poteſt, ſi verum ſit ab ejus perquiſitione alienum. Et hoc ſenſu verum eſt rationem, cum ſit beneficium Dei, non eſſe imperfectam, ita ut verum attingere non poſſit.* Attende quæſo te Lector. Imperfectionem rationis omnem ponit in eo, *quod potuerit fieri, ut longe plura cognoſceret ratio*: ſic pag. 66. Ut vel minimam rationis corruptionem ſubjectivam non agnoſcat: nam quod imperfecta ſit ratio, id in eo ſitum eſt; quod tam multa non cognoſcat, quam fieri potuiſſet ut cognoſceret. Egregiam vero imperfectionis humanæ deſcriptionem! Et angeli ſic imperfecti ſunt, & animæ beatæ, etenim fieri potuiſſet ut plura cognoſcerent. Sive pauca ſive multa, ſive naturalia ſive ſupernaturalia cognoſcat homo naturalis, cæcus tamen erit & ſpiritualiter mortuus; & naturaliter, & ex naturali principio agens, nihil bene agit, aut

rite & ſpiritualiter percipere aptus eſt. Nec deſtruïtur ratio, quamvis ad verum percipiendum omnino diceretur inepta, non magis, quam ſi oculos habere negarem, illum, qui ſuos videndi facultate privaſſet. Oculos habet, ſed effoſſos & proinde videre non valentes. Sic ratio, ſeu facultas illa animæ, ſeu mens ipſa, quod ad ſubſtantiam remanet, omnem licet intelligendi amiſiſſe diceretur aptitudinem. Deus eam creavit, fateor, & ad ſuas operationes aptam; nunc autem ab animæ conſideratione, ut purum opus divini artificis conceptæ, argumentari, ad præſentem ejus ſtatum, certe aut puerile eſt, aut craſſiſſimè Pelagianum. Non equidem ab omni perceptione veri mentem humanam corruptam arceo, ſed nec eam aliunde, quam ex quotidiana experientia & divinæ longanimitatis, ac beneficentiæ conſideratione, ex ſacra denique Scriptura deduco. Ex eo autem quod à Deo ſit ratio, ſi quis ejus aptitudinem ullam hoc rerum ſtatu probare velit, is aut corruptionis noſtræ inſcius, aut graduum & extenſionis, ut ita loquar, illius probe conſcius eſſe debet: ſed contrahenda vela ſunt. Unicum hoc prætermitti non debet; identicè planè, ac conſequenter pueriliter explicari ac defendi à Wolzogio tritum illud: *quicquid clare & diſtinctè percipio id verum eſt*: ſic enim pag. 68. *Tunc aliquis clare diſtincteque rem percipit, quando eam, ſicuti in ſe eſt, percipit.* Hoc eſt, verè percipit, cum verè percipit. Quæſtio eſt, unde ſciam me rem prout in ſe eſt, ſeu verè, percipere; reſpondetur, quando rem clare & diſtinctè percipis. At quando rem clarè & diſtinctè percipio? cum

eam

eam percipis prout in ſe eſt. En circulum, en enunciationem omnino identicam!

De Immediatis Sp. Sancti operationibus & infuſo lumine, in ſpeciem meliora ſubinde dixit. Omnibus autem paulo penitius expenſis, antiquum obtinet. Aliud lumen præter verbum & quod in verbo eſt reipſa agnoſcit nullum. Poſtquam multa de mentis illuminatione ſparſim diſſeruerat, ſic tandem abdita cordis prodit pag. 285. *Quid vocat internum lumen? Nil poteſt utique aliud eſſe, quam mens expurgata, quæ deterſo ſqualore peccati, jam inſtar ſpeculi ſplendet, & recipit in ſe quam diſtinctiſſimè rerum objectarum imagines.* Imo longe aliud quid eſt Wolzogi, quod lumen infuſum vocant noſtri, ut vel ex hoc Tractatu meo doceri poteris: eſt habitualiter menti inhærens quoddam principium ſpirituale, per Spiritum Sanctum infuſum ac ingenitum, ibique conſervatum & ad ſingulos perceptionis ſpiritualis actus, de novo, per Spiritus Sancti immediatum (hoc eſt, non verbo contrarium aut ejus moralem & inſtrumentalem uſum removentem, ſed in ipſam uſque mentem, vi hyperphyſica pertendentem & penetrantem) contactum excitandum ac movendum, quo homo regenitus ſic ad ſpiritualiter percipiendum aptus eſt. Non eſt mens ſola expurgata, ſed eſt propriè & formaliter ac præciſè loquendo gratia illa Spiritus Sancti mentem purgans & infuſum illud habituale principium ob cujus ineſſe mens dicitur illuminata. Specioſa verba ſunt, quæ *deterſum peccati ſqualorem dicunt*: at quomodo deterſus ille peccati ſqualor eſt, quali Sancti Sp. operatione? Non certe, ex tuo ſenſu, novi alicujus & inhæren-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tis luminis infuſione, cujus natura à verbo longè alia ſit & omnino diverſa. Verbum quippe morale illuminationis medium eſt, ſed hyperphyſicum eſt, reale eſt, inhærens eſt, illud principium, quod *lumen iufuſum* vocant Theologi. Quam longe autem ab eo tu abſis, ſequentia verba nimis manifeſtè docent. *Id lumen à Spiritu Sancto venire ſtatuo.* Sic & omnes facile loquentur Pelagiani. Id lumen quo ſqualor peccati detergatur & mens humana expurgetur. At quale illud, non infuſum & à verbo differens, quin & ab actuali cognitione, ut potentia naturalis, ab habitu, diverſum? nihil minus. Rotundè te explicas his verbis: *Externè adveniens lumen*, *NB. nil poteſt ſignificare* (non, nil ſignificat, ſed nil poteſt ſignificare) *niſi rationes & argumenta quæ menti objiciuntur.* Aut igitur lumen infuſum negas, aut externè illud non advenit, aut nil niſi rationes & argumenta, hoc eſt medium aliquod morale, ſignificat. Sic pag. 286. *argumenta è Scriptura petita, ſunt illud lumen, quo mentes perfundantur.* Quando igitur de mente illuſtrata loquitur: non intelligit eam quæ iufuſo illo ſupernaturali donata principio, ſed quæ; ſqualoribus peccati deterſis, veritates Scripturarias quæ omne & unicum ipſi lumen ſint ſuſcipere jam apta eſt.

In reliquis quæ rationis, in Interpretando, uſum ſpectant, eandem, hactenus profitetur ſententiam: niſi quod ſæpius defæcatam & expurgatam rationem à ſe intelligi ingerat & inculcet Lectori. Quæ cautela ne quidem ab ipſis Socinianis negligitur, & vix ullius momenti eſt. Rationem enim defæcatam & expurgatam in ſubjecto non agnoſcimus, niſi

ubi

ubi Spiritus Chriſti dedit oculos ad videndum, & ſpirituale illud infudit intelligendi principium, mentem ipſam elevans & regenerans: quo facto mens illa in divinis, non ex ullius rationis aut Philoſophiæ, ſed ex verbi divini in religionis negotio unicè pendebit dictamine. Philoſophiam vero, ſit licet maxime, ſit quantum per naturam licet exculta, non tamen unquam *normam* ac *judicem*, multo minus *principium* colet. Quod ſæpe ratio eſt, ſeu Philoſophia, ex ſenſu Wolzogii. Dubium omne Lectori eximit Orthod. Fide pag. 231. Dixerat priori libro pag. 76. *Ducem eſſe & miniſtram rationem, idque duobus modis: primo ut omnia, ſic ſonant verba, nihil enim prorſus excipio; ut omnia, cujuſcunque generis ſint, revocet ad examen, videatque &c.* Vis autem ſcire quid hoc ſit rationem ducem eſſe? *Dux dicitur*, ſic Orthod. Fid. Loc. cit. *quando principii vicem obtinet.* Viden' *principii* igitur vices obtinet, ad cujus examen omnia, nihilo excepto, Wolzogius revocanda docet. Egregiam vero Orthodoxiam! Ego Socinianam antehac vocaſſem & prophanam theſin. Atque iſta ad quintum caput eorum, quæ animus objicienda præſagiebat, dixiſſe hac vice ſatis erit.

Sextò objici poſſet, ſeria ſæpiuſque iterata de Orthodoxia ſua Wolzogii proteſtatio. At de ejus veritate jam diſputamus, ego putem proteſtationem facto contrariam, de jure nullam eſſe. Et Velthuſius idem proteſtatur, qui tamen tam longe à conſenſu cum Reformatis abeſt, ut de eo diſputari impoſterum non ſit neceſſe: inſpiciat Lector Libr. I. à pag. 106. hujus Tractatus uſque ad finem. Idem vel ipſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Vorſtius, Arminius aliique olim præ ſe ferebant, ſed fruſtra. Etenim non quæritur, an Orthodoxum ſe verbis declaret; non an poſtliminio, quæ ſcripſit, ore forſan alibi, ut ſanum ſenſum, poſt addita non pauca gloſſemata, admittere videantur, explicuerit; ſed an hoc ipſo Tractatu, quem culpo, ita ſcripſerit, ut ex eo nulla de ipſius heterodoxia juſta ſuſpicio ſuboriatur, ſed è contra ejus Orthodoxia in materia quæ ipſi præ manibus eſt, Lectori conſtet pateatque.

Varia variorum judicia non moror. Quis mihi hoc opuſculo ſcopus ſit, quis finis, Deus novit, novit conſcientia, credent quin videbunt omnes pii. Veritatis amor & novitatis in doctrina odium me tenent, quod profiteor. Perplacent mihi verba Nobiliſſimi Viri & Eccleſiarum plurimarum Reformatoris celeberrimi, Johannis Laſci, ſeu à Laſco, quæ exſtant in Epiſt. Illuſtr. & Clarorum virorum à Gabbema Friſiæ noſtræ Hiſtoriographo editis pag. 497. Sic inibi ad Melanchthonem Vir ſummus. *Abſit hoc à me, mi Philippe, ut ego novi alicujus dogmatis author eſſe velim, quod præſertim nunc perturbet quoquomodo Eccleſiarum concordiam, aut NB. ſola humana Philoſophia nitatur. Agnoſco meam ipſe cæcitatem quod ad rationis judicium attinet. Et ineffabile illud DEI Opt. MAX. erga humanum genus beneficium quo ſe nobis Verbi ſui Divini teſtimonio patefecit, tanti pro mea infirmitate apud me facio, ut illi SOLI MODIS OMNIBUS & mihi & aliis inſiſtendum putem.* Hinc veſtigia virorum premo pro virili, quorum nomen pretioſum, memoria in benedictione, & doctrina, Dei verbo quippe conſona, piis

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

& verè Reformatis recepta eſt. Perſpicuitatem non jacto præ aliis. Styli nitorem non promitto. *Jam*, ſunt verba Hoornbeekii Apparat. ad Controv. Socin. pag. 88. *quia diſputatio inſtituitur, ſcholaſtica methodo rem agi convenit, & miſſa multa rethoricatione, rebus potiùs intendere quam verbis. Quod adeo à me factum forte alicubi, ut non careat vitio, ſic rem fere ſolam contemplari. Memor ſemper quod diſputandum non perorandum erat. Hinc penitius nonnunquam in Philoſophica me immiſi, eo lubentius quo adverſarii rationibus fere unicè malunt agere, noſque, quaſi ratiocinia inique fugeremus, vulgo traducunt: at male. Non detrectamus cum Adverſariis noſtris agere utrovis modo, ſive ex Scripturis ubi nuda fides requiritur; ſive poſt illas, ex Philoſophia, ubi rationibus pugnatur.* Sic olim vir magnus Martinus Bucerus in Præfat. ad Explanat. in Pſalmos. *Scio quoſdam deſideraturos orationem puriorem & elegantiorem: jacturoſque illud Ciceronis, Mandare quenquam literis ſuas cogitationes, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit: nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & literis. His nihil habeo quod reſpondeam, quam non datum ſcribere elegantiùs, & in hoc opere majorem dictioni curam adhibere non licuiſſe: tum iis ſolum ſcripſiſſe quos ſperavi condonata ſermonis mei ruſticitate, & ſcabritie, ſatis habituros me in Pſalmis* (in hiſce controverſiis) *lucem aliquam, etiam qualicunque orationis lucerna, invexiſſe. Non excuſo meam Barbariem ſancta infantia Apoſtolorum, quæ, ut vis Spiritus præclarius eluceret, quavis accurata eloquentia potior fuit. Sed dum qui eloquentia valent, aliis (proh dolor)*

lor) in rebus facundiam ſuam exercere malunt: præſtare putavi, hæc vel Barbarè tractari ab aliquibus, quam prorſus à nemine. Jaculum illud Ciceronianum exiſtimo, ne in me hæreat, ſic poſſe repelli: nihil minus in animo mihi fuiſſe, quam meas hic cogitationes literis mandare: ſed propoſitum, mentem, quoad liceret, Pſalmorum (Reformatorum Theologorum juxta Scripturas in hiſce controverſiis præcipue ſententiam) *aperire. Hanc ſcio tanti eſſe piis, ut illatinæ dictionis faſtidium, modo illam intueri clarius poſſint, haut gravatim ſint toleraturi.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ADDENDUM.

BEnigne Lector. Edita eſt Belgicè Epiſtola, à me juxta cum conjunctiſſimis Collegis D. Johanne Laſtdrager & D. Hermanno Witzio, Latinè ad Fratres quoſdam Zeelandos ſcripta. Certiorem te voluerunt una mecum dicti Collegæ, eam ſcriptam, eo animo ut publice exſtaret, nullo modo fuiſſe; multo minus, ut in linguam vernaculam verteretur. Adeoque nobis omnino inſciis editam & tranſlatam eſſe. Non equidem ulla nos ſcriptionis illius pœnitentia vexat: ſed accuratiorem optaſſemus Interpretem, & editionis ante ſcriptionem notitiam: quam per temporis anguſtiam dare forſan Fratres non potuerunt. Conſultum duximus Autographon Typographo, edendum cum iſto opuſculo, tranſmittere.

Reverendi Viri Fratres in Chriſto Jeſu, & Symmyſtæ Dilectiſſimi, Fideliſſimi.

JAm ante aliquot hebdomadas literas veſtras vidimus, ſed aliquamdiu glacies reſponſum vobis dare non permiſit, quod non niſi certò & ſecurè mittendum videbatur.

Mira-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Miratos vos fuiſſe dicitis, Wolzogii, in libello iſto, de Scripturarum Interprete tam prolixè detectum & luculenter demonſtratum ingenium moreſque, auctumque illum animi veſtri motum inexſpectato approbationis Walonicæ nuncio. Merito id omnes veritatis amantes concernere judicatis, præſertim dum tanta moliri Zatanam palam conſtet, ſignificato poſteà quod charitatis Spiritus vobis indidit, de nobis, noſtroque erga veritatem, quæ ſecundum pietatem eſt, affectu, judicio; petitis, ut Libellum Wolzogii, Notaſque Eccleſiæ Walonicæ, quæ Medioburgi eſt, legamus, examinemus &, ad ſequentes Quæſtiones, noſtram ſcripto depromamus ſententiam, quarum prior eſt. An nullæ poſitiones aut aſſertiones in prædicto libello occurrant ambiguæ, aut malè ſonantes (exempli gratia, Pelagianum quid, aut Socinianum, aut Remonſtranticum quid, aut Papiſticum, aut Libertinicum, &c.) aut periculoſæ, aut ſcandaloſæ, aut piarum aurium offenſivæ, aut falſæ, ſeu erroneæ, aut hæreticæ, aut blaſphemæ? Secunda: An libellus ille Wolzogii ſolide refutet monſtroſam illam & omnibus Reformatis deteſtandam opinionem, ejuſque adductas rationes de Philoſophia Scripturæ Interprete & norma infallibili, &c. Tertia An conſequenter ſolide, accurate & fideliter defendat communem ſententiam Proteſtantium & Reformatorum de Judice, norma & Interprete, oppoſitam ſententiæ Papiſtarum & Socinianorum ac Libertinorum? Uti pro benevolo erga nos affectu veſtro Viri Rever. gratias vobis debemus maximas, ſic Eccleſiis gratulamur ex animo, quæ vobis gaudent Paſtoribus, fidiſſimis revera & ſtrenuis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſtrenuis veræ religionis, hoc eſt, Veritatis Pietatiſque vindicibus & propugnatoribus. Et quanquam nos tenuitatis noſtræ conſcii, quam parum à nobis expectari merito poſſit, aut promitti Eccleſiæ, non ignoremus, affectum tamen noſtrum & animum Veritati receptæ, & ſecundum illam, Pietati deditum eſſe, profiteri non erubeſcimus; quodque tales etiam apud vos habeamur gloriæ ducimus in Domino, & ſtimulo erit, quo magis magiſque incitemur. Corrupta videmus tempora moreſque & dolemus, non tamen vadimonium deſerendum, ſed toto niſu impetuque, novitatum æſtui, contraeundum putamus potius, ne Zatanæ demus locum. Quoniam igitur è re eſſe, pro veſtra prudentia, judicaſtis, & noſtrum de Wolzogiano iſto opere ſuffragium, rogare. En brevi id exponemus, diſplicet nobis & deteſtamur. I. *Quod Theologos omnes, quotquot hactenus ſedulo nec minus doctè & accurate in explicanda propugnandaque veritate, operam ſuam feliciter collocarunt, ſpernat contumelioſe ſatis: quaſi rem quæ* omnem continet in ſe religionem, non ſatis dilucide hactenus tractaſſent. *Dum interim Velthuſius, qui erroribus ſcatet, Orthodoxiæ tenax ipſi caput eſt. Opprobrium Eccleſiæ non tolerandum.* 2. *Quod pag.* 24. *dicat Deum poſſe fallere ſi velit: quæ verba etiam à Claſſe noſtra condemnata procul dubio audiviſtis.* 3. *Quod totam de Interprete Controverſiam rationis deciſioni committendam ſtatuat.* 4. *Quod in rei ſumma idem revera, ſi res penitius conſideretur, cum Socinianis ſentiat.* 5. *Quod varios & multiplices diverſi generis errores dictet. At, quod vobis notum eſſe volumus, cum unus ex nobis,*

nimi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

nimirum, cui haſce ſcribendi opera communi conſenſu à nobis injuncta eſt, Joh. V.W. Tractatum jam jam prælo tradendum, in parato habeat, quo totum Wolzogii Tractatum diſcuſſum videbitis, ulteriori ſententiæ noſtræ declarationi jam ſuperſedebimus & ad propoſitas Quæſtiones hoc breviter reſpondemus. Ad primam. Negando nullas, &c. cum certi ſimus multas variis, ex iſtis, epithetis decorandas poſitiones, occurrere. Ad Secundam & Tertiam dicimus, tantum noſtro judicio abeſſe, ut alterutrum egerit, ut potius in communi cauſa ſæpe ſit prævaricatus turpiter. Reformatorum enim argumenta non ſolum palam & phraſes deſerit, ſed rejicit, culpatque & propius Socinianæ, quam Orthodoxæ, quod ad ſummam rei, theſi accedit manifeſtè. Ut fuſè, à jam dicto Joh. v. W. coram facie Eccleſiæ demonſtrabitur. Audiveramus de Orthodoxa ipſius fide, ſpeciali Tractatu promulganda, ſperabamuſque fore, ut ſe tanta, tam juſta, erroris ſuſpicione liberaret, & animus erat, prædicto Collegæ noſtro, pro candore, ſi hoc præſtitiſſet Wolzogius, prioris imprudentiæ oblitæ nihilque adverſus ipſum intentandi: verum expectationem noſtram fefellit & magis irretitum ſparſim & perplexum in ſcenam prodiiſſe dolemus. Pergite Viri Rever. invigilare & proſpicere, ne Veritas, ne Pietas, reipublicæ Chriſtianæ baſes, & fulcra, impune quatiantur, concutiantur. Nobis exemplo eritis, per Dei gratiam, quibus nihil in votis magis eſt, quàm pro fide ſemel Sanct. tradita, pro viribus nobis à Deo datis, decertare fideliter. Ut ſic veritate ſarta tectæ, rejectis dogmatum novitatibus Eccleſiæ quies ſit novamque vitam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tam, priſtinæ receptæque fidei inædificatam, tandem videamus ac exultemus. Quod faxit Deus! Cujus paternæ curæ vos veſtraque commendamus.

Reverent. V. &c.

JOHANNES vander WAEYEN.

JOHANNES LASTDRAGER.

HERMANUS WITZIUS.

LAG-

LACTANTIUS.

Quidam non ſatis cæleſtibus literis eruditi, cum veritatis accuſatoribus reſpondere non poſſent, novam ſibi doctrinam ſine ulla radice compoſuerunt.

CALVINUS.

Somnium eſt terrenis hominibus, quicquid de Spiritu Sancto prædicat Scriptura, quia RATIONE SUA FRETI, &c.

CHAMIERUS.

Scripturam eſſe Interpretem Scripturæ ſi quis neget inſaniat.

PARÆUS.

Veriſſimè dicitur non eſſe meliorem Scripturarum divinarum Interpretem, quam Scripturas ipſas: neque hoc poteſt negari, niſi à Scripturarum imperitis: quos de re tanta judicare vel audiri non convenit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Argumentum Operis.

Liber Primus ſtricturas quaſdam continet ad Wolzog. libr. I. Strict. Prima, pag. 2. Wolzogii intempeſtiva moderatio. ii. p. 5. iii. p. 4. iv. p. 7. Wolzogiani ſcripti cauſæ. v. Temporis injuria p. 8. vi. De mentis corruptione diluta & minus Orthodoxa dictio p. 11. idem Strict. vii. p. 13. & viii. p. 14. ix. Contradictio Authoris p. 18. x. De errandi in Deo potentia p. 19. xi. p. 23. xii. p. 24. xiii. p. 25. minus commodæ phraſes. xiv. p. 26. Effatum Carteſianorum de clara & diſtincta perceptione refutatur. Velthuſii argumenta diſcutiuntur. xv. p. 41. Malè de Conſequentiis Author. xvi. Obſcura dictio p. 47. xvii. Perverſa de Interprete criſis rejicitur. p. 47. xviii. p. 48. idem xix. de Apoſtolica Scripturæ Interpretatione mirum dogma p. 49. xx. Scriptura ab ambiguitatis criminatione liberatur p. 50. xxi. De Articulorum fundamentalium paucitate p. 51. Perſpicuitate p. 52. Certitudine p. 54. Ad lib. ii. Strict. i. Vana de diſtinctione, inter eum qui ſibi & eum qui alteri interpretatur, jactantia p. 55. ii. Wolzogii in Paradoxum Criſis p. 60. iii. De Idea Dei p. 61, iv. Creatio quare non ad veritates pertineat juxta Wolzog. p. 61. v. De Prophetiis incauta theſis p. 63. vi. Reſtitutionis poſſibilitas & Trinitatis dogma an Adamo innotuerit. p. 63. vii. An omnis veritas æterna p. 70. viii. Fruſtra fieri per plura quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

&c. quouſque ſe extendat p. 72. ix. Theologi ab iniqua cenſura defenſi p. 75. x. Idem in Authore vitium quod carpit in Paradoxo p. 77. xi De Philoſophiæ objecto error p. 78. xii Hiſtoria Philoſophica. xiii. Immodicæ Carteſii laudes ejuſque quædam regulæ expenſæ. p. 80. xiv. Carteſius malè ab involatæ Theologiæ crimine excuſatur p. 103. Velthuſii aliquot errores recenſentur. p. 106.

Liber II. Ad principalem Controverſiam tranſitio p. 1. Hypotheſes p. 3. Termini explicati p. 4. Uſus loquendi p. 4. Ratio p. 5. Interpretari quid. p. 9. Status Controv. p. 11. Quid ad Script. intellectionem requiratur à parte ſubjecti p. 15. Objecti p. 17. De Hiſce quid Wolz. p. 17. quid de Spiritu p. 20. Theſis prima de Immediatis Sp. S. operat. ex Wolz. eruta p. 25. Refutata allatis Reformatorum dictis, p. 25. Rationibus p. 31. Objectiones Wolz. 1. de Enthuſiaſmo p. 37. 2. de ſpretis Interpretationis mediis p. 38. 3. Apoſtolis unicè neceſſaria immediata Sp. operat. p. 40. 4. Noſtros aliter ſentire p. 47. 5. Melancholicorum deliriis viam ſterni p. 49. 6. Injuriam fieri Wolz. p. 54. De quorundam cum Enthuſiaſtis vera συμβιβάσει p. 58. Theſis 2. de Lumine infuſo ex Wolz. & Velthuſio eruta p. 63. Reformati aliter p. 66. Quod aliquot theſibus oſtenditur 1. p. 66. 2. p. 69. 3. p. 70. 4. p. 70. Cui exertè contradicunt Velth. & Wolz. qui refut. p. 71. 5. p. 82. 6. p. 83. Argumenta pro lumine infuſo p. 85. Obj. Wolz.

1. Se

1. Se contrarium Reform. non docuiſſe p. 88. 2. de Enthuſiaſmo p. 90. 3. Quæ habet Velth. adverſus lumen infuſum refut. p. 91. Theſis tertia de Scripturæ intelligibilitate p. 100. Hac in re Wolz. errat 1. Negando perſpicuitatem Script. objectivam cum ſuo Paradoxo p. 103. Noſtrorum ſententia p. 107. Quid Wolz. p. 108. Velth. p. 110. 2. 3. & 4. Nimias homini naturali vires tribuendo p. 115. 116. 117. Aliquot objectiunculæ ſolvuntur. p. 124. Velthuſii rationes ad partes vocantur p. 128. Ejus error de Hæreſi ſemper voluntaria, & αὐτοκατακρισία Hæreticorum, refutatur.

Liber Tertius. Priorum brevis repetitio. p. 1. Reformatorum de Interprete dicta p. 3. Sohnius. Spanh. Bucer. p. 3. Zanch. Chamier. Paræus. Hoornb. p. 4. Mareſ. Coccejus. Syntag. Confeſs. p. 5. Irenæus, Baſil. Chryſoſt. Auguſtin. Cyrill. Alex. p. 6. Wolzogii agendi modus & animus eruitur aliquot theſibus 1. Statum Controv. non figit p. 7. 2. Diverſam à Reformatis Sent. ultrò profitetur. p. 8. 3. Reformat. phraſes carpit p. 10. 4. Rejicit argumenta, quæ vindicantur p. 11. 4. Sentent. oppugnat in terminis p. 22. 5. Paradoxum futiliter refutat p. 23. Wolzogii ſententia. 1. In hac quæſtione non audiendam Script. p. 30. 2. Dei teſtimonio non niti Interpret. p. 39. 3. Rationi tam tutò fidi quam verbo Dei p. 45. 4. Præterquam in fundamentalibus nullum eſſe infallib. Interpretem p. 47. 5. Enthuſiaſtas eſſe qui huc adferunt axioma,

quiſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

quiſque ſuorum verborum optimus Interpres p. 47. 6. Rationi plus quam inſtrumentalem uſum competere p. 48. Hinc Canones 1. Rationem ſæpe definire poſſe ſenſum Script. p. 56. 2. Omnia quæ per conſequent. ex Script. educuntur Rationi deberi p. 59. 3. Pro regula ante omnem Interpretationem ſtatuendum, quicquid Rationi repugnat id commodè in alium ſenſum explicandum. p. 60. Argumentis deinde ex ipſo Wolzogii tractatu deſumtis, jam dicta refutantur. p. 73. Abſurda ex Wolzogiana ſententia ſequentia p. 84. Exceptiones rejectæ. 1. Se multa rationis arbitrio ſubducere p. 89. 2. Rationem illuminatam intelligere p. 93. 3. Exceptio ſingularis ad loc. ex pag. 23. ſui Tractat. cit. p. 94. 4. Cauſa Sacramentaria & quantum in ea rationi p. 95. &c. Tandem nihil ad rem dixiſſe Wolzogium concluditur.

JOH.

JOHANNIS vander WAEYEN PRO VERITATE, & genuina Reformatorum ſententia ADVERSUS LUD. WOLZOGIUM DISCEPTATIONIS

LIBER PRIMUS,

In Univerſum Wolzogii Tractatum Stricturas continens: Addita ſubinde de variis argumentis uberiore paululum Digreſſione.

MUlta ſanè in opuſculo illo Wolzogiano reperiuntur, quæ in veritatem ſimul & receptam Reformatorum fidem incurrunt; ſed diverſi planè generis, alia Controverſiæ de Scripturarum Interpretatione apicem vel non tangunt, vel ad minimum ab ejus pertractatione ſejungi queunt commodiſſimè, alia verò ipſam rei ſummam concernere videntur propius. Illa tranſiliens lubens ſtatim rem ipſam aggreſſus fuiſſem, ſed multorum maleſanorum conceptuum pondus, veritatis ſtudium, Eccleſiæ Reformatæ talia rejicientis honos, præcipue vero Dei gloria in cauſa ſunt, quominus iſtas Syrtes intactas præternavigare potuerim. Quapropter antequam, ipſius Controverſiæ caput quæ ſpectant, eruam; primum ſtrictim juxta totius libelli ſeriem quædam minus orthodoxe, aut prudenter, aut pie dicta notare conſultum duxi; poſtea quæ de Scripturæ Interpretatione ipſa dictat Wolzogius, excuſſurus breviter & candide.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Strict. I. Totius tractatus dicendi modum conſideranti, in ipſo limine, offenſam dare videtur author. *Paradoxon* quippe vocat *Exercitatorem*, quem Heterodoxotaton dicere debuiſſet: ſcio equidem, decoravit ſeſe ipſe iſto elogio profanus Scriptor, ſed orthodoxum & veracem quid ſi addiſſet? quid illa vocabula velint, jam dudum notum eſt. Melius in ipſa fronte ſcapham vocaſſet ſcapham, ut ne forſan Heterodoxi hominis minis deterritus videretur, aut moderati & modeſti nomen omni pretio redimendum ratus. Malorum vituperia laudes eſſe & modeſtiam ac moderationem illam qua hujuſce mundi favor acquiritur, teporem ac vitium deteſtandum, utinam & Wolzogius ſemper cogitaret! Ex ſocordia factum eſſe, quod culpo, plura ſunt quæ minus credendum, probent; primum, authoris ad verba & phraſes attentus animus, ἀκρίβεια ejus enim in hiſce tanta ſe prodit, ut in id unice incubuiſſe videatur, ne ſtylus, ne Dictio ullibi minus elegans minus Latina foret Criticis, de re ipſa, ſaltem ſive orthodoxis placeret, ſive diſpliceret Theologis, minus ſollicitus. Ab illis etenim diſſenſum profiteri, in illis obſcuritatem, inter illos diſcrepantiam clamare, nihil eſt; Latinitas modo ne Ciceroni diſpliceat, aut Claſſicis. Deinde alia loca in quibus in eundem impegit lapidem. p. 2. p. 4. p. 94. imo honorifice de ipſo loquitur p. 5. & hominem *opera pretium feciſſe* judicat. Denique quod aliquando præter phraſin in hoc tenebrione carpat nihil, ut poſthac patebit: huic certe, qui omnes ad unum Theologos, obſcuritatis, Clariſſ. Arnoldum, virum de Eccleſiis optimè meri-

p. 3. lin. 20. tum, *imprudentia* accuſat, quid cauſæ ſit; quod hunc ita molliter excipiat; conjiciat lector. Scilicet dantur hodie, qui ſatis in fratres ſæviri poſſe vix putant, dum interim, cum Remonſtrantibus & quibuſcunque Hetrodoxis, placidè & fraternè agi volunt: ſic nunc mores ferunt & tempora, ideoque ſic decet quos

lubet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

jubet δουλεύειν τῷ καιρῷ. Non quod putem adverſæ partis homines calumniis proſcindendos eſſe: potius argumentorum pondere & veritatis certandum energia eſt. Maledicant qui falſa dicunt; humanitas decet veritatis filios, & charitas: agendum tamen pro rei pondere graviter & ſeriò, atque Orthodoxos dum quis vellicat, Heterodoxos & quidem contumaces, imo irriſores, leniter excipere, quid jubet? quicquid ſit, non eſt quod ego, qui frater, qui Symmyſta, pro veritate ſcribens, & quidem placidè, ſic enim eſt animus, mihi mali quid metuam à Wolzogio. Quæ alibi, forſan largiter ſatis, in ignotum σωύδουλον, & contumelioſe dixit, non repetam, liberioris forſan oris eſt, quæ ſcribit magis ruminans. Veritatis etiam nunc ago, non meam cauſam, niſi in quantum illa mea eſt, & ego illius filius ac pro tenuitate Doctor ſum in Eccleſia. *occaſione Gravaminis Leovard. &c.*

Scriptionis ſuæ cauſam tradit author in Epiſtola nuncupatoria, in quâ, uti verè dicitur, *à viris eruditis ſufflamen* (heterodoxam ſententiam reſpicit) *injectum eſſe ita ut* certiſſime *hoc* ipſius *ſcripto* planè *non opus fuerit, cum cauſæ ſatisfactum* putet; ita qui ab hoc authore id dici queat & quo animo, is judicet qui è contra p. 5. ipſum audiverit ita diſſerentem, *& nequaquam fuit hactenus ſatis enucleatè expoſita hæc quæſtio.* Nimis citò ſibi contradicit. Deinde ſi verum ſit, dic qui fuerint, qui hanc cauſam bene defenderint, non Polanus non Chamierus, non Whitakerus non Zadeel, non Reformatorum ullus, quorum argumenta rejicis autocratorice, *pleraque non feriunt ſcopum, duo quidem priora argumenta non video quid habeant ſoliditatis, tertium ſolum aliquatenus ſtringit, quartum audirem niſi &c. quintum, ſextum & ſeptimum non ſtringere cum Exercitatore ſentio:* tua verba ſunt Wolzogi p. 247. 249. Certare potius uter majorem de Reformatis victoriam reportet cum tuo para- Strict. II.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

doxo, quam illos defendere videris. Quis non eru-
beſcat quin iraſcatur, qui maximorum virorum co-
gitata tam contumelioſe rejecta videat ab homine no-
vitio? ignoſce lector, ſi non ſatis acriter pungam i-
ſtum qui heroas illos tanto vituperio afficit, ſed *ſenti*-
poſthac vires iſtorum argumentorum. Sordet lau-
illa, qua decoratos circumgeſtas in prælogio, quo-
rum in ipſo opere cauſam tam deſeris turpiter. Quo-
putas igitur cauſæ ſatisfeciſſe, ſi iſtorum luminum di-
cta quiſquiliarum inſtar rejicis? revoca dictum, no-
ſerio loquitur tua dedicatio; non egent tuis laudibu-
viri illi, ſupra iram, ſupra invidiam jam dudum elat-
in Eccleſia, non demereberis aſſentatione mortuos
nec fruſtra etiam vellicabis & impune; monſtrabitu-
verum tibi, præter mentem, excidiſſe, cum *cauſ*-
ſatisfactum diceres.

Strict. III. Verum ſcripti cauſam habe lector, *cauſæ* quidem, at
non famæ ſatisfactum erat; non cauſa veritatis igi-
tur, ſed fama nobis huncce librum peperit, ipſo au-
thore indice, nec enim cauſæ ſed famæ iſthoc opus
erat, ſiccine fama præ veritate vobis cordi eſt? fa-
moſus ſit qui talis eſt, oportet. Laudem, de qua
ſtatim, in ipſo opere revocat, ut audivimus, in hoc
autem effato ita conſtans eſt, ut aliis verbis idem in
ipſo limine repetere debuerit; *quæſtionis momentum*
evocare, inquit, ſed *neceſſaria Synedrii quædam de-
fenſio ea* demum *exprimere* poterat hoc opus. Jam
ſcimus, utrum pluris facias, famam tuam, an vero
Dei & Veritatis cauſam. Siccine decet miniſtrum
Chriſti? quando æquis paſſibus incedunt & ſimul in-
feſtantur, utraque defendi poteſt noſtra fama & veri-
tas divina, ſed ſuo quæque ordine, ego ſaltem potius
huic quam illi ſatisfactum vellem, & dum fama mea
vocat, libenter à Dei cauſa *premerer*. Deinde quis
mortalium veſtræ Eccleſiæ tantum impegerat ſcelus?
quis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

quis de ea vel per ſomnium cogitaverat? vel an Velthuiſen tua eſt Eccleſia, tuum Synedrium? an ipſius decus & gloria ſic tibi cordi ſunt, ut quicquid ille patitur, tangat vos omnes & quidem tam vehementer, ut, dum veritatis quæ Dei cauſa *ſcriptionem evocare*, ipſius ad minimum eandem *exprimere* valeat? nonne plus ſatis hunc evehis? qui totus in eo eſſe videtur, ut ordinem noſtrum deprimat & conculcet pedibus. Quando ipſius ſcripta cogito non tam parum Paradoxus mihi videtur, ut talem fœtum ab ipſo produci non poſſe judicem. Scio equidem, inſurrexit adverſus Anonymum, ſed vereor ne lector fruſtra diſſenſum quærat, quanquam animum aliquando, ſtudiô concitatiorem, exprimere voluerit: quicquid ſit, quem non pudet in maxima Theologorum capita & pectora dicteriorum tela vibrare; illine mirum erit leviter & quidem tecto nomine, alicujus criminis reum agi? licebit ipſi omnia inſolenter æque ac impotenter in quoſcunque effutire, & dum ipſius umbra vel extremo tangitur digito, tanti ciebuntur motus? tanti, quantos ne læſa quidem ciet veritas! omnes Theologi moriantur inulti, ipſorum nomen, à Paradoxo nebulone, violetur, conculcetur, argumenta Eccleſiæ Reformatæ, imo Confeſſionum noſtrarum vellicentur, explodantur indefenſa per te p. 247.
non ſolum, ſed te ſpectatore, ſed adſtipulatore. Velt- 249.
huſii modo nomen honoſque, laudeſque maneant ſemper: per ipſum veſtra *Eccleſia multis ſi cordi* ſit, abunde ſatis ipſi proxeneticum rependitur. Non magni laboris foret, ex Velthuſianis, ſimilia proferre, ſi non eadem, cum iis, quæ ſcripſit Anonymus. Sententia quaſi adverſa, ſub refutationis ſpecie, optimè aliquando ſtabiliri poteſt. At tantum virum aggredi, næ iſtud periculoſum eſt. Hiſtoriam molitur Medicus & omnibus, quos novit Zelotas eſſe quæcunque exprobrabit. Hæc tum erit iſta charitas, hæc mo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

deratio quam etiam circa alienos à fide requirit. Patebit affectus, iram præcipuè & livorem illa protruſiſſe, ex proprio ore judicetur. Mutatum ſtylum deprehendes quoties fratres contra inſurgit. Socinianizantes Anabaptiſtas bonos ut cives defendit, dum fratres ut Papizantes vapulant. Hiſtoriam tuam quod attinet, an neſcis Medice, præcedentia peccata converſis in faciem conjicere, Diabolicum eſſe & Satanæ opus? quid ſi jam iſtorum, quæ putas, ſcelerum veniam impetraverint à ſupremo judice? quid, ſi cum Davide peccata juventutis confiteri, deprecari non erubuerint? quid tibi à vindice ſupremo expectandum erit, fratres ita accuſanti fratri? tu, qui ob rationes politicas, neſcio quæ non horrenda tolerari poſſe, à Magiſtratu doces, fratrum nuditatem ita detegere velles virulenter? doleo ſane vices tuas, perverſitatem tuam Velthuiſi! at non deerunt, per Dei gratiam, qui furoris tui bruta contemnent fulmina, non deerunt, ſi in piorum capita inſolenter debacchari velis, qui tela tua retundent ſeriò. Si quis in tuam, ſi multorum Collegiorum non Eccleſiaſticorum vitam omnem curioſius inquireret & exactius, ſcias non defore, quibus detectis, plures quam tui Zelotæ, coram omnibus proſtituerentur: ſi ebrietas, perfidia, quotidianus & domeſticis moleſtus nominis divini abuſus, ſi pejerationes, ſi injuſtitia omnis, ſi ſcortatio aut aliud enorme peccatum & forſan in juventute patratum, infamem reddat, & revelari neceſſe ſit, alios quam Zelotas illos decoratos videre poſſes. Hoſti etiam vera dicenti vix ulla fides, & quos rationibus convincere non potes, fruſtra petes calumniis, non decet id cordatos, non Magiſtratum gerentes & quidem in Synedriis. At ne te provocari per me putes, ſilentium tibi conſcientia & munus ſuadere debent, idem & per me fieret, ſi tibi eſſem tanti: nec etiam multum terroris mihi incuſſum cogites. Sunt qui
libe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

liberum ſolum habitant, ubi neminem inauditum condemnari videas: is mihi ſcopus eſt, ut te malitiæ tuæ convincam & Sycophantam agere deſinas: malè promiſſis reſcinde fidem. Interim bona conſcientia quæ mihi ſolatio eſt, hoc ſuggerat, quod laus ſit hominis maxima diſplicere pravis, laudarier verò à turpibus vera infamia. Age jam quod velis, contemne hæc, vitupera, ride: veritatem tamen & pietatem quamvis petulantiſſimè oppugnatam, non ab omnibus deſerendam ſcito. Tempora mutantur ſæpius, & valeant tempora, venit æternitas, vivit Deus!

Verum præter Velthuiſii famam aliud adhuc reſtat. Strict. IV. *Jam gaudebant*, inquit, *invidi heterodoxiam apud eruditos impingi, ſicut apud plebeculam, impacta morum laxitas eſt*, Eccleſiæ ſc. Walonicæ. Siccine quod Velthuiſio, id tuæ impingitur Eccleſiæ? ego ſanè etſi Velthuiſium Heterodoxotaton dicerem, de injuria conquererer, ſi hoc ut Eccleſiæ tuæ impactum haberetur: non enim Papanæ parvum ſimulachrum fingitis, cujus Velthuiſen Caput ſit & Princeps. Liberè loquar, ſæpius miratus ſum, Eccleſiæ Seniorem, Walonicæ Synodi membrum tot ac tanta in orthodoxiam incurrentia & pietatem ſcribere impunè. An ille formulis, prout Seniorem decet, ſubſcripſit? ego eum ex formulis, multorum errorum convincere paratus ſum. Specimina aliquot ad hujus prioris libri calcem reperiet lector. Et, ſi veſtrum dicitis quod ſcribit Velthuiſius merito heterodoxias accuſabimini. Ille jam, publico Eccleſiæ Reformatæ elogio, *veritatis orthodoxæ tenacem* in pectore gerit *animum*, ut in Paradoxi libro *ne umbra quidem veri Velthuiſii apparere* dici debeat. Epiſt. ad Senat. Acad. Franek.

Quo ruimus! hiccine *ſuâ ſatis innocentiâ tutus eſt, nec fortioribus armis, ubi defendendus erit, quam ſuis defendetur?* meo judicio, is qui talia docet & ſcripta probat Heterodoxus uterque, ſit paſtor, ſit Senior,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſit Eccleſia, ſit Synodus. Omnes Reformatos teſtor. Veritas autem non ſolum in diſcrimen venerat, *etiam morum erat impacta laxitas*; ſed libertatis forſan eſt, non laxitatis, quod offendit plebeculam, Chriſtianæ libertatis neſciam. Gratulor autem tibi, ſi *abſis ab utraque, ut à ſuperſtitione animi & ab animarum tyrannide* te abeſſe profiteris; ſed cavendum ſemper ne ab uno extremo in aliud eatur. Memini Remonſtrantes hanc hederam vino ſuo jam dudum propendiſſe, & erga Socinianos, alioſque hæreticos fraternum animum demonſtraſſe, dum Reformatis olim fratribus, ea denegatur æquitas: ſunt & alii quos in omnibus, præterquam in piorum fratrum nævis obtegendis, moderatos inveneris. *Queruntur* de animarum, *de Eccleſiarum Tyrannide*, ait Junius, in Antapolog. p. 98. 99. *at nuce caſsâ leviores querimoniæ*: quidni & cum Remonſtrantibus *de paſtorum* & doctorum *exauthoratione* clamat (ibidem apud Jun.) & illos qui talia cudunt in fratres conſilia aliiſque ſuggerunt, detegit?

Vide Poelenburg. poſt opuſc. adverſus Clariſſ. Spanh.

Strict. V.

Ad ipſum tractatum me conferens, *difficillima* audio *tempora* p. 5. verè ſcribis Wolzogi, difficillima ſunt tempora; ſed non omnes eundem periculorum fontem reſpicimus: ſunt, qui talia ſcribentes aut dicentes ferulam & virgas fere exſpectare debeant: ſed tu impunè dixeris, imo ſcripſeris, modo tibi, quod ad cauſas, cum quibuſdam, eadem non ſit ſententia: meam ſi vis? adverſus pios & pietatem Vatinianum odium, Libertiniſmus, religionis contemtus, vitæ profanitas, diſciplinæ defectus, peccatorum infrunita & impunita ſimul licentia, Papiſtarum, Socinianorum; quin quorumvis, indomita audacia; Eccleſiaſticorum, aliorumque factiones, tepiditas, mundanitas, ἀνθρωποπαρέσκεια, καιροδȣ́λεια; denique omnis generis graſſantium peccatorum inenarrabilis multitudo: hæc ſunt quæ periculoſa efficiunt tem-

tempora. Utinam correctioni ſtuderemus, quantum poſſumus omnes! hoc tuam, hoc meam *perſonam*, nobis à Chriſto *impoſitam* decet. Sed quod abnegandum tibi, aliis, mihi, commendo præcipuè, mundana gloria eſt, & hominum favor. Non quod de honore quem uterque Magiſtratibus debemus, quicquam delibatum, ſed nec eum aſſentationis embammate delibutum velim. Chriſti ſervum nil minus decet quem ἀνθρώποις ἀρέσκειν, utinam cum Apoſtolo & nobis liceat gloriari, 1 Theſſ. 11.4, 5, 6. Loquimur non ut hominibus placentes, ſed Deo exploranti corda noſtra: nec enim unquam ſermone aſſentatorio uſi ſumus, ſicut noſtis, nec avaritiæ cauſa quicquam prætexuimus: Deus teſtis eſt. Neque ex hominibus quærentes gloriam. Ego ſaltem *perſonam* non à Dominis ſed *à Domino* Jeſu per *Eccleſiam* mihi *impoſitam*, decere id putem: ut ille ſic mihi evadat Clementiſſimus. Quanquam & ampliſſimorum Magiſtratuum & Clementiſſimarum ſummarum poteſtatum, omni, ſalva Conſcientia, pretio, favorem & gratiam redimenda velim. Sed Synedrii Walonici læſam famam dixerat, quicquid ſit, huncce virum, pro Synedrii aut Velthuiſii potius gloria, tam ſtrenuè dimicantem, quis ferat? dum omnes quotquot ſunt aut fuerunt Reformatorum Theologos tanto probro, affici non patitur ſolum, ſed & afficit, ut quæſtionem *quæ omnem habet in ſe religionem Chriſtianam* ut ait p. 5. nequaquam ſatis hactenus enucleatè tractaſſe, ipſo judice, dici mereantur. Siccine veneranda colemus Capita? mali ſemper ominis in Arminio habebatur, quod tam parvi pretii Calvinum, Bezam & alia Reformatæ Eccleſiæ decora judicabat. Sic tandem patebit quinam prædeceſſorum premant veſtigia, qui nova crepent: non poſſum quin erumpam in verba Magni Buceri, quæ habet in Explan. Pſ. 1 - 6. *inhumanum eſt, nedum indignum filiis* Bucerus in Pſ. 1.6.

Dei, verè pios, vereque doctrinæ Sacræ ſtudioſos, ac non parum de Eccleſia Chriſti ſuis ſcriptis meritos, temerè adeo in ordinem cogere, adeoque omnem illis authoritatem derogare. Id quod plerique ſibi neſcio quo Spiritu turbulento hoc noſtro ſeculo nimium quam licenter permiſerunt. Compendium celebritatis multis mi-
Ep: Dedicat. ad III. part. Socin: Confut. *rum in modum placere video,* ait Hoornbeeck, *ex mera quod captatur novitate, quibuſcunque paradoxis avidè ſe addicendo, ut cum iis nomen ſuum quoque eat in orbem, quod vel ex ſe, vel ſtudio adſtruendi communem veritatem & ædificationem ſe adipiſci poſſe deſperant, quæ ingeniorum quædam eſt, & damnoſa multis, temulentia dicam, an arrogantia? certè vanitas maxima* & certè vereor ne aliquando neceſſe evadat, ut Chriſtianus Magiſtratus videat & dicat, quæ Imperator Honorius, quem *piiſſimum* vocat
Baron. ad Ann. CCCC XVIII. in vita Auguſtini Poſſidonius, olim. *Ad conturbandam* inquit *Catholicæ ſimplicitatis lucem puro ſemper ſplendore radiantem, doloſæ artis ingenio, novam ſubito emicuiſſe verſutiam, pervulgata opinione cognovimus: quæ fallacis ſcientiæ obumbrata mendaciis &*
Poſſidonius in Vita Auguſtini Cap. XVIII. *furioſo tantum debacchata luctamine, ſtabilem quietem cæleſtis conatur attrectare fidei, dum novi acuminis commendata vento, inſignem notam plebeiæ æſtimat vilitatis, ſentire cum cunctis; ac prudentiæ ſingularis palmam fore communiter approbata deſtruere. Tanquam altius ſupraque vulgi ingenium ſpiraturi, ſi videantur communem ſapientiam ut vilem negligere, quod alibi de quibuſdam* Barclaius. Sed pergendum eſt. Antequam autem pergamus, notandum videtur qualis perſona Wolzogio ſit impoſita, ſi Academicam reſpiciat, ea ſaltem nihil cum hujuſmodi materia habet commercii. Hiſtorias enim non Theologiam docendi Provincia, & ni fallor extra ordinem, ei demandata eſt, malè igitur verba interpretaturus eſt quiſquis Theologiæ vel Doctorem vel quod ma-

jus eſt Profeſſorem inde collegerit, quanquam ut verum fatear, verba ſic ſonent, ut vix aliter intelligi poſſe videantur, quapropter ne vanæ gloriolæ captator in eo habeatur, vereor. Quod ad eam quam in Eccleſia Walonica ſuſtinet, paſtor eſt, cui juxta mecum, conciones incumbunt, viſitationes & Catechiſationes, prout decreto Synodi Nationalis Dordracenæ cautum & ejus ſubſignatione à Wolzogio promiſſum eſt. Eam vero ipſi à Clementiſſimis Dominis ſuis impoſitam, quandoquidem gloriæ ducere videtur, non equidem invideo, miror magis. Me quod attinet, maximum id mihi ſanctæ parrheſiæ fundamentum & diligentiæ coram Deo calcar erit, quod abſque ullo ambitu ab Eccleſia Jeſu Chriſti ejuſque corpore repræſentativo, juxta praxin & legem divinam vocatus ſim Eccleſiæ Leovardienſis Paſtor. Niſi & in eo cum Velthuiſio, miniſterio detrimentoſum errorem alat, Concionatoris & Presbyteri functiones eaſdem eſſe & nullius authoritatis ſupra ea, quæ unuſquiſque fortaſſis proprio motu agat, *donec per Magiſtratus fiant perſonæ publicæ, tum enim jus & poteſtatem habent à Magiſtratibus, ſed talem quæ longe differt à miniſterio verbi quod in hodiernis concionatoribus omni poteſtate & auctoritate deſtitutum eſt.* Scilicet fallere non debuit Proverbium, *omnis Monachus Apoſtata eſt oſor ſui ordinis.* Velthuiſius enim ex miniſterii Candidato jam Medicus evaſit, magna Eccl. jactura ſc.

Tract. de Munere Eccleſiaſt. & Specim. Retorf. p. 8.

Pagina 11. aliquid occurrit quod ſicco pede tranſeundum non eſt: ſic ſonant verba, quæ notanda ſerio. Strict. VI.

Quemadmodum igitur, quando nos facultate judicandi præditos experimur, eamque nos ut & cætera omnia, accepiſſe à Deo probavimus, quia illum nihil agere nullo fine probavimus, facile nobis perſuademus ejus facultatis beneficio verum nos percipere poſſe, quia fruſtra illam nobis indulſerit Deus, ſi non poſſit id præſtare,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſtare, ad quod efficiendum ejus eſt unicè apta natura. Eo ipſo quod facultas intelligendi à Deo creata eſt, putat, quia Deus nihil fruſtra agit, eam ſufficere debere ad percipiendum verum, quod propriè ejus objectum eſt, alias eam fruſtra nobis indultam fore. Rudè ſatis omnia, & ni melius explicentur ac limitentur, Pelagianiſmi hic fundamenta palam ſterni, certum eſt. De *vero* loqueris, ſed quodnam, cujus generis verum intelligis? cum enim æqualiter ſe intellectus ut facultas ſimpliciter, habeat, ad ſpirituale ac naturale verum; quidni eodem fundamento, illum fruſtra, ſi ſpirituale, ſi omne verum capere nequeat, inditum dixerim? ad id enim contemplandum præcipue mens nobis data eſt. Deinde ut de diverſo genere, ſic de gradu veri etiam dici poſſet, tandemque omnis generis, quodcunque, etiam abditiſſimum, quod verum eſt, debere percipi poſſe, (cujus contrarium docet p. 18. *ſunt talia in Scripturis quæ tum demum intelligentur quando eſſe deſinet Scriptura.*) alias & ſimili modo argumentabor, liberum fruſtra eſſe hominis arbitrium, ni bonum ſpirituale appetere aptum ſit: fruſtra hominis animam ni ad communionem Dei pervenire queat; nam ad id unicè, &c. An lapſus Adamici oblitus es? facultatem ante lapſum ſi conſideres, bene concludis, ſin vero poſt lapſum, peſſimè. Illine fruſtra oculi dati ſunt, qui ſeſe viſu poſtquam orbavit, jam videre nihil poteſt? quidni & Chriſtum fruſtra proponi peccatori, & verbum prædicari, ni illum amplecti, hoc ſalutariter intelligere poſſit; verum Deum noſſe, loquentem intelligere, mens poterat integra, ſed neutrum corrupta, nec tamen fruſtra eſt. *Scripturam proponi omnibus hominibus ut intelligant, & proinde à quovis poſſe intelligi,* Socinianum eſt & quidem πρῶτον ψεῦδος, notante Maccovio. Ineptus homo eſt & mortuus, ineptæ etiam & mortuæ omnes facultates ejus, illarumque quæque

circa ſua objecta: ita ut è contra potius dixerim, facultas noſtra apta ſi ſit ad agendum id, cui apta primo nata fuit, nulla corruptio agnoſcitur, originis peccatum negatur. Nec juvat dicere lapſis jam, non integris verbum ſcriptum eſſe; non enim proponitur ut omnes intelligant; ſed de hiſce poſtea ex profeſſo. unicus enim hic locus non eſt, ubi remiſſe nimis, de noſtra cæcitate ſcribit, quis jam mirabitur non bene Scripturæ ab ipſo deſcribi interpretem: malo enim cognito, benè mederi non poterat.

Eandem Scholam redolet, quando de Cæleſtis veritatis intelligibilitate ſic diſſerit p. 12. *quam ſi omnem adhibeamus diligentiam quæ in ejuſmodi rebus exigi ab homine jure queat, ego veritatem inveniri poſſe ſtatuo, aut adſcribendam inanitatem Deo eſſe*, I Quis niſi Pelagius, multa, hoc rerum ſtatu, jure ab hominibus peti poſſe, quæ præſtare non poteſt, neget? infantes illud docet Palatina Catecheſis. II. Quid? an igitur Deo inanitas adſcribi debet, ni homo, adhibita tanta diligentia, quanta, in eo, exigi jure poteſt, cæleſtem veritatem percipiat? niſi ſubjecti mutationem, novi luminis habitualis infuſionem ponas prius, fruſtra omnis labor, naturalis induſtria omnis: vel an Philoſophanti eo uſque Pelagianum virus ſurrepſit clanculum, ut jure jam peti non poſſe', quod præſtari non poteſt, videatur? miror ſi quis hic Heterodoxiam non viderit. Sed veritatem invenire, forſan ſenſum literalem percipere, tibi eſt; verum præterquam, quod longius procedere videaris, cum cæleſtem veritatem dicas antea, nihilominus ex iſto tuo fundamento inanitas Deo adſcribenda erit; horreo! nam ut intelligi non ſolum, ſed etiam ſalutariter intelligi queat, requiritur ad ſcopum & finem Scripturæ rite acquirendum. Jure igitur ſic infero niſi ſalutariter inveniri poſſit veritas ab homine, Strict. VII.

tantam ſedulitatem adhibente, quanta jure peti poteſt, ergo, &c. nec eſt quod excipias, ſubjecti mutationem, novi principii in intellectum infuſionem, inter illa, quæ jure exigi queunt, numerari non poſſe: Reclamant enim omnes quotquot Pelagii erroribus non ſunt in tranſverſum acti: vanus certe non eſt aut inanis Deus ille tremendus & verax, etſi fruſtra homo naturalis, omnem adhibeat juxta vires ſuas, diligentiam; quanquam id fieri non putem, ſed fiat, quid inde? niſi bonum uſum naturalium, ſupernaturali gratia, ex congruo cum Jeſuitis & Remonſtrantibus, proſequendum putes. Intelligatur modo cæleſtis veritas ab iis quibus intelligendi principium gratioſe indulget Deus, qui miſeretur cujus vult. hæredes teſtamentum intelligere benè ſoli queant, fruſtra & in caſſum perdant operam reliqui, teſtator finem obtinet intentum. Vobis, reliquis non item, datum eſt, noſſe &c. ait Chriſtus, & ni nimium Philoſophiæ tuæ indulſiſſes, Chriſti verba expendiſſes melius, quæ refert Matth. Cap. XI. 25. gloriam, tibi tribuo, pater Domine Cæli & terræ, quod hæc occultaveris à ſapientibus & intelligentibus: & ea retexeris infantibus. etiam Pater, quia ita placuit tibi.

Strict. VIII. Explicatione aut correctione egent & illa quæ habet p. 23. ubi mentis vitium deſcribens, ſic loquitur, *quæ*, mentes ſc., *cum ſint obductæ tenebris naturalis ignorantiæ, quibus comprehendo omnia impedimenta ſalutaris cognitionis*. Quod homo ita dilucide agens, obductum tenebris dicat, quem viſu orbatum, cui oculos effoſſos, quos cæcos dicere potuiſſet, magis emphaticè, magis perſpicue, tranſeat; ſed cum, *ſub tenebris naturalis ignorantiæ, omnia impedimenta ſalutaris cognitionis, comprehendit*, impingere videtur, aut intricate loqui: ſcimus enim mul-

Confer quæ paulo inferius ex Strangio citata ſunt.

multa dari ſalutaris cognitionis impedimenta, quæ *ſub tenebris naturalis ignorantiæ comprehendi* nequeant; niſi cum tempore acquiſita præjudicia & infinita alia naturalem ignorantiam putet, id eſt, peccatum originale cum actualibus confundat. Obſcure ſatis. Nec ſuſpicor tibi iſtum ſenſum, cum hæc ſcriberes, fuiſſe, non ſub tenebris naturalis ignorantiæ, ſed ſub *mentium vitio* reliqua impedimenta comprehendere. Nam nec conſtructio hoc patitur, nec perſpicuitas. perſpicuus eſſe præ reliquis debuiſſes, qui ita temerè Calvinos, Zanchios, Junios, Whitakeros, Chamieros, imo omnes ſimul reformatos obſcuritatis reos agis, & quidem in negotio quod omnem in ſe religionem habet: ſed te extricare conaris cum dicis eâdem paginâ, *ſunt enim ſua culpa in hanc cæcitatem prolapſi, qui mente perſpicaci, nulliſque præconceptis opinionibus gravata, fuerant conditi.* Dubito autem quid velis cum pag. ſeq. ita emphaticè itidem inculcas, *ſua ſolius culpa defœcatam mentem hominem adhibere non poſſe.* Putaſne 1 tum demum non poſſe quando reliqua cognitionis impedimenta supervenerunt? 2 vel Deum in culpa fore ni homo concipiatur poſſe? 3 Aut agnoſcis ſolummodo perſonalem culpam? ex peccato perſonali & actuali profluentem, originalem vero, utpote non ita ſuam, non item? imputatur ſanè & inhæret, damnat & corrumpit originis peccatum: ut autem in hoc negotio alios magis dilucide ſcripſiſſe, & jam non demum lucem nobis affulſiſſe videat lector. Calvinum audiamus hanc cæcitatem explicantem, more ſuo, ſolide & perſpicue. *Si perſuaſum nobis foret, (quod extra controverſiam eſſe debet) naturæ noſtræ deeſſe quicquid cæleſtis Pater electis ſuis per Spiritum regenerationis confert, hic nulla eſſet hæſitandi materia, ſic enim loquitur populus fidelis, quoniam apud te eſt fons vitæ & in lumine tuo videmus lumen, idem teſtatur Apoſtolus, cum ait neminem* Inſtitut. l. 11. Cap. 11. §. eo.

minem

minem poſſe dicere Dominum Jeſum niſi in Spiritu Sancto & Joh. Bapt. ſtuporem diſcipulorum videns exclamat, neminem poſſe accipere quicquam, niſi datum illi fuerit deſuper. donum autem ab eo intelligi de ſpeciali illuminatione, non communi naturæ dote inde conſtat; quod tot verbis, quibus Chriſtum commendaverat diſcipulis ſuis, nihil ſe profeciſſe conqueritur. Video inquit verba nihil eſſe ad mentes hominum de rebus divinis imbuendas, niſi Dominus per Spiritum ſuum intelligentiam dederit: & Textum Deut. XXIX. 2. *referens, ſic infert: quid plus exprimeret, ſi nos vocaret ſtipites in operibus Dei conſiderandis? unde Dominus per*
Jer. XXIV. 7. *Prophetam, ſingularis gratiæ loco, pollicetur ſe daturum Iſraëlitis cor, ut ab illis cognoſcatur: nimirum innuens, tantum hominis mentem Spiritualiter ſapere, quantum abs ſe illuſtrata fuerit. hoc quoque dilucidè ſua voce confirmavit Chriſtus, cum diceret neminem venire ad ſe poſſe, niſi cui datum à Patre ſuo foret: quid? annon ipſe eſt viva Patris imago, in qua totus gloriæ ejus ſplendor nobis exprimitur? ergo non potuit melius oſtendere, qualis ſit noſtra ad cognoſcendum Deum facultas, dum ad cernendam ejus imaginem, ubi ita palam exhibetur, oculos nobis eſſe negat. quid? annon ſua quoque legatione fideliter defunctus eſt? ita eſt ſanè ſed nihil efficitur ejus prædicatione, niſi interior Magiſter Spiritus viam ad animos patefaciat: ergo non veniunt ad eum, niſi quia à Patre audierunt & edocti ſunt. quæ iſta dicendi & audiendi ratio? nempe ubi aures ad audiendum, & mentes ad intelligendum, Spiritus mira & ſingulari virtute format - - - cui novam mentem Spiritus Sanctus ſua illuminatione fecerit. - - - Paulus - - - quem vocat animalem? nempe qui naturæ lumine nititur, ille, inquam, nihil in ſpiritualibus myſteriis Dei comprehendit: quid ita? NB. an quia per ignaviam negligit? imo etiamſi enitatur, nihil poteſt: quia ſcilicet Spiritualiter dijudicantur. quid*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

iſtud ſignificat? quia humanæ perſpicaciæ penitus abſcondita, per ſolam Spiritus revelationem pateſiunt: adeo ut pro ſtultitia ducantur, ubi Spiritus Dei non illucet. Ante autem ſupra oculorum, aurium, mentium capacitatem extulerat, quæ præparavit Deus diligentibus ſe, quin ſapientiam humanam NB, quaſi velum quoddam eſſe teſtatus fuerat, quo mens à cernendo Deo impeditur. Quid volumus? pronunciat Apoſtolus infatuatam à Deo ſapientiam hujus mundi: & nos ſcilicet acumen illi tribuemus, quo ad Deum & cæleſtis regni adyta penetrare poſſit? faceſſat à nobis tanta vecordia. --- neque hic garriat. hactenus Calvinus. Non poſſum non hiſce adjungere quæ habet Strangius: *duplex autem eſt cæcitas & durities. Una naturalis, quæ nobis innata eſt in ſtatu corrupto, ex tranſgreſſione Adami ad nos derivata, de qua dicitur* homo animalis, *&c. 1 Cor. 2. 14. ſic durities & cor reſipiſcere neſciens, de quibus loquitur Apoſtolus Rom. 2. v. 5. naturalia ſunt cuivis homini corrupto. Alia eſt cæcitas & durities accerſita ſeu acquiſita, vel ſupervenienſ, quæ per voluntariam malitiam attrahitur, & nihil aliud eſt, quam incrementum cæcitatis & duritiei naturalis peccandi conſuetudine adauctæ: quando nempe inſita cæcitas & durities contemptæ ſcientiæ ac conſcientiæ uſu augetur. Prior illa cæcitas eſt peccatum & cauſa peccati, poſterior eſt & peccatum & cauſa peccati & pœna peccati.*

Strang. de Volunt. Dei Libr. IV. Cap. VIII. p. 821.

Ne queratur autem Wolzogen elenchum à me ignorari & omnia hæc ab ipſo concedi, hoc enim ſaltem evincitur, tam longè abeſſe, ut illi, de omnium Theologorum obſcuritate quicquam dicere licuerit, ut ipſe potiùs intricatiſſimè & obſcuriſſime ſcripſiſſe ex illis convincatur. Poſthac prudentius agat, & heterodoxias amolietur ſuſpicionem, ſi heterodoxus non ſit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Strict. IX. Hiſce minus intentus, quæ Controverſiam capitalem propiùs aliquantulum reſpiciunt, clarè & diſtinctè percepit & ſcripſit: ſpecimen videamus. Sic ait p. 16. *Fatemur eſſe quædam in Scripturis quæ non valeamus aſſequi: non tantum vitio mentium ---- aut ſublimitate rerum ---- ſed ipſa Scripturæ quadam conſtitutione* p. 18. *eſſe talia in Scripturis credo quæ tum demum intelligentur ab hominibus, quando eſſe deſinet Scriptura*, p. 83. *non futurum unquam ut aſſequamur omnia quæ Scripturis traduntur.* Hæc autem conferantur cum ſequentibus. p. 17. *Nec unquam talem in Scripturis extitiſſe locum qui nunquam & à nemine intelligi poſſet.* p. 19. *dubium non eſt quin aliquando, quin alicui, etiam qua parte nobis videtur obſcuriſſima, vel intelligi, vel intellectum iri, ſi non ſit aliquando intellecta, aut poſſe ſaltem intelligi, ſi ritè legatur ſtatuere poſſimus.* p. 149. *intereſſe divinæ gloriæ puto, ut ne quid memoriæ prodi juſſerit, quod non intelligatur ab iis quorum gratia id fecerit.* Imo ipſa p. 15. Ubi paulò ante, lin. 17. dixerat, *non quod omnia pervia velim in Scriptura ſtatuere* Lin. 22. & ſeqq. ait, *nil ita ſcriptum à Deo eſſe ut --- non aliquis inde ſenſus, ex mente quoque Dei, erui queat. Quæ ut intelligam qui conciliari poſſint, opus habeo Interprete.* p. 128. Extundat inde perſpicuitatis tantopere jactatæ lucem qui velit. Ego præter contradictiones, ad minimùm, egregias ἐναντιοφανείας, vix quicquam reperio: præterquam quod quædam, accuratiùs penſitata, ab heterodoxias crimine vix immunia apparerent. Turpe eſt Doctori, cum culpa redarguit ipſum. Nollem per Wolzogium, omnes Theologos, non dilucidæ tractationis inſumulatos: ſed mirabiliora ſequentur. Unum velim, nimirum ut mihi locum vel unicum indicaret, ubi ita directè Paradoxo, quem vocat, ac quidem hic ſibi ipſi contradicit. Ego ſaltem talem invenire non potui.

p. 24.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Pagina 24. illud occurrit, quod veneranda Claſſis Leovardienſis, unanimiter, abſurdum judicavit, in ſuo ad Synodum Anni 1668. miſſo gravamine: ſic ſonant verba, *ſufficit Deum dixiſſe, ut ſciamus eum fallere nolle. Dico nolle eum fallere, ut ne credatis non poſſe, ſi velit, cum enim omnis qui alterum fallere aggreditur, eo cenſeatur in iſta re quodammodo ſuperior eſſe, & vel acumine quodam ingenii, vel potentia, aliave quacunque facultate præſtare, ſitque Dei, tum ſapientia tum potentia, cæteraque omnia attributa infinita; quis non videt creaturas etiam perfectiſſimas, quia ſunt ſemper finitæ, eopſe quod creaturæ, ab infinito creatore poſſe in errorem induci.* Pia mens quî hæc non deteſtabunda, non gemebunda legat? tales in ſinu fovet Eccleſia. Putem Averroëm & alios crudum illud ἀρτολατρείας & θεοφαγίας dogma, non magis à Chriſtianiſmo abſterruiſſe, quam iſtud Judæis & cunctis infidelibus ſcandalo futurum ſit, ſi innoteſcat. Deo fallendi potentia eſt? horret animus! idque perfectionem dicit? næ, illud idolum evadet, quod fallere queat: ſcilicet ſimilia dixerant Carteſius & Venerandus ſc: Senior Velthuyſen & pauci lucis filii. Excuſent, pallient, quocunque colore velint: non decet tamen ita de Summa & tremenda Majeſtate irreverenter & prophanè loqui. Verax Deus & Vindex audit: ignoſcat tibi iſtud enorme dictum! *At vero ſe parum hic Theologum, qui potentiam Dei recte percipiat, oſtendit Carteſius*, ait Schulerus, mutetur nomen & omnia quadrabunt: *nos*, *ait idem ad* §. XXIX. *nec voluntatem nec potentiam fallendi in Deo eſſe poſſe conſtanter aſſerimus. Notandum fallendi potentiam magnæ imperfectionis eſſe ſignum; nam, qui fallit alium, mentitur, eique pro ipſa veritate ſpeciem duntaxat illius ſeu apparentiam obtrudere conatur. Qui mentitur, aliud internè ſentit, & aliud externè ſive voce ſive*

Strict. X.

Cartes. Reſp. ad Obj. 2. 1 P. §. XXIX.

Velthuyſen bewijs dat noch de Sonne Stilſtonde.

Schuler. Exercit. ad 1 part. p. Cart. §. 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſigno enunciat, adeoque à ſe ipſo diſſentit, & quaſi duplex eſt; cum autem duplicitas & diſſenſio in Deum non cadant, quia ſummè unus & ſimplex eſt, utique nec mentiendi aut fallendi in ipſo potentiam eſſe poſſe, evidens evadit: cumque Deus ſit ens abſolute perfectum, utique & veracitatem, quæ voluntatis perfectio eſt, eminentiſſimo modo in ipſo contineri, manifeſtum eſt; & hoc ſenſu Veteres olim Deum αὐτοαλήθειαν *dixere. Quemadmodum igitur tenebrarum cauſa Sol eſſe nequit, quia natura ſua lucidus eſt, ita neque erroris, mendacii aut falſitatis cauſa Deus eſſe poteſt, quia natura ſua verax eſt, ut dictum. Præterea cum mendacium procedat vel ex ignorantia, vel ex errore judicii, vel ex malitia morali, quorum nihil in Deo eſſe poteſt, cum ſit omniſcius, ſummè ſapiens & infinite bonus, utique erroris, falſitatis, aut mendacii cauſam ipſum eſſe non poſſe colligitur.* Scitè admodum & acutè Vir Doctus ita de Wolzogio. *Novi ſimiles & alios Interpretes Carteſii, prorſus inſubidos, quique mali videntur in opprobrium ſui præceptoris. Ita nuper nonnemo, tanquam juxta mentem Carteſii, pronunciavit, poſſe Deum fallere ſi velit, ſed non velle. Quo nihil dici poteſt, ut molliſſimè loquar, inconſideratius. Huc nimirum recidit maleſana Philoſophatio; Deum poſſe quidem à vero deficere ſi velit, ſed non velle. Deum poſſe quidem fieri non Deum ſi velit, ſed non velle.* Solida argumentatio. nam revera qui poteſt aliqua imperfectione laborare, is poteſt eſſe non Deus, jam autem fallere ne quidem concipi poteſt ſine falſitate & imperfectione. Purus etiam Scepticiſmus docetur hac methodo: ſi enim fieri queat, ut Deus unquam fallat, unde certus eris Deum non fallere in omnibus? dicat licet in verbo ſuo expreſſis verbis, ego non fallo, eo ipſo enim quod ponatur eum poſſe fallere, imo verbale mendacium proferre, quod concedit Cartes & ex eo cum Paſtore hocce, Senior

Vogelſang. Diſput. Theolog. 2 Continens. Vindc. c. Criminat. ſuper Dubitat. Cartes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Velthuyſen, unde novero eum nunc hiſce ipſis verbis hoc non agere, non fallere, etiam dum dicit, ego jam non fallo: Deinde ſit enunciatio quædam ſingularis, unde conſtabit an Deus eâ fallat nec ne; vide quò eas bone Vir. Nunc clament Pontificii, Remonſtrantes aliique nos Deum peccati facere authorem, ſaltem ipſi peccandi potentiam adſcribi. Nunc merito Papiſtis & Ubiquitariis vapulabimus, πολυτοπίαν & παντοπίαν impoſſibilem dicentes, dum interim mentiendi, ſaltem fallendi, potentiam Deo tribuimus. Denique mendacia officioſa loquens, Deum imitabitur: apage ineptas iſtas nugas dicam an horridas blaſphemias. Tam brevis tibi præ nimia perſpicuitate fuit memoria Wolzogi, ut verborum paulò antè, imò eadem pagina, dictorum oblivio te ceperit? *à veritate falſum proficiſci, à bonitate deceptionem, perfectiſſimæ naturæ repugnat.* Deum *falſum dicere non poſſe*: jam vero fallere poſſe, non tantum non repugnat, ſed perfectio videtur: quod perfectiſſimæ naturæ repugnare dixerat, jam Deo tribuitur, egregie ſane & perſpicue. Nec evadis dicendo, id *tamen eum velle negamus*, at unde hoc tibi conſtat? qui ſcis, toto verbo ſuo, te non fallere Deum, etiam dum ſe non fallere dicit? dic jam ubi pedem figas. Sed audiamus, *ea enim decipiendi voluntas concipi vix poteſt, quin aliquid habere cenſeatur, vel malitiæ conjunctum, vel imbecillitatis animi, quæ cum utraque magnam arguant imperfectionem, ab eo removenda, quem* &c. Pudeat te! quid dicis? intelligi *vix* &c. tam tenuiter, tam meticuloſe vera dicis: & quid ſi *vix*? tu igitur Deo tribues quicquam, quod abſque malitiâ conjuncta & imbecillitate animi, concipi vix poteſt? Scriptura aliquid perſpicuè ſi dixerit, rationi tuæ modo repugnare videatur, commodè explicandam cenſes: jam quod Scriptura, quod ratio clamant, dictant diſertè, vix audes eloqui? Bileam te doceat,

Velthuyſen loc. citat.

pag. 9.

pag. 24. L. 4. & 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Numer. XXIII. 23. Deus fortis non eſt homo qui mentiatur, aut filius hominis quem pœniteat: an ipſe dixerit & non faciet? aut loquutus fuerit & non præſtabit illud? Exſertius vero Apoſtolus Tit. 1. 2. Deus ille mentiri neſcius. Imo veritas Joh. XIV. 6. Qualem tandem diſcemus Theologiam? dicetur Deus aliquid poſſe quod non poteſt dici velle, niſi aliqua ipſi tribuatur malitia, aut animi imbecillitas. Optime Biſterfeldius Pneumatices Cap. LVI. *Potentia Dei executiva eſt potentia activa, qua Deus omnia extra ſe facere poteſt, quæ libere velle poteſt.* Repugnat potentiæ ut agat, quod impoſſibile eſt abſolute, voluntas ut velit. Imo ſunt inter Scholaſticos qui putent voluntatem formaliter idem eſſe in Deo cum potentia. Divina voluntas juxta noſtrum Ameſium, habet rationem potentiæ, ut eſt principium effectivum. Qui conceptus, quanquam minus accuratus videatur P. Voetio, nihilominus tamen certum eſt, ut loquitur Mareſius, in ſenſu identico & materialiter, omnia in Deo eſſe Deum, & voluntatem coincidere cum potentia & vice verſa. Dicat jam Doctor dilucidus, quî aliquid cum voluntate ita pugnet, ut etiam in ſenſu diviſo illud Deum velle repugnet, quod tamen potentiæ perfectio, requirit ut poſſit. Optime Paradoxus alibi ſic de veritatis Spiritu, *in quem ne umbra quidem falſitatis aut fallaciæ cadere poteſt*, quæ probat Wolz. p. 143. Fidei divinæ ſubeſſe falſum poſſe, cum ſtatueret Maccovius, omnibus fere diſplicebat: Hoc autem quod tu ais, ulterius progreditur. Ille Dei ſinceram veracitatem, aliorum judicio, minuebat, quid jam de tuo conceptu dicet Reformatus orbis? quadrant hic verba Raimundi de Sabunde: *Magis audienda ſunt verba ejus, qui non poteſt mentiri, quam illius qui vel fallere vel falli poteſt.* Commentum de potentia peccandi in Chriſto, ab Arminio, ex Scoto, Durando, &c. ad liberi arbitrii defenſionem propoſitum, ſcimus quantopere

Opere MSC. quod penes me habeo à Doctiſſ. D. Tronchino.

Smiſing. Tract. 3. Diſp. 7. q. 2.

Medull. Lib. 1. Cap. 7. §. 47.

Theol. Natur. Ref. Cap. XIV. §. 1. N. 10.

Exercit. Parad. Cap. IV. §. 4.

pere

pere bonis & orthodoxis omnibus diſplicuerit, teſtes ſint, Voetius, qui *horridas* vocat *& profanas*, de hac Quæſtione, *Scholaſticorum diſceptationes*. Triglandius, etſi Apologia non aperte audeat Arminii veſtigia premere, ſic loquitur, *exhorreſcere oportet ad hac animum quemvis pium, & rite conſiderantem, qua & qualis ſit perſona iſta θεάνθρωπος*. Quantum autem illa adhuc diſtent, quis non videt? niſi qui divinam naturam humanæ, creaturæ creatorem præferre, nondum didicit. Quanto enim divinitas humanitate major eſt, tanto pejor eſt Wolzogii, in hoc negotio, quam Arminii error, hic Chriſto & quidem ſecundum humanam naturam, ille Deo fallendi potentiam tribuit, uterque impie & arroganter. Cloppenburgius Arminianos in eo refutaturus, hoc abſurdo eos premit, *quod tueri non poſſunt, infallibilem Chriſti veracitatem in Doctrina*. Quid autem dixiſſet, ſi hoc non ſolum, non abſurdum eſſe, ſed & Deum fallere, verbale mendacium proferre poſſe regeſſiſſent? non expectabat tam crudum ab ipſis Remonſtrantibus dogma. Jam ſi viveret, ex Paſtore Eccleſiæ Reform. idem & pejus intelligeret. Evigilet Eccl. Reform. & tantam labem maculamque abſtergat ſolenniter & citò.

Diſput. Select. tom. 2. p. 246. Diſputat IV. de hominis inſtaurat. Examen. Apolog. p. 440. a. Epiſt. Præſtant. Vir. pag. 295.

Pagina 26, & 27. quædam minus reverenter dicta vide, de oratione Scripturæ, loquens, *eas more prorſus humano exaratas eſſe* dicit. Scio hoc aliquo reſpectu dici forſan poſſe, ſed etiam de Deo & divinis vera loqui periculoſum cum ſit, non abſque limitatione & debita obſervantia id fieri neceſſe eſt: quod ſi cogitaſſet, non ita leviter de ſacri majeſtate ſtyli loqueretur, ac ſi credulitati Theologorum imputandum ſit, quod ex ea, Scripturæ divinitas probari poſſe putetur, *& in ejus explicatione non aliter eſſe verſandum, quam in aliorum librorum interpretatione*: Fateor

Strict. XI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

teor hæc omnia excuſari poſſe, niſi, ſaltem jactata, perſpicuitas deeſſet, & limitata ἀκρίβεια; crudum enim dictu eſt, non aliter in explicatione Scripturæ verſandum, quam aliorum librorum. Rem ipſam poſtea dabimus per Dei gratiam. aliter Baco Verulam. *alter autem Interpretandi modus, (quem pro exceſſu ſtatuimus) videtur primò intuitu ſobrius & caſtus; ſed tamen & Scripturas ipſas dedecorat, & plurimo Eccleſiam afficit detrimento, is eſt (ut verbo dicamus) quando Scripturæ divinitus inſpiratæ, eodem quo ſcripta humana, explicantur modo.* Hæc utinam cum luſu ſchacchico, ex eodem de Augment. Scient. Lib. IX. Cap. didiciſſet author! Argumentum à Styli Majeſtate, ab Epiſcopio, quem ſæpius quam Calvinum ſequitur Wolzogen, rejectum ſcio. Tu ſi rejicias, dicas dilucide, & adverſarium habebis quemcunque Reformatum Theologum. Quanquam fides illa etiam generalis, judice Cloppenburgio, Triglandio multiſque aliis, ſine aliqua, communi ſaltem Spiritus Sancti illuminatione, haberi nequeat, aut Scriptura ut Dei verbum recipi, nihilominus argumenta Scripturæ inſita ejus divinitatem affatim demonſtrant. *Methodus enim & demonſtratio fidei illius, ſc: qua Scriptura ut Dei Verbum recipitur, non eſt petenda apud infideles, ad fidem adducendos, ex interno illo Spiritus S. teſtimonio. Pendet ergo ea, donec intus perſuadeantur, ex pondere illorum argumentorum quorum primum eſt Styli Majeſtas.* Credunt igitur Theologi ex Scriptionis Majeſtate probari Scripturæ divinitatem, negat Epiſcopius. Wolzogius quid ſentiat, lectori divinandum relinquit. Quod enim de impreſſa Scripturæ imagine Dei habet p. 54. non excuſat; nondum enim conſtat, an Styli Majeſtas ad hujus imaginis lineamenta pertineat, ex ipſius ſententia, nec ne.

Clop-penb. Exercit. Theol. Diſput. 2. Theſi 2, 4, 5. Trigland. Exam. Apolog. p. 42. *b.* Confeſſ. Belgica Art. V. Gallica Art. IV. &c.

Strict. XII.

Pagina 31. *Ratio fidei lumen ſæpe mutuatur*, dicit author.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

author. Rurſus non ſatis dilucide. Videri enim poteſt, ſtatuere Philoſophiam illuſtrari à Scriptura, ſed inde concludi forſan poſſet, Scripturam dogmatizare etiam in naturalibus, quod Lipſtorpium poſt converſionem, Velthuiſium, Wittichium, alioſque lucis filios, vereor ne offendat. *Scriptura rationis lumini etiam aliquid debet* ait author, ſed audi. *Fidei eſt rationi præſcribere, & id facere, ut ne ſit opus ratione. Sin rationem requiris, & quærendum putes, ergo non credis. Ut certe ratione ſua abuti convincantur, quicunque hac in parte nimis rationales videri volunt. Quid aliud eſt rationis naturalis niſus, in religionis negotio, quam religioſa quædam inſania, imo verius irreligioſa ſtultitia, & rationale delirium.* Verba ſunt Heidani.

Heidanus Faſcicul. Diſput. de Socinian. Diſput. 2. §. 4, & 5. Diſput. 3. §. 8.

Lubet adſcribere quæ Heereboord huic negotio inſervientia, ſcripſit, etiam cum rationis & Philoſophiæ cauſam ſtrenuè agebat adverſus Ameſium, *quantum inquit differunt* πιστεύειν & διανοεῖσθαι, *hoc eſt credere & ratiocinari, tantum differunt haud dubie,* πίστις & ἐπιστήμη, *ſive ſcientia, id eſt, habitus aſſentiendi propoſitionibus demonſtratis: quare cum Theologia ſit,* πίστις, *& Philoſophiæ pars, quæ de Deo, rebuſque incorporeis diſſerit, ſit* ἐπιστήμη, *ſequitur, diverſos eſſe mentis habitus, etiamſi habeant idem objectum. ---- in Theologia revelata longe aliter ſeſe res habet: illa enim, non rationes ſequitur, ſed in Dei* αὐτοπίστου *fide, quæ omnibus rationibus ac demonſtrationibus certior eſt ac firmior, ſine ulla inquiſitione atque examine acquieſcit: & ſine erroris metu.* Hæc clara ſunt, at de hiſce impoſterum latius.

Heereboord. Diſſert. præmiſſa Philoſophiæ primæ Biſterfeldii pag. 11. pag. 16.

Pagina 33. occurrunt hæc verba: *qui omnes perfectiones cum alio communicat, ipſum amittere eas neceſſe eſt, quæ dividi non poſſunt.* In hiſce ἀκρίβειαν deſidero & perſpicuitatem aut veritatem & orthodoxiam; illam, ſi ſalvam velit de S. S. Trinitate doctrinam; hanc ſi verba ſua intellecta velit prout jacent.

cent. Niſi enim addat ſe de perſonalium, non vero abſolutarum perfectionum, communicatione loqui, quæque fiat cum eo, qui ſit alterius eſſentiæ, procul dubio errat graviſſime. *Utraque enim proceſſio*, ſic feliciſſimus ille Socinianæ blaſphemiæ debellator Biſterfeldius, in divinis *eſt communicatio divinæ eſſentiæ & quidem immanens*, ſimul cum omnibus perfectionibus. Pater autem dando filium habere vitam in ſe, eo vitam non amiſit, communicavit tamen. Si autem dictam limitationem addat, ſummæ inadvertentiæ reatum, pro tantopere jactatæ perſpicuitatis encomio, fateri debebit neceſſario.

Lib. II. Sect. III.

14. Properamus ad examen effati quod refert p. ſeq. ſic ibi author, rationem Dei beneficio nobis indultam dixerat, *cui*, inquit, *quando clare diſtincteque percipit, ſi quid eſſe contrarium poſſit, quod ſit tamen verum, non video qui poſſit ab omni dolo ſanctiſſimum numen abſolvi.* Proram ſcilicet videmus novæ Philoſophiæ & puppim, duo autem de hoc effato diſquiri poſſunt, toto genere diverſa. Primum, an effatum iſtud verum ſit, *quicquid clare & diſtincte percipio illud eſt verum:* Alterum, an conceſſa huic axiomati veritate, tuto pro veritatis norma & regula idem recipiatur. Illud diſquirendum Philoſophis. Nec enim libertati Philoſophicæ detrahendũ quicquam eſt, modo ne in infrunitam degeneret licentiam. Cui ſi Eccleſiæ invigilandum aut attendendum non eſſe quis dixerit. Is nec Philoſophiam, nec Theologiam, nec quid ſit Cenſura, de qua loquitur, hactenus didicit. Philoſophica fateor ad Paſtorum Eccleſiæ tribunal non pertinent, ſed an Philoſophi in Theologiam quando involant, procul inde non arcendi & quidem à Theologis? hoc autem, utpote maximi periculi, diſplicuit, præcedenti anño, omnibus Claſſis Leovardienſis membris; ita, ut gravamini, de damnoſis, quæ ingruunt, novitatibus, inter alias, etiam hanc

quæ-

quæſtionem, Synodo examinandam tradere ipſis viſum fuerit. Quoniam vero Wolzogio, nulla cogente ratione, etiam hoc effatum adoptare placuit, agedum paucis id expendamus. Sic igitur juniores Philoſophi, *Quicquid clare & diſtincte percipio, illud eſt verum.* Varius hujus effati poteſt eſſe ſenſus. 1. Vel enim ſignificat omnia quæ percipio, modo clare & diſtincte, etiamſi ſimpliciter ſolum apprehendam, ea ſunt vera; hoc autem ſenſu falſiſſimum iſtud axioma eſt. Etenim mens noſtra, cùm habeat facultatem repræſentandi diviſim, ea, quæ cognoverat conjunctim & vice verſa, ita ut clare & diſtinctè repræſentari queant conjunctim, quæ revera non exiſtunt niſi diviſim: Quid vetat montem aureum aut ſimile quid, non repugnanter fictum, clare & diſtincte mihi repræſentare quod tamen exiſtere nullo modo, certum eſt. Jam dudum docuit Scaliger *in ſimplici*, apprehenſione, *intellectione nullam eſſe veritatem.* Et error, cum, ex mente Carteſii, voluntatis ſit, judicium quippe in voluntate collocat, procul omni dubio in ſimplici apprehenſione, quippe quæ actus eſt intellectus, voluntatiſque actionem omnem antecedens, verum vel falſum eſſe non poteſt; ſimplex autem apprehenſio cum etiam clara & diſtincta eſſe poſſit, ſequitur neceſſario non omne eſſe verum quod clare & diſtincte percipio, hoc ſenſu. Illud eſt quod in negotio de Idea Dei notavit Ignatius Derkennis, conceptum ſimplicem & apprehenſivum confundi cum diſcurſivo & judicativo. Deinde omnes res poſſibiles clare & diſtincte cum percipiamus, non aliter, ex mente Carteſii, eas percipimus, quam ut exiſtentes, quapropter applicato hoc effato ſequetur, omnes res poſſibiles exiſtere revera: nec juvat dicere, eorum tamen exiſtentiam inde non ſequi; ex idea enim Dei iſta ratione deducis Dei exiſtentiam, quia Deum concipere te non poſſe dicis, niſi conceptum ingrediatur exiſtentia, cum

Scalig. de Subtil. Exerc. cccvII. §. 9. p. 893.

Ignatius Derkennis de Deo.

Confer. Dan. Voet. de Evident. & Certitud.

cum autem clarum & diſtinctum de poſſibilibus conceptum itidem ingrediatur exiſtentia, ut dicit Carteſius, quidni & inde ſequitur, quod dictum eſt, res illas omnes æque ut Deum actu exiſtere? præſertim cum *omnino à NOSSE ad ESSE valeat juxta Carteſium conſequentia?* Exiſtentia quidem Dei, non ut poſſibilis concipitur, ſed ut actualis, at id & obtinet in reliquis, eſſentia enim rei, ut abſque actualitate, abſque exiſtentia, non poterat concipi, ſic & neceſſario exiſtentia igitur etiam ut actualis concipi debet. Diverſam eorum rationem ſi dicas, *quia non intelligimus neceſſe eſſe, ut actualis exiſtentia cum aliis aliarum rerum proprietatibus conjuncta ſit, verum quod intelligamus exiſtentiam actualem neceſſario & cum reliquis Dei attributis conjunctam eſſe.* Regero hæc optime dici ſecundum rei veritatem, non vero tuam Philoſophandi methodum. Cum enim ex eo quod clare & diſtincte rem percipis, (quæ perceptio apprehenſio tantummodo ſimplex, vel te teſte, eſt, vel eſſe poſſet, quamque tu contradiſtinguis judicio) colligas, quid de repræſentati natura dicendum ſit; in utriuſque autem tum Dei tum aliarum rerum ideis ſemper tibi repræſentetur conjunctim cum aliis attributis exiſtentia, quæ an ſeparari poſſit nec ne, illa cognitione nondum cognoſcis, cum id judicare ſit, utique æque ex clara & diſtincta cognitione ideæ aliarum rerum, quam ex idea Dei, exiſtentia ſequetur, quippe in utriuſque prima ſimplici apprehenſione juxta te incluſa, & ad eam ut concipi poſſit requiſita. Sed alio ſenſu an admitti ut veritatis norma poſſit hoc effatum videamus, vel igitur 2. hoc vis, omne illud quod tu clare & diſtincte concipis exiſtere, illud etiam revera exiſtere. At 1. ſic non docet Carteſius, quærenti enim quomodo ſequatur *cogito E. ſum:* Reſpondet his verbis, *in hac prima cognitione nihil occurrit, quam clara quædam & diſtincta perceptio ejus quod affirmo; quæ*

ſane

ſane non ſufficeret ad me certum de rei veritate reddendum, ſi poſſet unquam contingere, ut aliquid quod ita clare & diſtincte perciperem falſum eſſet: hinc generalis illa regula, quicquid, &c. 2. necdum ſequitur, poſſet enim à te ficta, ex te orta eſſe talis rei finitæ ſaltem idea, ad minimum non conſtat, an ex te ipſo re ſimili nullibi exiſtente iſta idea ortum habeat, an vera res quædam ſit, quæ ſe tibi offerens tale ſui repræſentamen tibi reliquum fecerit: ſicque nihil adhuc evincis. Porro ſit quædam res & revera ſit, habeas ejus ideam & quidem veram, eam intueare: cum autem aliquam huic ſimilem tibi ipſi finxiſſe potuiſſes, unde jam conſtabit, te revera veri hominis e. gr. ideam intueri & non aliquam fictam, illi ſimilem, cujus itidem habes claram & diſtinctam perceptionem. 3. Imo ipſe Carteſius ei non fidit: dicit enim ſe nulla alia Phyſices principia poſuiſſe quam quæ evidentiſſime perſpecta erant, ut & nihil inde niſi per Mathematicas id eſt neceſſarias & evidentes conſequentias collegiſſe, & omnia iſta ita naturæ Phænomenis ad amuſſim conſenſiſſe, ut injurio in Deum fore dicat, ſi qui cauſas rerum, hoc pacto ab ipſo inventas, falſas ſuſpicarentur. Quo facto clarè & diſtincte concipit rerum naturam & ordinem ſe tali modo habere. Nihilominus clara hac & diſtincta hujus ordinis conceptione non obſtante, de tota ſua diſſertatione ipſe ſic loquitur. *Quinimo etiam, ad res naturales melius explicandas, earum cauſas altius à ſe repetitas, quam ipſas unquam extitiſſe exiſtimet.* & in margine dicit, *ſe hic hypotheſes nonnullas aſſumturum quas conſtat eſſe falſas.* Neque etiam ei fidere potuit, concedit enim, aliis hypotheſibus pro fundamento jactis, eadem naturæ Phænomena, alia prorſus, quamvis operoſiore forſan, methodo, etiam clarè & perſpicuè explicari, ſicque & clare & diſtincte concipi poſſe. Quinimo evidenter ejus falſitatem profitetur, falſam enim rerum diſpoſi-

Princip. III. §. 43, 44.

§. 47.

diſpoſitionem & hypotheſes dicit, quas clarè & diſtinctè conceptas narrat. Et mirum eſt, cum clara illa & diſtincta perceptio, ipſo judice, mentem defæcatam & præjudiciis liberam prærequirat, hoc eſt Carteſii Philoſophantem methodo, *eum nemini authorem eſſe velle, ut ſimile quid aggrediatur.* Niſi tanti non eſſe hanc regulam ipſe judicaſſet. Si enim unica hæc veritatis via ſit & norma, quid attinet id diſſuadere, quod in quolibet ea regula rite uſuro prærequiritur?

de Methodo. p. 13.

Exponam brevibus quid de re tota ſentiam. Rei perceptio & receptio in mente eſt noſtra intellectio, ſit verbo venia, prout autem magis vel minus diſtinctè & clarè ejus rei quaſi imaginem, ne autem de corporibus ſolum loqui videar, repræſentamen dicam, conceptum, ideam, habemus, eo magis eam rem cognoſcimus: plane ut varias inter hominis picturas, una magis, altera minus, exemplari ſimilis eſt. Hæc autem proprie rerum ſpectant naturam & attributa eſſentialia, exiſtentia enim rei aliquando magis certa eſſe poteſt, illi qui minorem in ſe habet rei ſimilitudinem, quam illi qui majorem, quod in rebus fidei abunde patet. Quoniam vero, verum eſſe quid poteſt, quod nec clarè nec diſtinctè à me cognoſcitur. Et fictum, quod clare & diſtincte percipio. Imo aliquid cognoſci quod ad τὸ ὅτι, cujus interim naturam & non clare & diſtincte cognoſco, ſequi videtur regulam vix ullius eſſe momenti. Manet enim ſemper id unicè inquirendum, non, an clara ſit & diſtincta mea perceptio, ſed an objecto conveniat nec ne, & in quantum, an detur conceptus cum re adæquatio, quæ vox, cum abſque periculo, de conceptu infiniti uſurpari non poſſit, potius dicam, convenientia & in quantum detur, quod cum ope legitimæ ratiocinationis ſciri debeat, tandem redibimus ad priſtinas Philoſophandi leges & nihil tanta gloriatione digni, in iſta regula reperiri poſſe, certi evademus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

mus. Non etenim mea perceptio, non meæ perceptionis claritas & perſpicuitas, veritatis norma eſt, ſed *illud* potius pro norma habendum, ex *quo* de conceptus mei, cum re ipſa convenientia, aut diſcrepantia, certior evadere poſſum: *quod* claritas & perſpicuitas illa, eſſe ſemper non poteſt, ut ex ſupra dictis conſtat. *Non enim ſtatim in ſe clarum eſt, evidens, neceſſarium & certum quod tale videtur homini, etiam conſcio ſuæ perceptionis: ---- unde liquet NB. quamlibet conſcientiam noſtræ perceptionis, niſi irradietur lumine fidei, eam errori non ſubducere.* Si dicas te per claram & diſtinctam perceptionem nihil aliud intelligere, quam rei ipſius, menti, quod ad omnia, ut ita loquar, lineamenta, à corporeis enim voces deſumi neceſſe eſt, repræſentationem prout eſt extra mentem: teque dicere illam cognitionem eſſe veram cognitionem. Non quidem inficior, ſed dico 1. te tum ſolum eam cognitionem vocare veram, quæ comprehenſiva eſt, qua res tota, & ejus omne, ut ita loquar, cognoſcitur. 2. te identicam tum proferre enunciationem, aut ad ſummum, definitionem, veri conceptus comprehenſivi, non autem omnis conceptionis & cognitionis firmam regulam. Idem enim eſt ac ſi diceres quicquid vere percipio, id vere percipio, nam clare & diſtincte concipere hoc ſenſu, eſt rem concipere prout eſt, id eſt vere percipere, in iis quæ comprehenduntur. Multis hoc effatum commendat Velthuyſen, eaque quinque argumentis complectitur, quæ ita authori placuere, ut in diverſis tractatibus, iiſdem pænè verbis eadem reponat. 1. Primum eſt, *Quod clarè & diſtinctè percepta nobis tantum ſoleant perſuadere.* idem Wolzogius alibi, *ſi ſit vera* inquit *perſuaſio à veritatis orta cognitione fuerit.* Sed 1. principium petit turpiter, illud enim in quæſtione eſt. 2. directè contrarium docet Velthuyſen, & affectibus abreptus, dum Enthuſiaſtas inſectatur, axio-

Mareſ. c. Anon. Diſp. Refut. priores. §. XXV.

de Uſu Rat. in Theol. p. 2. & 3. de Init. Primæ Philoſ. p. 29, 30. p. 201.

matis

matis ſui oblivione captus videtur, fatetur enim & conqueritur alibi, *homines dari qui tantopere à ſuis imaginationibus afficiantur, ut facile ſibi perſuadeant, falſa eſſe non poſſe, quæ ita ſeſe menti inſinuarunt*: falſa licet ſint, de talibus enim loquitur. *Multis enim*, vel Carteſio teſte, *poſſumus aſſentiri, quæ non niſi perobſcure & confuſe cognoſcimus.* En igitur perſuaſionem abſque clara &c. en perſuaſionem non à veritatis cognitione ortam! 3. Reclamat omnis experientia, quotus enim quiſque eſt, qui non ſæpe à falſis, à fictis perſuadeatur? nonne Protoplaſtis in ipſo innocentiæ ſtatu Diabolus falſiſſimis rationibus falſa perſuaſit? Si autem dicas, præcipitantiam aut præjudicium id fore, non perſuaſionem, de nomine te litigare, principium petere te conſtat. Ciceroni perſuaſus dicitur etiam qui opinione imbutus: hic autem perſuaſionem voco, qua aliquis ad aliquid credendum aut faciendum animo permotus eſt: illud autem non veritate ſolum, ſed & falſitate, ſub veri ſpecie, fieri poſſe, imo fieri ſæpe, nemo ſanus negaverit: ſic Achab à Spiritu malo perſuaſus dicitur, ſic quotidie errantibus peccatoribus, perſuadentur falſa malaque. Imo ſi nihil niſi veritas perſuaſionem efficiat, à peccato omni, ab omni errore, immunes erimus omnes, quippe peccatum & error *perſuadere non poſſunt, ſaltem non ſolent. Impetrare à nobis non poſſumus*, inquit, *ut obſcure & confuſe cognitis, quamdiu talia nobis apparent, aſſenſum præbeamus.* At 1. multa procul omni dubio, quæ veriſſima licet ſint & neceſſaria, ſic à te non admittentur, præcipue autem, fidei Myſteria, quorum incomprehenſam abyſſum, cerebellum noſtrum diſtincte non recipit, quamvis clare, utraque voce ex mente Carteſii explicata. 2. Quid? ſi quis putet ſe clare quid & diſtincte percipere, falſo licet id putet, dubitandum tamen non eſt, quin iſta perceptio imaginaria permotura ſit & perſuaſura:

pag. 72.

Cicero 1. de Nat. Deor.

1 Reg. XXII.

Quod in peccatis, in falſis dogmatibus, in correctis propriis erroribus, luculenter videre eſt. 11. Quod objicit Medicus ſecundo, ſic ſonat. *Cum clara & diſtincta perceptio ſit aliquid*; Concedo: ſed quid jam porro? & omnes actus peccaminoſi, omnes actus intellectus erronei, voluntatis perverſi, ſunt *aliquid*: quid tum? *cumque conſtet nos iſtius rei auctores non eſſe*: niſi ſcirem quam concitatè adverſus Enthuſiaſtas egeris, certe de tuo Enthuſiaſmo mihi ſuſpicio ſuborietur, nullius ingenium hæc aſſertio magis ſapit, quam ſtolidi Weigelii, Schwenkfeldii aut ſimilium, qui itidem non nos ſed Deum agere in nobis fingunt, ita ut nos noſtrarum actionum cauſa non ſimus, ſed Deus: Si velis autem orthodoxe iſta explicata, id dixiſſe credendus es, nos quidem proximè, ut omnium noſtrarum actionum, ſic præſertim perceptionis & cognitionis noſtræ, cauſas eſſe; non independenter, ſed ſolum in genere cauſæ ſecundæ. Id quidem non infitior, novi enim, omne quod in univerſo ullibi realitatem habet & entitatem, idem in tantum à Deo eſſe in genere cauſæ primæ: ſicque fateor, omnem entitatem, omnem realitatem claræ iſtius perceptionis à Deo eſſe, in genere cauſæ primæ: ſed an inde ſequitur eandem à nobis non eſſe in genere cauſæ ſecundæ? ſic argumentantur ab una parte Enthuſiaſtæ, ab altera Pelagiani, illi ut omnia Deo tranſcribant, hi ut, gratiam & providentiam Dei ſpernentes, hominem, ejuſque vires in cælum uſque evehant: Quidni porro idem, de omni perceptione, etiam non clara, etiam non diſtincta, imo falſa, quidni de omni actu peccaminoſo dici poſſet? Deum enim omnia, in tantum, authorem habent, ſed in genere cauſæ primæ, in quantum entia, in quantum realia ſunt, licet & à creaturis in genere cauſæ ſecundæ proveniant. Pergit Velthuyſen & urget *hanc perceptionem à Deo eſſe eo magis ſtatuendum, quod inter claram & diſtinctam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

cognitionem & inter aſſenſum, quem voluntas tali diſtinctæ & claræ cognitioni præbet, talis ſit nexus, qui neceſſario Deum auctorem habet. At unde ille nexus in genere niſi ex eo, quod taliter hominem creaverit Deus, ut intellectûs perceptionem ſoleat ſequi voluntas, (modo objectum activitatis ejus ſphæram ne excedat, modo ne aliqua impotentia obicem ponat, quod addo ne illuminatam mentem ad regenerationem perficiendam, quis putet ſufficere, qui error, ex Velthuiſii verbis, forſan extundi poſſet.) Quando autem ſignatus aliquis, in individuo, actus, vi illius nexus proveniens, conſideratur, quid in eo ſingulare eſt, præter id, quod veritas concurſus, tam providentiæ, quam gratiæ, docet de ſingulis & univerſis creaturæ rationalis actibus? *nexus ille Deum auctorem habet*, ut dictum eſt, fateor: at nihil hinc pro tuo effato, ut patet itidem ex dictis. Deinde certum eſt omnem & univerſum illum, inter iſtarum facultatum operationes, nexum naturalem, à Deo eſſe: nemo autem inde omne, in quo exeritur iſte nexus aut patet, Deo ſic tribuet, quin Deum omnis erroris, omnis peccati, fecerit cauſam: à quo tam longe hi Doctores abſunt, ut potius adverſarios in hoc negotio ejus criminis reos agant. Sic enim Wolzogen, *Non video quî ab omni dolo ſanctiſſimum Numen poſſit abſolvi.* Paulo modeſtiori dictione, quam Carteſius, ſic enim ille, *merito deceptor eſſet dicendus Deus*; Longe aliter Celeberr. Mareſ. *Nec ſi erremus in iis quæ putamus nos clare & diſtincte percepiſſe, id adſcribendum eſſet ipſi Deo, Creatori mentis humanæ, ſed noſtræ ex peccato corruptioni, ex qua factum eſt, ut oculus rationis ſe habeat ad veritatem, quemadmodum oculus noctuæ ad lucem, ut Ariſtoteles loquitur. Horrenda mihi hæc ſunt*, inquit Schulerus. *Ecquis enim Deum, abſolutum omnium Dominum, conſtringat, ut perfectam mentem, aut intellectum falli neſcium,*

nobis

Carteſ. pag. 1. §. XXX. Mareſ. Loco citat. §. XXV. Schuler. Exercit. ad I Princ. Quæſt. XXVIII.

nobis concedat? Nonne enim Deus eſt, qui mutum Exod.
creavit, aut ſurdum, aut ſenſibus valentem, aut cæ- IV. II.
cum? *Nonne fatendum nobis, mentem noſtram ad errandum perquam eſſe proclivem, noſque animam poſſidere ab origine occæcatam, & tenebris plus quam Cimmeriis natura involutam? Et, nunquid propterea Deum deceptorem faciemus nos, quem veraciſſimum eſſe, omniſque veritatis fontem jam ante demonſtratum fuit? Viderint jam Carteſiani, quomodo non deceptorem faciant Deum, cum animam ab origine imperfectam, obtenebratam & cæcam quaſi inditam nobis eſſe, tum ex Theologia, tum ex vera Philoſophia, certum ſit. Fateor quidem iſta, quæ veritati repugnant, nequaquam evidentia, nedum vera fuiſſe, talia tamen viſa ipſis fuiſſe exiſtimo. Quin & ipſi rogati de iis nullo modo dubitaſſe ſe ſtrenuè affirmabunt. Hoc tamen evidens non videri ſolum, ſed eſſe cenſeo, Deum nequaquam iſtius fallaciæ aut erroris cauſam eſſe, eam proinde in nobis ſeu in mentis noſtræ imperfectione quærendam eſſe, ex dictis apparet. Sicut enim omnia icterico corpora evidenter flava apparent, quæ flava non ſunt, propter humorem bilioſum quo ipſius oculus ſuffuſus eſt; perinde etiam haud mirum quod homini mente vitioſa & corrupta prædito non omnia ita appareant, ut revera ſunt: ſive quod falſa aliquando pro veris, ab ipſo apprehendantur.* Si vero hoc velint; claritatem eam eſſe aliquid, ac proinde etiam à Deo eſſe: At, bene rurſus in genere entis: & ſemper manet nodus, unde ſciam me clare ſcire, quoniam ſæpe putavi claram cognitionem eſſe, quam poſtea falſam deprehendi: ſicque nihil hactenus eviciſti: ſemper enim manet, ſuperius mota difficultas. Tandem unde conſtabit Philoſopho, hominem peccato quodam non meritum tantam mentis corruptionem, ut in omnibus ſemper fallatur? Videmus maximis mentem à natura tenebris obſeſſam, & quidem in ſpiritualibus tantis, ut ſimus te-

nebræ, & ne vel unicum veræ intelligentiæ actum exerere apti. Unde jam noverit Philoſophus ſic & in omnibus rem non habere? Imo quoniam Dei perfectioni repugnare putat, habere mentem quæ clare percipiens fallat, quidni repugnat habere talem ut unquam falli poſſit? Acu totam hanc rem tangit Vir Summus P. Gaſſendus, cujus verba lubet adſcribere quippe *cui*, Schoockio judice, *hactenus nemo ex Patronis hujus argumenti, cum ratione reſpondere potuit.* Sic ille. *Verum tametſi dubitet nemo, quin Deus ſit author claræ diſtinctæque notitiæ; An non videmus eſſe multos, qui putent ſe habere claram, diſtinctamque notitiam, & tamen fallantur? Dicis non habere reipſa talem; alioquin enim non fallerentur; neque enim niſi aliquid norint, cujuſmodi eſt; id clarè, & diſtincte norint, quandoquidem ne norunt quidem. At quia nihilominus tam illi putant ſe habere, cum non habeant, quam alii ſe putant habere, cum habeant; & utrique pro certo habeant Deum eſſe, authorem eſſe, deceptorem non eſſe: An non ſupereſt Methodus tradenda, qua illi agnoſcant ſe ita habere claram diſtinctamque notitiam, ut non fallantur; iſti ita non habere, ut fallantur.*

Schoock. de Sceptic. L. II. Cap. 4. Gaſſend. Diſquiſit. pag. 234.

III. Tertium argumentum juxta cum reliquis ad numerum augendum additum videtur: *Habemus in nobis*, inquit, *Ideam veri & falſi, certi & incerti judicii. Sed accuratius examinantes, quare enunciemus aliquid certum & verum eſſe, quare falſum & incertum, apparet claram & diſtinctam cognitionem eſſe. Et qui profitetur ſe aliquid clare ſcire, ſimul ſibi perſuadet, ſe illam rem clare cognoſcere.* Priora verba ponunt quod in quæſtione eſt. Poſteriora vero, identica ſunt: clare ſcire & clare cognoſcere niſi multum differant. Semper remanet quæſtio, an ille conceptus ipſam rem exprimat & cum re conveniat, quod non ex claritate abſolute, ſed cum exemplari congrua videndum, ſicque multo molimine es ubi eras.

IV. Quar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

IV. Quartum non probat, ſed Autocratorice determinat potius & dictat. *Aut hæc eſt regula aut nulla*, hoc quæritur, *nam qualemcunque demonſtrationem requiras, nunquam ea nobis poteſt eſſe ſcientiæ fundamentum, niſi quando clarè & diſtincte cognoſcatur.* Id eſt, nulla eſt ergo hæc, præterquam quando, quod probandum erat, ſupponis; prodis clare ex Scepticiſmo emergendi vix nullam tibi viam reliquam præter iſtam, quam inſufficientem & licet ſufficientem, nec tutam, nec univerſalem vidimus. Deinde quid ſi adhuc ſcientiæ omnis lateat fundamentum & via? non ſequitur, aut hæc, aut nulla, poſſet enim alia adhuc ignota aliquando inveniri forſan: Saltem vera nondum inventa eſſe.

V. Pro quinto argumento rurſus idem repetit, *Quæcunque alia fingi poſſit regula, illa nunquam poterit aliquem uſum præſtare:* vides? hoc eſt de quo diſputamus. *Quia non poſſumus non clare & diſtincte perceptis aſſentiri & obſcure intellectis talem aſſenſum negare.* Qui potuerunt igitur Protoplaſti in errorem induci? Nimirum, ſub iſtis montibus inquit erant & erant ſub montibus iſtis. Non eſt quod ambigamus aut dubitemus, an Logicam Ariſtotelis aut Rami abdicaverit, ea enim talia argumenta docere non potuiſſent: Sic norunt iſti homines, conceptibus ſuis irretiti, ἀεροβατεῖν, putantes interim præter oracula ſe fundere nihil. Unum autem prætereundum hic non videtur, nimirum manifeſtiſſimum in hoc negotio committi circulum. Poſtquam enim pro regula generali receptum eſt, axioma jam dictum, illud nempe omne verum eſſe, quod clare & diſtincte percipis, dubium accurrit, an non potentiſſimus Deus facere poſſit, ut erres, in iis, quæ mentis oculis quam evidentiſſime te intueri putares, conſequenter an non facere poſſit, ut hæc regula tua eſſet falſa: *ut autem illud tollatur*, dicis, *examinare debeo an ſit Deus, &* (Dan. Voet. De Evid. & Certitud. Gaſſend. Diſquiſit. pag. 99.)

 ſi ſit:

Carteſ. Meditat. III.

ſi ſit, an poſſit eſſe deceptor; hac enim re ignorata, non videor de ulla alia plane re certus eſſe unquam poſſe. Sed quo medio illud evincis? nempe hoc, quod, *cum* idea Dei *maxime clara & diſtincta ſit & plus realitatis objectivæ quam ulla alia contineat, nulla eſt per ſe magis vera, nec in qua minor falſitatis ſuſpicio reperiatur.* Deinde *ex hoc uno, quod talis idea* (ſupple clara & diſtincta entis independentis & habentis omnes illas perfectiones, & nullis plane defectibus obnoxii, ut paulo ante dixeras) *in me ſit, ſive quod ego ideam illam habens exiſtam, adeo manifeſte concludo Deum etiam exiſtere &c. ut nihil evidentius, nihil certius ab humano ingenio cognoſci poſſe confidam.* Verum quid inde? *ex quibus ſatis patet, illum fallacem eſſe non poſſe; omnem enim fraudem, & deceptionem à defectu aliquo pendere lumine naturali manifeſtum.* Annon hic manifeſtiſſimus circulus? probas enim Deum ſummo perfectum eſſe, ex eo quod clare & diſtincte percipias ipſum talem eſſe; probas verò id quod clare & diſtinctè percipis verum eſſe &c. eo quod Deus ſit ſumme perfectus, nullo vero modo fallax. Canonis veritas ex Dei perfectione, Dei perfectio ex hoc Canone.

Vidit Carteſius ſibi iſtam difficultatem cum mille aliis, à Gaſſendo, ſolide motam non ſolum, ſed in inſtantiis ſtrenue defenſam & demonſtratam. Ne autem palam coram toto mundo Gaſſendus de ipſo triumpharet, aſtute prælium detrectavit, indignas Gaſſendi Inſtantias ſuo examine jactans, & brevi Epiſtola ad Cl. R. ſeſe ſubducens. Tanto tamen hujus argumenti tangebatur ſenſu, ut dolorem premere aut diſſimulare non potuerit. Sic enim dicta Epiſtola, *Objiciunt me in probanda Dei exiſtentia in circulum incidere &c.* Nihil autem reſpondet præter, *Inſpice ea de re Reſponſionem meam ad ſecundas Object.* N. 3. *&* 4, *& partem ſec. Reſp. ad Quartas circa finem.* Ne vero, Carteſium jam dudum motam difficultatem removiſſe

moviſſe dicant adverſarii, agedum videamus loca citata. Sic loco priori, *ubi dixi nihil nos certo poſſe ſcire, niſi prius Deum exiſtere cognoſcamus, expreſſis verbis teſtatus ſum, me non loqui niſi de ſcientia earum concluſionum, quarum memoria poteſt recurrere, cum non amplius attendimus ad rationes ex quibus ipſas deduximus. Principiorum enim notitia non ſolet à Dialecticis ſcientia appellari.* Quid illa ſibi velint, dicat. Videtur hoc velle ſe aliquid excepiſſe, dum diceret ſe nihil ſcire, nimirum quædam principia, quæ non aliarum rationum ope, ſed per ſe patent. At ipſe dicis, hæc *ſciri* aut *neſciri* non dicènda. Et quando *nihil* dicis, quis hoc non univerſaliter ſumeret? Videamus autem annon ſibi turpiter contradicat, dum ſe aliquid excepiſſe dicit. Sic loquitur Meditat. 1. *cogor fateri nihil eſſe ex iis, quæ olim vera putabam, de quo non liceat dubitare ---- & ab iiſdem non minus quam ab aperte falſis aſſenſionem cohibendam.* Quis hic exceptionem, ſine contradictione, fingat? Poſtquam, multis circumactus, *ſe eſſe, eo, quod cogitabat*, evicit Medit. 11. exerte ait, *ſe hoc unum verum eſſe affirmare, negare cætera.* Et ad finem ejuſdem Meditat. *Nihildum enim aliud admitto in me eſſe præter mentem.* Hæc jam limita, & quædam poſt factum excipe, certe dicta revocabis apertiſſime, manifeſtum adverſus iſtam limitationem præbes alibi teſtimonium, ubi Atheum ſcire negas *tam imperfectæ ſe naturæ non eſſe, ut fallatur etiam in iis quæ ſibi quam evidentiſſima apparebunt, illoque dubio liberari nunquam NB. nunquam poſſe, niſi à vero, & fallere neſcio Deo, ſe creatum eſſe prius agnoſcat.* Dei ergo exiſtentia ante omnia præcedat neceſſe eſt, & hoc eſt quod jam negas, pallias, declinas. Imo princip. 1. §. 5. ſignate docet, non demonſtrationes ſolum, ſed & principia, vel Mathematica, in dubium vocanda eſſe, *etiam ea quæ hactenus putavimus eſſe per ſe nota: maxime quia audivimus*

Medit. 1. pag. 7. pag. 8.

pag. 11.

pag. 14.

Reſp. Sext. pag. 158.

eſſe Deum &c. & §. 7. *ego cogito, & hæc veritas eſt omnium prima & certiſſima* NB. *prima.* Deinde poſito, te non omnia ſic complexum eſſe, anne ſic omne circuli committendi evitas periculum? Sed alterum locum inſpicio N. 4. Idemque fere ibi innuit ad finem; hoc vult, eſſe quædam tam perſpicua, ut de iis dubitari non poſſit, modo de iis cogitemus: at quam conſequenter, jam vidimus. Exemplum affert, *ut quod ego dum cogito exiſtam.* Oblitus autem videtur eorum, quibus mediantibus, demum ad iſtam veritatem, aut potius, iſtius veritatis certitudinem, ſe perveniſſe dixerat Medit. 1, & 2. Imo Meditat. demum ſecunda, poſtquam in initio dixerat: *In tantas ſe dubitationes heſterna meditatione conjectum, ut nequiverit amplius earum oblivisci, nec viderit tamen qua ratione ſolvendæ eſſent, ſed tanquam in profundum gurgitem ex improviſo delapſum ita turbatum fuiſſe ut nec potuerit in imo pedem figere, nec enatare ad ſummum. Enitar tamen, inquit, & tentabo enatare.* ---- Inter alia fingit, *nullas mentes, & ſe non eſſe*, oggerit autem, *imo certe ego eram ſi quid mihi perſuaſi*: iterum hæret, ſibi objiciens: *ſed eſt deceptor* &c. regerit autem, *haud dubie igitur ego ſum ſi me fallit* &c. *adeo ut omnibus ſatis ſuperque penſitatis denique ſtatuendum ſit hoc pronunciatum, Ego ſum, Ego exiſto, neceſſario eſſe verum.* Viden' per quot ambages, quot laborioſos gyros & anfractus, poſt heſternam dubitationem, poſt omnia ſatis ſuperque penſitata, denique eò perveniat? Jam vero libenter lectori imponeret, quædam ab ipſo credi tam perſpicua, ut nunquam poſſimus de iis cogitare, quin vera eſſe credamus. Contrarium tot ambages jam enumeratæ probant. At jam conceſſo hoc ante omnia tibi conſtitiſſe, nec per tertium te id eviciſſe: in reliquis tamen, quæ rationum ope addiſcis, perpetuo oberras circulo, quod ad reliqua enim, quæ jam te noviſſe putas, ſi rogem unde ea noveris eſſe vera? nonne dices,

quia

quia clare & diſtincte percipio ea? ſi pergam & dicam unde ſcis ea quæ clare & diſtincte percipis eſſe vera? nonne dices, quia alias Deus deceptor foret & ſic non perfectiſſimus? Urgeo autem: unde ſcis Deum eſſe? eum perfectum eſſe? deceptorem non eſſe? dices quia ea omnia ingrediuntur claram & diſtinctam de Deo perceptionem, non poſſum intueri Ideam Dei, non poſſum clare & diſtincte percipere Deum, niſi exiſtentem & perfectum ac proinde non deceptorem. Viden'? Idem per idem. Quod clare & diſtincte percipio verum eſt, quia Deus fallere non poteſt. Fallere autem Deus non poteſt, quia clare & diſtincte id percipio. Videre hactenus non potui quî ſeſe ab ea turpi hallucinatione defendat. Quæ habet ad finem Part. 2. Reſp. IV. coincidunt cum præcedentibus, ut ipſe innuit. Sed de hiſce forſan Deo volente alias pluribus. Ingenue dico quæ alibi in Regium Cartes. *Mirari ſubit hominis confidentiam, quod tam facile, tam paucis verbis, putet ſe omnia poſſe evertere, quæ* Gaſſendus *longa & attenta meditatione compoſuit, libroque integro explicuit.* Carteſ. in Program. Not. pag. 186.

Non ſatis circumſpectè, imo non pro rei veritate, agit pag. 39. ubi de *conſequentiis* ex Scriptura deductis loquitur hiſce verbis: *Ratio has docet, quemadmodum priora* (*capita ſc: doctrinæque fundamenta,*) *in ſolam tranſcribuntur Scripturam.* Conſequentiarum igitur & veritatum ex aliis Scripturariis veritatibus deductarum analyſis, in rationem eſt. Ut in luſu Schacchico, juxta leges luſus agendum quidem, ita tamen ut inde ſequentia noſtro ingenio debeantur. Idem docet alibi, *conſecutiones rationis quoque NB. arbitrio diſceptari. Etſi enim habeant in revelatione fontem, quicquid*, non aliquid, ſed *quicquid inde profluit itidem* (nimirum, non aliter quam ea, de quibus dixerat, *quæ habent in natura conſtantem veritatem*) *rationi*

Strictè XV. — pag. 40. — pag. 22. — pag. 68.

tioni acceptum ferri debet. Diſtinguendum probe quid in conſequentiarum deductione præſtet ratio; ratio eſt ſubjectum veritates poſt factam debitam Scripturæ veritatiſque Scripturariæ conſiderationem collationem, recipiens, ſic conferendo veritates Scripturarias cum veritatibus Scripturariis, Textus cum Textibus, phraſes cum phraſibus, & inde concluſiones eliciendo, ita ut ratio hic uſum præſtet inſtrumentalem & ſubjecti recipientis. Et quamvis aliquando rationis axiomata & veritates tam naturaliter inſitæ, quam ex iis ut principiis deductæ, in auxilium vocentur & miniſterium præſtent, concluſiones tamen inde deductæ non in rationem, ſed in Dei revelationem tranſſcribuntur ſupernaturalem, ita ut ſint, cum reliquis, certæ, perſpicuæ, divinæ, æqualis authoritatis. Audiamus Reformatos ut conſtet quam bene Wolzogio cum ipſis conveniat. *Quicquid in Scripturis expreſſe traditum, vel inde evidenter deductum, NB. credimus in Eccleſia propter NB. authoritatem Scripturæ.* ſic Paræus; & tantum abeſt ut rationi ea accepta ferat, ut doceat *pro Scripturis habenda & credenda non ea ſolum, quæ expreſſe leguntur in Scripturis ſacris; ſed etiam quæ evidenter inde deducuntur.* Indicem agit ratio, veritates in Scriptura non ita manifeſte traditæ nobis ope rationis deteguntur, detectæ autem, non miniſtri, non indicis, ſed ipſius ſcripturæ, ipſius Dei revelantis authoritate nixi, eas recipimus, rationis licet ope repertas, ſed in Scriptura. Res clara eſt: *Quicquid* enim *per bonam conſequentiam ex Scriptura deducitur, illud ipſum eſt Scriptura*, ait Maccovius, *& quatenus iſta ratiocinatio Divina revelatione potiſſimum nititur, atque ex ea concluſionem colligit, quæ ex principiis naturalibus ſolis, colligi nunquam potuiſſet; talis concluſio etiam de fide eſt, ut* docet Venerandus & chariſſimus Præceptor meus Andreas Eſſenius. Ita ut non Philoſophiæ dictamina, ſed *Chriſti & Apoſtolorum*

Paræus in Hoſe. Proleg. Q. IV.

in 1 Cor. IX. 10.

Maccov. Diſtinct. Cap. I. §. XLIII.

Eſſen. Compend. Dogmat. Cap. III. §. LXI.

rum doctrinas rejicere dicantur Biſterfeldio, *qui doctrinas etiam variis conſequentiis inde deductas rejiciunt.* Magis conſentire videtur Wolzogen cum iis, quos ut adverſarios introducit Camero, qui *de veritate per conſequentiam quærunt, quæ ſit in iis certitudinis conditio, fideine an rationis? Quod ſi jam totum hoc pendet à ratione, non autem mere à fide, ſequitur omnino in controverſiis, etiam iis ad quas adhibetur Scriptura, rationem principem locum obtinere.* Iſta concederet Wolzogen, imo ſimilia docet, ut vidimus, *quicquid enim per conſequentiam ex Scriptura, &c. id rationi acceptum ferri debet.* Longè autem aliter Camero, ſic ille: *Inſanire quidem jam illud eſt, ſi quis putet diverſum eſſe id, quod concluditur, ab eo, unde concluſio deducta eſt, id quod inde primum liquet, quod omnis concluſionis ratio ab hoc pendet principio, quod ea quæ ſunt uni tertio æqualia, eadem hactenus inter ſe æqualia ſunt, quæ ratio eſt ſyllogiſmorum quos vocant ex omnibus affirmantibus: Itaque ſi quod ſit Verbum Dei quod doceat medium ejuſmodi ut conveniat utrique ſubjecto & prædicato concluſionis, neceſſe eſt id ipſum Verbum docuiſſe concluſionem eſſe veram*, & poſt quædam. Ergo, *niſi velimus cum ratione inſanire, ſi ex Scr. aliquid deducitur, conſequentia vero neceſſaria ſit, neceſſe eſt ut id quod ex Script. deductum eſt id ipſum ſit quod Scriptura nos voluit docere: At vero jam quod Scr. nos voluit docere, id ipſum eſt Dei verbum. Denique repugnat conſilio Dei & menti Sp. S. quod ajunt, Id quod ex verbo Dei colligitur non eſſe idem Dei verbum. Et quemadmodum ad Philoſophiam pertinent omnes concluſiones, quæ ex principiis Philoſophiæ deducuntur, habenturque, ut ita dicam, pro Philoſophicis, ſic plane quæcunque concluſiones ex Dei Verbo deducuntur, eædem,* (non rationi, ut vult Wolzogen, acceptæ ferendæ) *pro Dei verbo habendæ ſunt, adeoque pro divinis:* & caput illud finiens concludit, *demon-*

Biſterfeld. c. Crell. Synopſi præmiſ. §. 6.

Camero. Prælect. de Verbo Dei Cap. XVII, & XVIII.

demonſtratum eſſe, eſſe Dei verbum quicquid ex Dei Verbo colligi poteſt. Non quidem abolet rationis uſum, ſed definit, docens: *Duo eſſe diſcendi inſtrumenta, ſenſum & rationem, quorum neutrum tamen diſcendi argumentum eſt. Argumentum fidei eſt id propter quod credimus, inſtrumentum verò fidei hoc pacto dicetur ratio, ſed fide jam inſtructa --- nunquid ideo volent quicquid ita deducitur niti ratione, non vero fide? Quæ cum ita ſe habeant, facile videre eſt; NB. non eſſe tanquam perceptum ratione, ſed fide tenendum quicquid ex Verbo*

Spanh. Diſput. Anti-Anabapt. XXVIII. §. 16. Diſp. XXIX. §. 9. Rivet. Cathol. Orthodox. Tract. I. §. 9. & Iſagoge ad S. Script. Cap. XVII. Mareſ. Method. Amethod.

Dei juſta & legitima conſequentia colligitur. Sic Spanhemius qui ex profeſſo & more ſuo accurate & ſolide hanc controverſiam tractavit aliquot Diſput. *Conſequentiæ materialiter ſunt Dei Verbum & quoad rem: & peccari falſa ſuppoſitione, concluſionem fore Philoſophicam*, id eſt quæ rationi tota debeatur. *Ratiocinatio non eſt principium rei, ſed cognitionis rei, imo non tam principium quam inſtrumentum.* Fuſè iſta ex Patribus aliiſque perſequitur Rivetus. Mareſius c. Valerianum M. Dallæus de Fidei ex Scripturis demonſtrat. præſertim Parte I. Cap. XII cujus argumentum Wolzogianæ theſi è diametro contrarium ſic habet. *Fidem, quæ iis adhibetur quæ ſunt ex Scripturis ratiocinando concluſa, non humana ratione, ſed Scripturis divinis niti.* & Cap. IX. *Quicquid ex Script. dilucide ac neceſſario concluditur, id verum, ac divinum, ac velut aliquam ipſarum Scripturarum partem, cenſendum eſſe.* Magna etiam, modo non major, credendorum & agendorum pars, ex ſententia Wolzogii, rationi accepta ferenda erit, ſi omnia quæ rationis ope eruuntur, *in rationem tranſſcribenda*, uti ipſi videtur, ſint. Mira ſane & nova ſunt iſta auribus Reformatis:

Faſcic. Diſp. de Socin. Diſp. II: §. 4, & 16.

Nam certe niſi in rebus fidei rationem præcedat authoritas, abrogatur Deo Magiſterium, & fidei eſt rationi præſcribere, ita ut non ſit opus ratione: ait Heidanus. *Hoc demum eſt Theologicum probationis genus, quod ex Scri-*

Scripturis petitur. Aliæ rationes in divinis etſi fidem adjuvent: tamen non faciunt, nec ſemper cogunt. Sola igitur ea, quæ vel expreſſe ſunt ſcripta, vel ex ſcriptis evidenti & bona conſequentia deducuntur, credenda ſunt in Eccleſia, eaque authoritate divina nituntur. Hæc Paræus. *Scripturæ enim docent, quod ex illis, quæ dicit, conſequitur* ait Coccejus. *Quaſi*, inquit idem, *non, quæ neceſſario conſequuntur ex ſcriptis & immediate revelatis, æquipolleant revelatis, & Dei teſtimonium ſint. Chriſtus, quod ex Scr. conſequitur, non intelligere, vocat ignorare Scripturas* Mat. XXII. 29. *In iis*, ait Bucerus, *quorum notitia certa & indubia ad ſalutem non requiritur neceſſario, exercent & erudiunt ſe invicem fideles.* At quomodo? longe aliter ac quidem ſomniat noſter, *ſed ex verbo Domini, non ex carnis ratione probabilibus.* Dicet autem Wolzogen ſe lubenter concedere, imo ſtatuere, ea, quæ conſequentiarum ope eruuntur ex ſacris, eſſe *divinæ authoritatis: quia fontes ipſi ſemper Deo adſcribuntur auctori.* Non magis autem aut aliter quam illi, qui ludum latrunculorum, ac ludendi leges dedit, ludus & ludendi ratio debentur, *omnia vero ſtratagemata & inſidiæ quæ juxta leges adhibentur, ingenio arbitrioque ejus qui ludit, tribuenda ſunt.* Sic igitur Deo quatenus ludum inſtituit, ſic rationi &c. vide jam quid Deo magis, in conſequentiis debeatur, quæ ex Scriptura, quam in iis quæ ex principiis inſitis profluunt, nihil ſane, utriſque enim commune eſt principia & leges à Deo accepiſſe. Alibi aperte prodit, quod hic latet aliquantulum: hoc vult, ideo ſolum ea, quæ per conſequentias & ope rationis ſcimus, ex Scr. à Deo eſſe, quia author rationis Deus eſt: ſic enim loquitur, *ratio has docet*, conſequentias ſcilicet, *quemadmodum priora*, quæ aperta ſc: & conſequentiarum ope non indigentia occurrunt, *in ſolam tranſcribuntur Scripturam. Sunt tamen utraque divinæ autho-*

Paræus ad 1 Cor. IX. 8.

Coccejus Summa Theol. Cap. VI. §. 57, 75, 76.

Bucer. Præfat. ad Eph. pag. 13.

pag. 39.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

authoritatis, at quare? *quia fontes*, ratio ſc., cui conſequentias ferre acceptas debemus, & ſcriptura *ſemper Deo adſcribuntur auctori.* Apertius agit Velthuyſen, *nam illa cognitio*, inquit, de naturali loquitur, *vera ortum ſuum habet ex principiis à Deo menti conceſſis: poteſtque eadem illa cognitio rectè divina vocari, & de ea enunciari quod ſit à Patre luminum: & tam tuto illi fidimus, quam, cognitioni, quam revelatio in nobis peperit*: eadem plane Paradoxus. Viden' ſic divina ſunt, quæ ope rationis, per conſequentias novimus, quia ſc: à Deo ratio. Sic tandem tota Philoſophia veſtra, modo Carteſii regulæ, quarum ope mens noſtra ſe abſtinere poteſt, ut nunquam erret, obſerventur, æque certa erit ac Sacra Scr. illa enim fontem habet qui Deo adſcribendus. Æquiparanda ſaltem erit iis, quæ per conſequentiam, ope rationis, ex Scriptura cognoſcuntur, ea enim rationi tribuenda. Siccine? hoc propriè divinæ authoritatis eſſe, putabam dici poſſe, quod propter authoritatem infallibilemque Majeſtatem Dei recipitur, *quod omne in auctoritatem loquentis Dei reſolvitur*: non quia ratio, quia rei probabilitas id poſcere videbantur, ſed Deus, ſed Dei Verbum revelabat. *Cujus auctoritas pro omni ratione habetur.* Quorum autem *analyſis eſt in rationem, quæ rationi accepta ferenda, tranſſcribenda, ut fundamenta religionis Deo*, ea divinæ authoritatis eſſe hactenus non didici. Didici enim revelatam Theologiam diſtinguere à naturali, & ſolum Dei Verbum ut infallibile & divinæ authoritatis recipere: à Deo eſt quidem ratio, fateor: at *non ideò conficitur auctorem eum eſſe interpretationis*, addo & deductionis conſecutivæ, ut ita loquar, *quæ fit ope Philoſophiæ*, ſeu rationis; *niſi velimus dicere omnium rerum quæ ab homine proficiſcuntur auctorem eſſe Deum, quia auctor eſt animæ, eſt auctor corporis, eſt utriuſque facultatis auctor.* Sic propria vineta cædens, directe ſaltem Seniorem ſuum refu-

Velth. de uſu rat. pag. 48.

Cap.

Carteſ. Princip.

pag. 52.

pag. 30.

pag. 203.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

refutans, alibi Wolzogius: horum autem hoc loco nondum meminerat.

Quid ſibi velint hæc verba ſcire aveo, ſic p. 45. *Nec aliunde*, voluntate hominum verbis & characteribus ſignificationes inditas dixerat, & ſubdit: *Nec aliunde proficiſcitur, quod non una ſit omnium lingua.* An confuſionem linguarum ſingulari judicio Dei hominibus immiſſam neget, an concedat, clare & diſtincte non exprimit, verba autem prout jacent, Babelis confuſionem negare videntur. Remitto lectorem ad Bochartum, alioſque.

Strict. XVI.

Bochart. Geograph. Sacr. L. 1. Cap. xv. Burman.

Pagina 50. Lib. 18, 19. Præ omnibus accuratus videri vult Wolzogen, & errorem ſe communem ſequi debere queritur: At non ita facile, non leviter, omnes una ſimul, literatiſſimi & accuratiſſimi Theologi, puerorum inſtar reprehendendi erant, non omnis abdicanda deceſſorum veneratio: Et quid eſt quod prætexas? phraſis minus accurata eſt: *Interpres dicitur qui proprie Interpres non eſt.* Sed ſit ita, an ne una quidem phraſis abſque nota dimittenda erat? deinde erras Wolzogi, & mentem noſtrorum, aut non percipis, aut pervertis. *Homo quiſquis ſit, qui verba cum ſenſu rite nectit, juxta te, Interpres eſt*, rectè nimirum pro ſuo *judicio*, quod Theologi vocant, *diſcretivo.* Nec & noſtri aliter *homini* hoc judicium imponunt, *nullum enim nunc in Eccleſia judicem viſibilem &c, agnoſcimus*: ſed *rei*, Scripturæ nimirum ipſi, ut poſtea videbimus fuſe: quoniam vero, ut docet Mareſius & te procul dubio etiam docuit, *nullam hic realem diſtinctionem admittimus, ut Pontificii & Sociniani, inter normam & judicem ſupremum, niſi in quantum diſtingui poteſt inter Scripturam ipſam & Deum in ea loquentem.* Hinc phraſis iſta, quam carpis, ortum ducit. Scriptura enim ipſa cum ſit interpretationis

Strict. XVII.

Mareſ. Syſtem. Loco 1. §. 54, 55, 56.

ſuæ

ſuæ norma, ita ut ipſa *rationem* per modum objecti *ducat ut ne erret in hoc* interpretationis *judicio*, dicta
pag. 51. fuit merito ſui interpres: *Rem quæris quæ hominem, in interpretandis Scripturis, ducat*, per modum objecti, hanc proprie interpretem dicendam putas, hanc autem Scripturam dicunt Orthodoxi, Philoſophiam Paradoxus, ita ut ille etiam, non *perſonæ*, ſed *rei*, hanc provinciam demandandam cenſuerit: Quid igitur reſtat quod corrigas, niſi proprium carpendi cacoëthes?

Strict. XVIII. Ejuſdem commatis eſt, quod eadem pagina, cenſoriè ſatis à te dictum, occurrit, ſic ſonant verba. *Tota quæſtio* ſc: de Interpretatione Scr. *probe diſtinguenda à duabus aliis, quæ non ſemper ab omnibus æque diſtinguuntur.* Quorſum nota illa? ſcilicet ne ſemper non probaret, *ab aliis hactenus non ſatis dilucide* tractatam hanc quæſtionem eſſe, eamque nunc demum ultimam limam Wolzogio debere: ſed fallitur & modo locos communes, etiam notiſſimos, inſpiciat, ſeſe falſum eſſe deprehendet. Quid ſit quod non diſtinguant multi, audiamus; ſeparatim quæri poteſt 1. *quamobrem aſſenſum demus iis rebus, quæ Scripturis comprehenduntur.* 2. *quamobrem credamus has eſſe Scripturas* 3. *quamobrem hunc ſtatuamus & non alium Scr. ſenſum.* Ipſe confuſe agit, ut videt lector; ſed omnes hactenus, quotquot unquam locum de Scr. pertractarunt, ſemper bene diſtinxerunt haſce quæſtiones 1. quidnam illud ſit, quod nobis perſuadeat, Scripturam *divinam* eſſe, quod tractant quando agunt de *authoritate.* 2. quidnam, quod me doceat hos libros, non alios, eſſe, eam Scr. quod tractant, quando agunt de Canone 3. quidnam illud ſit quod nos moveat hunc Textum ſic ſumere, non aliter, quod tractant, quando agunt de Interpretatione Scripturæ. Probarem iſta niſi & Catechumenis jam dudum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

dudum nota eſſent. Sed videtur omnem anſam alios corrigendi, notandi, captaſſe ſedulo, ut ſc: pateret, jam demum Theologiam exſpectandam, quæ ope novæ Philoſophiæ, accurata ſit futura.

Pagina 59. Graviſſime errat Wolzogius, eodem Strict. XIX. enim modo in explicatione Veteris Teſtamenti verſatos, ſimili ductu à Spiritu Sancto, in ejus explicatione, ductos eſſe Apoſtolos putat, ac reliquos fideles. Extraordinarium Spiritus ductum Apoſtolis concedit & ordinarium qui & noſtrorum temporum eſt, ſed quo ſenſu iſta? Extraordinaria vis Spiritus illos egit & immediata in revelandis iis, quæ diſpenſationi Novi T. erant *ſingularia, quæque nullis adhuc* pag. 60. *Scripturis continebantur. Veritates enim multas non potuerunt certas credere niſi teſtimonio nixi Spiritus extraordinario.* Ordinaria autem, *ligata & quæ noſtrorum temporum*, adjuti ſunt in iis interpretandis quæ jam ſcripta erant. *hoc* enim demum *modo vim ſuam* pag. 59. *exeruiſſe Spiritum* in Apoſtolis patet, *faciendo, ut, quæ Moſes & Prophetæ habebant, oculatiores jam, quam anteà, pervidereut.* An igitur non aliæ planè authoritatis erant Apoſtolicæ, quam noſtræ interpretationes? Annon diſtinguendum eſt donum Prophetiæ extraordinarium ab ordinario, cujus ſenſus Prophetis ſubjiciendi erant? donum Prophetiæ hic non ſtricte, ſed etiam pro Scripturas interpretandi dono, accipio. Putas igitur in Scripturæ Veteris explicatione infallibiles non fuiſſe? videris hoc ſtatuere. *ignoras enim, an hac via ſit uſus Spiritus Sanctus, ut infallibiles eſſent in interpretando.* Vereor ne tandem ipſorum Apoſtolorum Interpretationes ad incudem revocentur. Quid vetat iteratò exigere ad amuſſim in quibus infallibiliter ducti non fuerunt? Imo, ſi in interpretandis iis quæ Moſes habet & Prophetæ, infallibiles non fuerunt, etiam in ſcribendo infallibiles

non fuiſſe certum eſt, quanquam ab eo abhorrere Wolzogius videatur. Apoſtolorum enim & N.T. ſcripta, magnam partem, Interpretationes continent Veteris. Ego autem in omnibus, quæ Apoſtoli qua tales, aut ore, aut ſcripto, ſuos docuerunt, infallibili Spiritus vi & aſſiſtentia adjutos ductoſque credo, credit & Eccleſia Reformata, imo Chriſtiana omnis, & turpe eſt hominem, blaſphemum alias,
Parad. in eo veritatem te melius docuiſſe. ſic ille. *Extraordi-*
Cap.XIV. *narium divini Spiritus lumen affulſiſſe Prophetis,*
§. 1. *Euangeliſtis, atque Apoſtolis, reliquiſque ſacrorum codicum ſcriptoribus, in Dei verbo intelligendo atque interpretando apud omnes in confeſſo eſt: his enim, ut habet Polanus, per immediatam revelationem, abſque labore & induſtria, verum Scripturæ ſenſum revelavit Sp. S. quæ ratio, ſunt verba Chamieri, nunc nulla exſpectatur.* Wolzogen vero *noſtrorum temporum Spiritus vim* dicit, qua adjuti Apoſtoli, in interpretando verſati ſunt. Hæc jam orthodoxa ſunt.

Strict. XX. Pagina 73. Fatetur *multa non intelligi in Scriptura propter illam ambiguitatem, quam reliquit Deus.* Certe vereor ne nimis irreverenter ambiguitas in Scr. à
Cicero de Divin. Lib. 2. Cap. 56. Deo relicta dicatur, quaſi contineret *Oracula, partim flexiloqua & obſcura, partim ambigua, & quæ ad Dialecticum referenda ſint*, ut alibi Cicero. Ignorantia noſtra, rerum Majeſtas, Spiritus menſura non conſummata, aliaque, cuncta quidem intelligere non ſinunt; verum Scripturæ ambiguitatem tribuere multa ſunt quæ prohibent. Verba ſubinde & ſententiæ occurrunt quæ minus facilè intelliguntur, intelligerentur autem procul dubio, ſi, majori Sp. copia, accuratius omnia, quæ in Scripturis exſtant, exigere concederetur. Pertendimus, *locorum, quæ δυσνόητα vocat Petrus, obſcuritatem, noſtræ imbecillitati*
Mareſ. L. Cit. Diſp. IV. §. 11. *eſſe adſcribendam, non ipſimet Scripturæ,* ait *Mareſius.*

Cor-

Correctione itidem egent ea, quæ ſparſim de Articulis fundamentalibus docuit author, quoniam autem eadem hac pagina earum mentionem injicit, quæ alibi etiam de eadem re dixit, congerenda & examinanda neceſſe duxi, quo facto ſtatim deprehendi, non recte, non orthodoxe ab ipſo tradi, quæ ſpectant 1. Eorum paucitatem 2. Perſpicuitatem 3. Certitudinem. Strict. XXI. pag. 73.

1. Paucitatem quod attinet: *Fateor equidem, quis præciſe numerus & quantus dogmatum fundamentalium ſit, quæ abſolute ad ſalutem exiguntur, eamque formaliter, atque ad punctum quaſi arguunt, forte tam exacte definiri non poſſe.* Nihilominus *tamen non adeo pauca ſunt dicenda*, cum Socinianis & Remonſtrantibus. Sic autem Wolzogen *Chriſtiana Religio intra anguſtos limites concluſa circumſcribitur, ſi fontes ſpectes & ipſa capita, doctrinæque fundamenta.* Quæ verba, licet excuſari fortaſſe, aliquot limitationibus adhibitis, poſſent, ab errore libera nullus Orthodoxorum dixerit, poſtquam contulerit, quæ habet Libro ſecundo, ubi hæc occurrunt verba, *ea quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, ſunt multo quam NB. vulgo credi ſolet pauciora.* Niſi in Theologis noſtris & Theologia jejunus ſit valde, ignorare non potuit, quanto cum Zelo noſtri hæc rejecerint, poſtquam à Socinianis excogitata, per Remonſtrantes reponebantur. Quid igitur movere potuit noſtrum, eadem, imo duriora ſcribere, vel an ne quidem tanti facit, à noſtris deflexiſſe, & Socinianis & Remonſtrantibus ὁμόψηφον ſubinde videri? * ſic olim Remonſtrantes, *Non negamus eſſe nonnulla creditu ad ſalutem neceſſaria præciſe ſed NB. ea pauca eſſe arbitramur.* Plus dicit Wolzogen, *pauciora quam vulgo credi ſolet.* Sic autem D.D. Cenſores. Quid enim vetat Clariſſimorum virorum verba reponere, dum eadem, imo pejora ſint, quæ vidimus? † Sic igitur Cenſores. *Et hic genium atque*

Hoornb. Socin. Confut. T. 1. L. 1. Cap. IX. pag. 207.

pag. 38.

pag. 243.

* Præfat. ad Confeſſ. Remonſtr.

† Cenſura Profeſſ. Leid. in Confeſſ. Remonſtr. Præfat. N. 22.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Theoph. Nicola. Defenſ. Socin. de Eccleſ. pag. 18. Loc. Cit. pag. 196. Rhetorf. Exam. Armi- nianiſmi Cap. 1. pag. 6.

que Spiritum Socinianum advertimus. Semel enim certum eſto, ait Socini defenſor Theoph. Nicolaides ad ſalutem neceſſaria pauciſſima eſſe. Tria, inquit glorioſus Socinianæ hæreſios Triumphator Hoornbeekius, Vir, cujus memoria, piis in benedictione eſt, ad ſententiam adverſariorum annotanda hic *nobis ſunt*, & primum quidem, *quod dicere ſolent dogmata ad ſalutem neceſſaria eſſe pauciſſima. Etiam Remonſtrantes Apol. p.* 11. citatque locum, à ſuis in eadem & ſtatione & doctrina orthodoxa prædeceſſoribus citatum, ex Theophilo Nicol. Rhetorfortis, *Theſin Arminianam* dicit, quæ ſic ſonat: *Dogmata ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt pauciſſima. Ut ut tam pauca ſint*, ait idem, *ut omnia ſub generalibus duobus capitibus, nempe de fide & obedientia, forte ſub una voce Theologiæ comprehendantur; attamen credenda, facienda, petenda non ſunt pauca, ſi in particulari enumerentur. Hoc modo poſſit quis dicere pauca eſſe fundamentalia in Aſtronomia, nempe, ſcire naturam & motus corporis mobilis circa medium mundi.* Totum hoc negotium pertractare ſuperſedeo, adeat Lector, dilectiſſimi & Venerandi Præceptoris mei, Gisberti Voetii, hac de re Diatribam exactiſſimam. Exceptiones Remonſtrantium ex Acontio, Jacobo Rege, Molinæo, Caſaubono aliiſque, refutat ſolide Triglandius Antapol. pag. 11, 12. & ſeq. breviter ea tractat Iſaacus Junius Antapol. pag. 44, 45. & fuſe Rhetorf. Lib. citato.

2. Perſpicuitas horum Articulorum antehac à Socinianis & Remonſtrantibus ita fuit deprædicata, ut & in eo Orthodoxos adverſarios nacti fuerint. An autem Wolzogium ſuperent, judicet lector, ſic ille,
pag. 175. *credimus ſemper ea quæ ſalus noſtra exigit ut ſciamus, eſſe obvia, & ita clara, ut ab omnibus intelligi poſſint. In quibus ſic voluntatem Deus expreſſit ut non poſſimus*
pag. 73. *de ea dubitare.* Quædam dicit *tanta luce non eſſe circum-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

cumfuſa, ut non ſtudio ſaltem & induſtria ſit opus ad illa pervidenda; ſtudium illud refert & induſtriam & ſubdit. *Ego vero nego hæc omnia iis convenire, quibus ad ſalutem opus habemus, quæ cum ſint clara, tanto non egent apparatu*, nec igitur etiam ſtudio & induſtria. Vide quo hæc tendant. pag. 75. pag. 83.

1. Sunt ita obvia & clara ut ab omnibus intelligi queant.

2. Ut de iis dubitari non poſſit.

3. Ut ſtudio & induſtria non egeant. Exſcribam ſolummodo quædam ex Triglandio & Profeſſ. Leidenſibus & Judicium ſit penes lectorem; dixerant Cenſores, fundamentalium diſcretionem, laborem atque opus etiam requirere, ad ea ſic Epiſcopius: *equidem tempus eſt palinodiam canere & cum Pontificiis in gratiam redire, ac deinceps ſtatuere Scripturam non eſſe perſpicuam & claram in iis quæ præciſe ad ſalutem creditu ſunt neceſſaria, vel ſi id apertè profiteri non velit*, de Walæo loquitur, *tempus eſt ut nos doceat, qua ratione claritas & perſpicuitas Scripturarum, cum ingenti iſta difficultate poſſit conciliari. Non ſatiſfaciet, ſi dicat, Scripturam claram quidem eſſe, ſed non niſi iis*, omnibus dixerat Wolzogen, *qui ſpeciali efficacis gratiæ lumine à Sp. Dei colluſtrantur, ut eam poſſint intelligere*. Eodem modo argumentatur Velthuiſen: *quomodo* inquit, *Scriptura poſſet dici perſpicua in rebus ad ſalutem neceſſariis, ſi non ſit intelligibilis Spiritu illo deſtitutis?* Sic autem ad iſta Triglandius, *Pudeat arrogantem illum ac faſtuoſum magiſtrum tam craſſæ ac fœdæ ignorantiæ. An illa fuit de perſpicuitate Script. inter Pontif. & Reform. controverſia?* &c. Trigland. L. Cit. p. 14. b. L. Cit. pag. 65.

Dicis ab omnibus intelligi poſſe, quæ fundamentalia putas, Wolzogi, & de iis dubitari non poſſe, foveſne igitur iſtam Libertinorum hæreſin, ea demum quæ extra controverſiam ſunt, ut ſufficientia ſic & neceſſaria eſſe? (fallacia *Socinianorum eſt*, ait

Coccejus Sum. Theol. Cap. VI. §. 58.

Coccejus, *qui dicunt, neceſſaria eſſe in iis, quæ nullam habent controverſiam*, dubitationem diceret Wolzogen) ſin minus, ut confido, loquere explicatius & cave ne eadem dicas cum Heterodoxis, ſi Orthodoxus haberi velis. Sed poſthac de perſpicuitate iſta latius.

3. Certitudinem firmam ſatis non tribuis iis, quæ, præter pauca illa fundamentalia tua, interpretationis ope & induſtriæ, ex ſacris eruuntur; ita ut fundamentalia ſolum certa & indubitata credas: ſic enim de reliquis loqueris, *in cæteris, de iis quæ ſalus exigit ut ſciamus*, locutus eras, *in cæteris autem non agnoſco* inquis *ullum infallibilem interpretem.* Quæ referre, refutare eſt: ſed libro poſteriore, in tractatione primariæ quæſtionis, hæc examinanda venient, hic notanda ſaltem videbantur.

Strict. XXII.

Tranſilio ad pag. 81. Ubi dicit, *neſciviſſe aliquando quid ſcriberent ſacri amanuenſes.* Quæ verba, quamvis aliquo reſpectu, in aliquibus, veritatem habeant, magis tamen reverenter ſe geſſiſſet Wolzogius, ſi ea, aut reticuiſſet, aut ita limitaſſet, ut offenſam dare apta non eſſent. *Res* ipſas, Prophetiarum *eventus*, viſionum *ſignificationes* ad tempus aliquando, vel ſemper forſan, aliqui ignorarunt, non tamen ea quæ ſcriberent ignorabant, eo ſenſu, quem hiſce verbis ſubeſſe doces pag. 126. nimirum *quod alienata mente* ſcripſerint & oracula fuderint. Præterquam enim, quod non tam ſcribentes, quam viſionibus intenti, & oracula à Deo variis modis recipientes, in exſtaſi fuiſſe Vates ſubinde conſtet, aliter longe de iſta exſtaſi Philoſophatur Biſterfeldius, qui non tam ad mentis alienationem, quam ejus congruam, ad ſacrorum omnium, & præſertim quæ ipſis obtingebant revelationum, ſtudium, applicationem, *exceſſus & raptus Prophetarum* referendos putat, *quibus Verbo Dei percipiendo ita fuerint intenti, ut aliis animalibus vix vacaverint*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

verint functionibus. Num. xxiv. 4. Ez. 1. 2 Cor. xii. Apoc. I.

Strict. XXIII.

Pagina 83. Curioſum Scripturæ venatorem vocat, qui niſi evadat ſanctus ſcrutator, nullos certe, labore ullo, aut opera, dignos profectus, in Scripturæ intellectione faciet. Procul omnem curioſitatem arceſſunt, qui reverentem ſacrorum diſcipulum nobis pingunt pii Theologi, nec tanta, venuſtatis loco, luxuries ſurrepere ipſi debuiſſet, ut, quod vitium ſonat, quo nullum datur, quod intellectioni Scr. majorem ponat obicem, ad virtutem in hoc negotio commendatiſſimam exprimendam, verbum adhiberetur. *Curioſum eſt*, teſte, omni fide, digno in hiſce, Cicerone, *ea ſcire velle, quæ ad nos non pertinent.* Quod vitium deteſtantur Zanchius, Polanus, aliique, præſertim, ubi Scripturæ ſcrutatorem formant. Didici ex Danæo, Auguſtinum, fuſe Libr. de Utilitate credendi Cap. ix. explicare quid ſit curioſum eſſe. Præterirem iſta, niſi offenderet me tam parca pietas, in tali negotio, & circumſpecta ſæpe minus dictio.

Cicer. in Orat. pro domo ſuâ Cap. 12.

Sequuntur Stricturæ ad

Librum Secundum.

Strict. I.

MIro verborum ſtrepitu, prælium armatorum militum quaſi deſcriberet, exorditur librum poſteriorem, nihil autem tanto apparatu dignum præſtitit, maxime licet ſibi placeat, tam multa uni diſtinctioni inædificando, quaſi arcem ferat, quæ totum adverſarii & omnem ſimul impetum ſuſtineat immota? diſtinguit inter eum qui ſibi, & eum, qui alteri Scripturam exponit, aut interpretatur: putatque, Auctorem Paradoxum conficiendum, hoc unico diſtinctionis telo. Non poſſum autem ab ejus examine omni me continere, præſertim quia jam priori libro eam poſuiſſe & fuſe explicaſſe non fuit ſatis, adeo ipſi arridebat ſubtile hoc inventum. Sed ſciat 1. Tritiſſimam

pag. 90.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

mam eſſe & notiſſimam hanc diſtinctionem, qua, aliud quid ſit, ſibi, aliud alteri intepretari quicquam, docetur. 2. Credendum non eſſe Paradoxum iſtum, ita omni cognitione Theologica vacuum eſſe, ut eam ignoret. 3. denique ut dicam quod res eſt, non putem eam, ullius in hoc negotio momenti eſſe, imo nullus dubito, quin majorem ἀκρίβειαν demonſtraturus fuiſſet, ſi eam aut omiſiſſet, aut tanti non feciſſet. Alio fultus tibicine adoriri debebat adverſarium. Diſputatur propriè, quidnam illud tandem ſit, quod me per modum objecti movere debeat, ut credam hunc, non alium, hiſce verbis ſubeſſe ſenſum. Illud autem idem eſſe debere ſive mihi, ſive alii ſim perſuaſurus, tam certum eſt ut quod certiſſimum. Quare hic extra oleas vagatur, qui tanta huic diſtinctioni tribuenda cenſet. Duo erant, quibus libro priori, diſtinctionem ſc. illam, probare conabaris. 1. primum, *quod alteri extorquere aſſenſum nequeas*: at nihil hoc ad rem, quia quæritur, quid ipſum convincere debeat nec ne, quod idem eſt ſive perſuadeat ſive non perſuadeat. 2. ſecundum, *alteri te admovere non poſſe, quæ te commovent ut credas*: ſed quid tandem illud eſt quod te per modum objecti moveat? me ſaltem movet ipſa Scriptura. facit quidem Spiritus, ut eam recte conferre, examinare, excutere, aptus evadam, eamque vim, fateor, eam perfectionem, aptitudinem, diſpoſitionem, alteri dare non poſſum. Quæ autem me per modum objecti movere dici poſſunt, argumenta ſunt, rationes ſunt, ex ipſa ſcripturæ materiâ, ſtylo, aliiſque profluentia, hæc autem alteri referre quid vetat? quid in iis eſt, quod eloqui neſcias, cum ſcribi poſſit? vereor ne increpationem Velthuiſii merearis, qua Enthuſiaſmi accuſat eos, qui *putant ſe quibuſdam moveri rationibus, quas ipſi ſoli & ſui ſimiles percipiant.* Spiritum fateor, alteri dare non potes, ſed iterum jam ad ſubjectum relabimur, ejuſque diſpo-

[Margin notes: p. 56, 57. — Velth. de Uſu Rat. pag. 60. & ſeq.]

diſpoſitionem, dum de eo, quod per modum objecti moveat, revera ſermo eſt. Quapropter magna licet differentia ſit, inter eum qui ſibi, & eum qui alteri, interpres eſt, non tamen in eo, de quo tibi cum Paradoxo præcipua lis eſt, ea collocari poteſt, eadem enim *ratio*, ſive ex re, ſive ex loquendi uſu, ſive ex ipſa Scriptura petita ſit, quæ te per modum objecti movere debet ad hunc vel illum ſenſum amplectendum, itidem adhibere & debet & poteſt, ad alios perſuadendos. Non enim proprie quid elevet, vi interna hyperphyſica, ſubjectum, quæritur; ſed quid externe, moraliter, à parte objecti, illud ſit, ex quo videam, diſcam, certus fiam, de Scripturæ ſenſu. *Id quo is, qui ratione uteretur, adduci poſſet ac deberet, ut de veritate alicujus interpretationis ſe perſuaderi pateretur. Nam & qui ſibi eſt Interpres, aliqua certa ratione movetur; & qui aliis inſervit, eandem adhibere poteſt.* ſic ipſe diſſeris pag. 92. Non eſt igitur, quod ita, de iſto invento, tibi graluleris. Non tangit enim, id quod in quæſtione eſt, ut vidimus. At dicis pag. ſeq. *Interterpres privatus ſibi tantum conſulit*, bene; ſed quidnam illud ſit, quo ſibi per modum objecti conſulat, id quæritur, id, ſive ſecum, ſive cum alio ipſi res ſit, idem eſt & erit. Quod autem adverſus Paradoxum, inde, ad pacem conficiendam, Interpretis hujus inſufficientiam, probare volueris, mirum eſt. poſito enim, quod quiſque rite ſibi conſuleret, rectaque norma recte uteretur, an non pax inde & tranquilla quies ſperari poterit? Corporis omnia membra & ſingula ſuum cum faciunt, totum optime valebit certiſſime. Nec video te candide agere cum adverſario tuo, cum eum dicis, *Conditiones eas ponere Interpretis, quæ certam habeant & invictam perſuaſionem:* perſuadendi vim credo, ſed ut actu perſuadeant ſemper, non credo tales ſtatuere, aut ſibi imaginari, hominem, ſtolidus licet ſatis ſit alias. ſic loquitur Cap. 1. §. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

qui verum genuinumque divinarum literarum ſenſum indicare valet, ac demonſtrare certò ac indubitate. Norma ſcilicet, utens, *atque regula, certa, minimeque fallaci.* Quam ſi ſequatur interpres, fore putat, ut certam habeat veritatem, & modo ne, à parte ſubjecti docendi, obex ponatur, perſuaſionem. Nec errat in eo Paradoxus, ſed, quod Philoſophiam, hanc normam, dicat, id demum longiſſime à veritatis diſcedit recto tramite. Nam quicquid tandem ſit, quod me in Interpretando ducet; infallibile perſuadendique, in ſuo genere, vi præditum ſit oportet procul omni dubio. Quod dum ſuo vindicat Interpreti, perperam rogas adverſarium, *Quis publicus Interpres, hoc ſibi ſumat in aliorum animos imperium?* ſive enim publicus, ſive privatus, nihil ad Paradoxum. Rem ille quærit quæ nos ducat, non perſonam. Aut ſi perſonam, hac re utentem quærit, non alium. Illum nimirum, qui, juxta illam normam, interpretetur. Eumque hoc agens, dicit infallibiliter & certo interpretari, modo norma recta ſit, bene habet. At *in animos* ſibi *imperium ſumere* arrogans eſt, fateor; ſed tu explicaturus, e. gr. primum caput Johannis, an non putas certa invictaque argumenta, quæque ea legentem vel audientem convincere debeant, ac perſuadere, idque in ſuo genere poſſint, tibi ſuppetere, quibus probes æternam Chriſti divinitatem iſtic doceri, non ſecundæ ſed primæ creationis iſtic mentionem fieri & ſic porro; an tamen inde merito quis collegerit, te imperium in animos, aut tibi, aut interpretandi normæ tuæ, deferre? An non putas te, certò ac indubitate, hoc tuo Tractatu, veram de Scripturæ Interprete probaſſe ſententiam & demonſtraſſe? an propterea animarum imperium hac in cauſa te ambiiſſe, jure quis dixerit? Alia eſt objectiva, quam dicimus, convictio, ſubjectiva alia. Talem ſe inveniſſe putat Paradoxus Interpretem, qui prio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

priorem efficere valeat convictionem. Idem tu tibi de tuo imaginaris, ego, quæ ex Reformatorum ſententia, Interpretandi norma dicitur, eam convictionem dare poſſe & debere, ſtatuo. Quæ autem poſtea, longa ſerie, adverſus Paradoxum diſputas, nihil faciunt ad rem, ille putat, *rem* illam, quæ in interpretatione nos movere per modum objecti debet, infallibiliter hoc poſſe agere debere, ego etiam de mea, idem tu item de tua, quæcunque tandem ſit; in fundamentalibus eam ſaltem infallibilem à te agnoſci, innuis pag. 251. imo hoc certum eſt, ſi quis bene, perfecteque uti poſſet ea *re*, de qua diſputamus, procul dubio nunquam erraret, ita ut ex eo, quod omnis error evitari in interpretando non poſſit, non ſequatur ejus rei in ſuo genere imperfectio ulla aut fallibilitas, non magis quam ſi quis veram claram & diſtinctam perceptionem, infallibilem regulam non eſſe Carteſianis objiceret, quoniam nemo ea infallibiliter utitur, imo ſic adhiberi non vult Deus, quia errorum nos obnoxios fieri permittere voluit. Imo res illa, quam quæritis, debet eſſe infallibilis, ut patet; & hoc voluiſſe videtur Paradoxus, fruſtra proinde & immerito hoc in negotio à te laceſſitus. Revera etiam exſtirpare omnem hæreſin in ſuo genere res illa apta eſſe debet. Nec obſtat Deum voluiſſe ut eſſent hæreſes, eodem enim argumento etiam Scripturarum poſſes evincere πρὸς ἔλεγχον inſufficientiam. *Cogitando te talem tibi imaginari non poſſe*, qui ea re, quæcunque tandem ſit, abſque ulla hallucinatione utatur, credo, ſed *rem* ipſam talem non eſſe, ut ſi ea rite uteremur, in omnibus, certo Scripturas nos eſſe intellecturos inde concludere; idem eſſet, ac ſi quis, Scripturam, ex eo, ad nos ducendos in pietate, imperfectam eſſe, argueret, quia nemo hactenus illius ope ad perfectam ſanctitatem perveniſſe recte creditur. *Rem illam Interpretem vocari non debere* dicit pag. 95. ſed qua ratione, vidimus

mus ad Lib. I, Strict. 17. Ex dictis ergo conſtat immerito te exagitare tuum Paradoxum, eo quod Interpretem finxerit, *qui nullibi inveniatur*; dato enim quod non homini alicui, ſed rei iſtud infallibiliter interpretandi privilegium deferat, ut vidimus, quid ſupereſt quod carpas? hic pulverem cies & p. 191. concedis omne, quod vult adverſarius, de ſuo interprete, aut potius, de ſuæ interpretationis norma, Philoſophia, eaque, non, ut ea utuntur homines, ſed in idea conſiderata, ſic enim ut ſumantur ejus verba candor requirit. *Quas ſane*, (de conditionibus loqueris, quas hoc loco ita exagitas) *conditiones Interpretis ea lege admitto, ſi Interpretem illum removeat ab uſu hominum, & ab eorum vitiis, & hac mente hanc ſententiam proponat, ut ea res, qua nititur veritas interpretationis, talis eſſe naturæ dicatur, quæ poſſit ac debeat hominem utentem ratione perſuadere, idque tam certo, ut errare in ejuſmodi judicio minime queat.* Nihil ultra petit aut ponit Exercitator, quorſum igitur hæc concitatioris animi diſputatio, niſi ut videaris diſſentire? nec hic diſſenſum requirebat orthodoxa fides.

Strict. II. Sæpe video, libenter reprehendendi Paradoxi, in minutiis anſam captaſſe Wolzogium: ſic nimirum debebat, ne omnis pugnæ ſpecies evaneſceret, in re ipſa enim quam parum diſtent Libro II. demonſtrabo. Sugillat pag. 98. obſcuritatis & perſpicuitatis definitiones à Paradoxo traditas, perſpicuum dixerat quod primo intuitu patet, ſed Wolzogius *criminatur eum non exerte ſatis, quid ſit primo intuitu patere vel latere, declaraſſe.* At cum per ſe pateat, quid ſit primo intuitu patere, ita ut ſtatim clare id & diſtincte percipiatur, quid attinebat multis id declarare? Recte alibi Schulerus ad definitionem Carteſii, qua claram & diſtinctam perceptionem definierat, *Meo quidem judicio hac definitione perfectionis claræ eadem non clarior, ſed*

Schuler. Exercit. ad Princip. Carteſ. Q. XLII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſed obſcurior facta eſt. Et profecto ſi ſit aliquid, quod explicatione aut definitione non indigeat, eſt id quod clarum dicimus. Hæc optime huc quadrant. *Non explico,* ait Carteſius, *alia multa nomina, quibus jam uſus ſum, vel utar in ſequentibus, quia per ſe ſatis nota mihi videntur*: hæc optimo jure hiſce regereret Paradoxus. Uti etiam illa quæ Wolzogius de veritate Logica & Ethica diſſerit, non feriunt Paradoxon, niſi in quantum videatur ſtatuere in Scripturam Logicum differre ſenſum ab Ethico, cum revera ut notat D. Eſſenius hic coincidant. nec juvat quod addit Wolzogius, *nondum de divina oratione ipſi ſermonem eſſe*, contrarium enim diceret Paradoxus, ſicque iſta omnia disjiceret. Quærit enim Scripturæ interpretem, exempla Scripturaria in iſto diſcurſu profert. Quapropter extra oleas vagatur noſter, dum interpretem de auctoris mente nullo modo, ſed verborum ſenſu laborare aſſerit. ſenſus enim verborum & mens authoris in ſcripto, de quo ſermo eſt, non poſſunt non coincidere, niſi Deus, contra mentem ire poſſe dicatur. Sic ipſe doces, *mentem authoris ejus verbis hic congruentem eſſe.* quæ enim de amanuenſibus ſubdis nihil ſunt, quoniam in confeſſo eſt non tam de amanuenſium, de Petri, de Pauli, quam quidem de Dei, per ipſos Loquentis, mente ſollicitum lectorem eſſe.

Carteſ. Pag. 1. §. x. — pag. 110. — pag. 111. — pag. 110. — pag. 125.

De Idea Dei, Wolzogius loquitur p. 135. Atque ſic omni occaſione ſe Carteſianum demonſtrat. Quoniam autem ea de re ante aliquot annos abunde egit, ſingulari Tractatu Stephanus Eſzekius: & ſua promittit Clariſſ. Vogelſangh: lectores eo remitto. Ut & ad Diſquiſitionem Gaſſendi, opus ſane in iſto genere perquam laudabile. Strict. III.

Poſtquam multa jam diſputavit; quædam enarrat, quæ adverſarius cogatur ſuo ſubducere interpreti, vel Strict. IV.

ſaltem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſaltem ab eo non expedienda fateri. Inter alia creationem memorat, quam putat ad veritates referri non poſſe, hoc dixerat Paradoxus, omnem locum *veritatem* quandam docere, eamque rationi examinandam, ut ſic omnia ad veritatis naturam redacta, rationis ſimul imperio, traderentur, regerit Wolzogen, multa in ſacris ad *veritates* tales referri non poſſe & inter alia creationem; quam bene iſta aut male poſteriori libro videndum erit, id ſolum nunc notandum, quod, niſi creatio ad res facti referatur, neceſ-
pag. 146. ſario ſequi velit, *nos ſcire non poſſe an ſit conditus mundus à Deo, aut in quem finem.* Illud igitur pro mera liberalitate largitur, ſi rationi examen relinquatur, fore, ut ſciri non poſſit conditum à Deo mundum eſſe. Quid, an putat igitur ſanam rationem eouſque non pertingere, ut mundum, ut motum, ut materiam, vel quicquam præter Deum, ab æterno non extitiſſe probare valeat. Ego nihil magis certo aut clare demonſtrari poſſe confido. Si Carteſium conſulas, ille ægrè feret, te temporis diviſa, à ſe invicem nullo modo pendentia, momenta, proceſſus in infinitum impoſſibilitatem, imo ipſam Ideam Dei id nondum docuiſſe. Quæ, dum Deum tibi, ut ſummum bonum, repræſentat & perfectiſſimum, ſatis etiam innuit, ut *ex ipſo*, ſic *ad ipſum*, omnia creata eſſe. Sicque creationis & τὸ ὅτι & finis conſtaret etiam ratione judice primario. Alia vero plurima ab iſto ultimo fine diverſa, quæ forſan Deus intenderit, ſciri non poſſe, niſi per revelationem, non inficior, licet de ultimo illo, quod Prov. XVI. 4. Salomo ponit, etiam ex ratione edoceri hominem poſſe non dubitem, ſubordinatos propterea fines niſi reſpiciat Carteſius, ma-
1 Princ. niſeſti erroris convincetur, quando dicit: *Ita denique*
XXVIII. *nullas unquam rationes circa res naturales à fine, quem*
III. Princ. II. *Deus aut natura in iis faciendis ſibi propoſuit, deſume-*
& III. *mus, quia non tantum nobis debemus arrogare, ut ejus*
con-

conſiliorum participes eſſe putemus. Summus enim finis neceſſario Deus ipſe eſt, quod & docet ratio, reliquorum licet nonnulli ſola revelatione cognoſcantur.

Prophetias dicit *totam ſibi vindicaſſe fidelium ſub Veteri Teſtamento fidem.* Quod ſi ita in univerſum verum 1. non debuerat dicere, paulo ante, *cæremonias ſic Chriſtum adumbraſſe antiquo populo ut Chriſtum venturum vix aliunde certius intelligerent.* Niſi, quas tamen diverſas refert, coincidere putet Prophetias cum cæremoniis. Si enim Prophetiæ totam fidem ſibi vindicant, vel ſequitur nullam ſibi cæremonias vindicaſſe, præter quas tamen vix aliunde Chriſtum certius intelligebant, vel cæremonias idem eſſe cum Prophetiis, quod tamen ipſi Wolzogio contradiceret, quippe qui ſeparatim, ut diverſa argumenta, adverſus Paradoxum, cæremonias narrat & Prophetias. 2. Præſentia bona etiam per fidem videbant multa & poſſidebant ſpiritualia, peccatorum nimirum remiſſionem, ſanctificationem &c. quæ tamen ad Prophetias non pertinebant, niſi alio abſurdo promiſſa eaque repleta ad Prophetias referat. Imo præterita quam plurima, creatio, lapſus, & ejus generis magno numero alia, nonne ſibi fidem vindicabant Patrum? ô accuratum & perſpicuum Theologum! Strict. V. pag. 150.

Poſtea quid homini integro notum fuerit nec ne diſſerit author, putatque *ne ſuſpicari quidem potuiſſe, ſe unquam, ſi laberetur, conciliari poſſe & in gratiam redire.* Nolim equidem contentioſe de hiſce agere, aut temere determinare quicquam, dubium tamen videtur, an non conceptus, quem de Dei omnipotentia habuit & omniſufficientia, ſimile quid ſuggerere aptus fuerit, præſertim ſi *conciliatio hominis cum Deo cauſas,* eaſque *plurimas, habeat, quas in natura Dei,* quam optime cognovit, *fundatas* dicit Wolzogius: Ratio- Strict. VI. pag. 155. pag. 155.

nes,

nes, quanquam ipſa theſis non diſpliceret, minus ſolidas judicarem. Prima revera idem per idem probat. *Ideam*, ſic ſonat, *ſecum natam redemtionis habere non potuit, quia cum perfectus eſſet conditus, & ad id, ut in ea perfectione vitam ageret, ſcire quidem potuiſſe imaginor, quænam eſſet naturæ ſuæ perfectio, quid ad illam conſervandam requirebatur, imo quid illam corrumpere poſſet, ſed quæ ad reſtituendum hominem lapſum faciunt, nil habent cum eodem ſtante commune. Ergo à natura ſua nil*, nil de redemtione dicere voluit, *potuit erudiri.* Concluſionem video, ſed medius terminus nullibi comparet, cognovit quid ad integritatem, non igitur quid ad reſtaurationem requirebatur, egregie, cognovit quod in confeſſo, ergo id, de quo diſputatur, non cognovit. Vides Wolzogi quam belle iſta cohæreant quam firmo talo argumentum fundes? ſequelam enim nullam habet, niſi unum quod uterque concedit, cum eo quod removendum contendit non conſiſtat: quod tantum abeſt ut probes ut de eo ne quidem cogitaſſe videaris. Et revera contrariorum cum ſit, ſe mutuo menti ingerere clarius, præſertim comparata invicem, ſuſpicari quis poſſet, ex eo quod videbat, quid ad integritatem ejuſque conſervationem neceſſe erat, adductis præcipue iis, quæ de Divina omniſufficientia noverat, eum aliquid cogitare de reſtauratione potuiſſe. Altera ratio ex eo deſumta eſt, quod & à Deo revelatum Adamo non
pag. 157. ſit, id de quo ſermo eſt, *quoniam nec verbulo hoc innuit Scriptura*, hactenus bene ut probet non conſtare contrarium ejus quod negat, ſed *& vehementer* inquit *pugnat, cum ſapientia Dei*, quod tam certo aſſeverare non auſim, uti etiam non probat Wolzogius, ſupponit quidem, *oſtentando remedium peccati, peccandi occaſionem homini datam fore*, non probat niſi, hac veritate non abuti non potuiſſe, hominem integrum, evincat. Quod credendum non videtur, quoniam

niam hominem lapſum & per regenerationem nondum plene reſtitutum, ea non ſolum non abuti ſæpe, ſed maximum conſtantiæ & pietatis ſtimulum in ea reperire certum, & contra eos qui perſeverantiæ certitudinem, plenæque, à corpore peccati, liberationis firmam fiduciam negant, etiam ex eo quod peccandi occaſionem ſic datam prætendant, probatum eſt. Quod porro de Adamo ſtatuit pag. ſequente, examen meretur. *Sed nec Trinitatis Myſterium*, inquit, *ipſi fuiſſe notum, niſi manifeſtante Deo, videtur affirmandum.* Scio Amyraldum alicubi ſic ſentire, Adamo nimirum, non innotuiſſe Trinitatis Myſterium & quidem variis rationibus, ut putat id evincentibus. Ego quidem temere quicquam in iſto negotio determinare nolim, nihilominus tamen plura ſunt, quæ non leviter aut obſcurè contrarium probare videntur. *Eſſentiam* eum noviſſe *& proprietates Dei* credit Wolzogius, verùm majus errandi in eo periculum videtur, ſi Trinitatem, quam ſi, hoc aut illud attributum, minus noveris. Imo quid ni dicitur de natura & ut ita loquar eſſentia Dei eſſe, tribus ut ſubſiſtat modis? Sic enim Biſterfeldius hac de re diſſerit, quam ratiocinationem meam non facio, adoptat eam Clauberg. *Tantum abeſt ut productio divina perfectioni repugnet, ut potius infinita ejus eminentia eam neceſſario requirat.* Quam theſin ſic proſequitur. *Etenim cum in Deo ſit infinita potentia activa ſeu productivitas, neceſſum eſt, ut in ipſo quoque ſit infinita productio, & infinitum productum; ſecus infinita illa potentia activa nunquam haberet vel actum vel terminum adæquatum: quod prorſus eſt inconveniens; cum omnis potentia activa ſit propter actum ſuum adæquatum: jam vero nulla vel creatura vel creaturarum collectio poteſt eſſe productum revera infinitum; ſiquidem ſolus Deus ſit revera infinitus: ergo neceſſe eſt, ut productum illud infinitum ſit Deus, & quidem idem*

pag. 158.

Amyrald. Diſſert. de Trinit. pag. 158.

Biſterfeld. de Uno Deo Synopſ. §. 17.

Deus qui eſt producens, cum Deus ille qui eſt infinitus ſit eſſentia unicus. Quibus poſitis ſequeretur, ſi Adamo indita fuerit recta, de Deo, ejuſque proprietatibus cognitio, neceſſe eſſe ut & Trinitatem ex ſumma & naturali perfectione ac eminentia, ſit verbo venia, profluentem agnoverit. Seraphini etiam, perfectionem Dei ſummam, intimè contemplantes, ejus ἀκμὴν quaſi in Trinitate iſta collocaſſe videntur, Jeſaiæ VI. Cap. inclamantes Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum! Adde, quod, non ſolum quod ſit, ſed & quis ſit Deus, procul omni dubio, cognoſcere, Adami perfectio requirat. Niſi enim quis id noverit, ſemper rogare dabitur cum Pharaone, *quis eſt ille Deus?* Merito etiam, Articulum, ſi quenquam, fundamentalem ſtatuunt Reformati dogma de Trinitate. Neque etiam poſt incarnationis demum tempus, ſed & ab æterno verum eſſe putem, quiſquis non habet, aut non honorat Filium, is non habet, non honorat Patrem. Sequeretur deinceps, fidem Adamicam, vel potius cognitionem, objecto non diſtingui à Gentili, Judaica, Muhammedana. Quomodo autem Chriſtiana fides, Adami Theologia dico ego, tota eſſentia & forma diſtingui debeat ab Apoſtaſia & perfidia Judaica, & quidem ſpeciatim hoc dogmate de uno vero Deo, accurate & evidentiſſime, contra Socinianos demonſtravit, Cl. Vedelius, in Tract. de Deo Synagogæ. Adde quod uſus Practici morales non pauci inde nobis profluant, ut fuſe docet Venerandus Senex G. Voetius Loc. cit. & quidem multi eorum tales, qui integrum æque ſpectant, ac reſtitutum hominem. Quare & legi morali, Adamo reipſa itidem datæ, ſe talem præfixit Deus ut qui ſit Jehova Elohim. Ut non referam, magnum revera Socinianis prætextum dari, ſi id ſtatuas aut in dubium revoces an Adamus &c. ratio eſt, quia de neceſſitate credendi dogma de Trinitate contendentibus, oggerent, hacte-

Voet. Diſp. Part. I. Diſp. de Neceſſit. & Utilit. Dogm. de Trinit.

Hoornb. Socin. Confut. T. I. L. I. Cap. IX. Sect. 2.

Voet. L. Cit. Meiſner. ap. Schlighting. de Artic. fundam. pag. 27.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

hactenus ſe talem, de Deo, homini notitiam adſcribere, qualem in Adamo integro fuiſſe ille ſtatuit qui Trinitatem ipſi cognitam non fuiſſe aſſerit. Quod non parum orthodoxos ſtringet, quippe imaginem Dei, partim in cognitione ſitam fuiſſe, ad eamque nos, quoad cognitionem redintegrandos ex Col. I II. lum docent, reſpondebunt Sociniani, ſe largiter ſatis nobiſcum agere, modo concedant, reſtituti hominis cognitionem, quoad objectum primarium, eandem eſſe cum integri, id eſt Deum innoteſcere unum eſſentia, non perſonis trinum. Sicque paria faciet hactenus reſtitutus cum integro cujus excellentiam eo in loco prædicari judicamus. In Evangelii diſpenſatione & redemptionis opere, peculiares Filio & Sp. S. partes eſſe, ſicque jam utriuſque mentionem ſæpe in ſcriptis ſacris, iſta occaſione fieri, non equidem inficior: ſed notari velim hæc duo, primo, quod abſolutus etiam, moralis & homini integro decens cultus, omnino requirere videatur, ut Deum agnoſcat qualis eſt colatque triunum: relatio redemtoris quidem ſupervenit occaſione peccati, trina autem ſubſiſtentia, Deo coæterna eſt, &, ut ita loquar, naturalis & eſſentialis, ita ut Deum eſſe, ſummè perfectum eſſe, ponat, triunum eſſe tribuſque modis ſubſiſtere. Deinde non minus certum eſt omnes perſonas, ſecundum ſuum quamque ſubſiſtendi operandique modum ac ordinem, in opere, etiam creationis, agnoſcendas, quapropter & non minori cum emphaſi, in narratione primæ, quam ſecundæ creationis exerta & copioſa Filii & Sp. Sancti mentio habetur. Præterquam enim, quod vox *Elohim*, ſæpius repetita, in hiſtoria creationis Gen. I. id toties inculcet, ſummopere notandum videtur, quod hominem creaturus, Deus ille Elohim, conſilium quaſi ineat, dicente Patre, Filio & Sp. S. *faciamus hominem* &c. multis pluralitatem perſonarum ſignificante.

Confer. Alting. Jac. Poſt fundam. punctat. Diſſert. III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Joh. 1. 3. Col. 1. 16. Hebr. 1. 10.

Sic Sp. S. aquis incubaſſe dicitur expreſſe. Johanne divinitatem τοῦ λόγου peculiari ratione ex opere primæ creationis deducit, eandem Filio exſerte tribui Paulus; in Filio agnoſcunt, laudant Angeli. Agnovit etiam procul dubio Adamus. Sed *non novit*, dici Wolzogen, *niſi manifeſtante Deo*, ſit ita, indita cognitio etiam Dei manifeſtatio eſt, at aliud quid putat, *nil enim cogitamus*, ſic argumentatur, *in imagine Dei, quod ultra eſſentiam divinam, ejuſque proprietates aſcendat altius.* 1. non cogitamus, ergo &c. optime! ſic diſcimus hodie ratiocinari, non cogito non percipio, ergo non eſt, memini eandem methodum tribui Judæo cuidam apud Genebrardum, qui Trinitatem oppugnaturus ſic diſſerit, *Exiſtentiam ejus mens concipere prorſum nequit.* Eodem prorſus argumento. Sed Wolzogi, an tu ex idea, imperfecta ſane, quam nunc de imagine Dei tibi formas argumentaberis dum de homine integro ſermo eſt? Et poſito quod ita ſit, quod ultra eſſentiam, ejuſque proprietates non aſcenderit, cum de eſſentia ſit Deo, uti ſupra diximus triunum eſſe, idque ex infinita fluat perfectione, quis inficiabitur, cognita rite eſſentia, ejuſque perfectione, cognitam ſimul Trinitatem eſſe? Vel an putas, & Angelis id non innoteſcere, niſi præter concreatam cognitionem, qua gaudent, inſuper hoc Myſterium reveletur? Et ſi non Angelis; quorſum homini talem revelationem neceſſariam fingis? Ideam Dei nobis inditam dicis, quæ Deum referat, an credendum putas, talem indi Adamo non potuiſſe, quæ ipſi Deum triunum repræſentaverit, ſi indi potuerit, quid ambigis? quid te cogit eam imperfectionem fingere, ſcilicet, quia *nunc* eam talem *non cogitamus*: ſed talem nunc cogitare non vales forſan. Ex revelatione dicunt, qui Ideam iſtam propugnant, poſtquam innotuit S. S. Trinitas, Ideam habemus Trinitatis, & idem *ipſis eſt negare Ideam Trini-*

Rabbi Joſeph. Albo Libro Ikkarim Serm. 111. Cap. xxv. ex Genebrardo apud Hoornb. C. Jud. L. v. Cap. 11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Trinitatis, quod credere eam ſine ullo ejus conceptu adeoque credere quod neſcias. Quidni jam Adamo ea ab initio indi potuit, qualis ope revelationis in nobis demum evadit? præſertim cum Adami cognitio exemplar ejus ſit, quam nos per regenerationem acquirimus, judice Apoſtolo Col. III. tu licet *talem nunc non cogites.* Non magis ſolida ſunt quæ ſequuntur, ſic ex ſupra poſitis adverſus Paradoxum concludit. *Quæ cum cum ita ſint*, nimirum Adamum citra revelationem illa ſcire non potuiſſe, *id hinc concludo, non debere nos putare, veritates iſtas Scripturarias magis nobis eſſe cognitas ratione tantum utentibus poſſe, quam in perfecto ſtatu collocato homini.* At ubi hoc Exercitator? veritates iſtas nobis à natura & ratione eſſe cognitas. Non tam ſtolidus eſt, ut putet Chriſti nativitatem, Paſſionem, fidei in Chriſtum neceſſitatem, &c. ratione innoteſcere, nec ullus Socinianorum unquam ita deliravit. *Quemadmodum enim hominum nemo conſilia quæ alter mente ſua agitat ſcire poteſt, quamdiu ipſi non revelentur: ita multo minus Dei conſilia quamdiu in mente ejus latent, agnoſcere. Revelantur &c.* ſic homo Socinianus. *Videmus Dei myſteria ab hominibus intelligi non poſſe, niſi à Deo revelentur; ſed revelata poſſe intelligi*, ait Schlightingius. *Neque enim alia ratione Dei arcana homini fas eſt cognoſcere*, inquit Crellius. Ut fruſtra Wolzogius rem iſtam tanto conatu probaverit, à nemine quippe negatam. At poſito, quod & Sociniani & Paradoxus Wolzogio ultrò largiuntur, iſtas veritates ratione non innoteſcere, quid inde? concludo inquit *nullam proinde eſſe interpretationem quæ à ſolis veritatibus petenda ſit.* Id vult Paradoxus, non à veritatibus inſitis omnem fluere & pendere interpretationem, ita ut nulla veritas loco alicui ineſſe credenda ſit, niſi quæ prius in mente fuerit ex principiis naturalibus elicita, vel ſaltem elicienda, contrarium

pag. 158.

Brenius ad I Cor. II. II.

Schlighting. ad. I Cor. II. 10.

Crell. ad I Cor. II. 10.

enim jam vidimus; ſed hoc vult, nihil in Scriptur eſſe præter veritates, quas licet invenire non potuiſ ſet latentes, revelatas dijudicare tamen queat, & exa minare an poſſibiles ſint nec ne, ratio. Quæ genuin Socinianorum eſt ſententia. Quam non evertit Wol zogen, qui ſolum concludit, quod Sociniani conce dunt, veritates nimirum multas, ante revelationem ut excogitari, ſic dijudicari ratione non poſſe. Se fuſius iſta videbimus poſtea. Quare & non ſtrin gunt quæ habet pag. 177. ſi ex veritatibus judican dum, *jam nihil intereſſe, legemne ſcripto Deus nobi tradidiſſet, an cordibus tantum natura inſculpſiſſet* Regeret enim Paradoxus, de multis ne quidem ſo mniare rationem, nondum revelatis, dum poſt re velationem tamen à ratione judicari & diſcerni que unt optime. Sicque multum revelationem ſuperad dere rationi, ratio licet judicandi etiam de revelati maneat norma:

Strict. VII. Pagina 180. dicit, *omnes veritates æternas nullique mutationi obnoxias eſſe.* Hæc theſis ulteriorem penitioremque requirit diſquiſitionem, Vel enim hoc vult verum eſſe in ſenſu, ut vocant, compoſito, conſequenter ad decretum Dei, vel diviſo, hoc eſt antecedenter ad idem Dei decretum. Si ſenſu priore, bene habet, ſtatuimus enim ut res omnes ſic & veritates ab æterno ordinatas eſſe, ac omnia eſſe & fieri juxta immobilem illam æternamque legem. Hoc ſenſu legem æternam accepit Thomas 1, 2. Q. 93. a. 1. cum ait, *eam nihil eſſe aliud, quam rationem divinæ ſapientiæ, ſecundum quam dirigit omnium creaturarum motus & actiones*, ſic revera omne quod jam exiſtit, quod verum eſt &c. veritatis erat æternæ & immutabilis. Conſiderari autem ea poteſt, vel in genere reſpectu omnium, vel cum peculiari relatione ad homines, & *cognoſcitur aliquatenus per impreſſionem,*

medi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

mediante lege naturæ: Hæc enim partialis eſt expreſſio legis æternæ. quicquid enim requirit νόμος ἔμφυτος, lex naturæ inſita, illud quoque ſancivit νόμος αἰώνιος lex æterna. Nimirum tam naturalis quam libera. Si autem ſenſu poſteriore putet omne id verum eſſe antecedenter ad Dei decretum, jam falſum eſt illud effatum 1. in rerum eventibus nexibuſque; potuiſſent aliter enim omnia per decretum ordinata eſſe: 2. in axiomatis: quorum quædam, de rerum natura & eſſentia, quædam de moralibus, nobis inſita, aut ſaltem ex inſito principio elici poſſe, comperimus: hæc quod attinet, nullus dubito, quin inter illa quædam compareant, quæ cum à jure Dei poſitivo & libero pendeant, æternæ veritatis & immutabilis dici non poſſunt. In ea enim verſor ſententia, talia dari, quæ pro ſuo beneplacito Deus nobis ut injunxit, ſic & indere potuit, quare & minime confundendas putem, leges Deo naturales, cum iis, quæ nobis tales, ſicuti enim liberum Deo fuit nos tales fingere quales vellet, ſic & pro ſuo placito univerſam hominum multitudinem obligantia præcepta libere dare, imo & hominibus indere potuiſſe clariſſimum videtur. Quod ſi probe notaretur, viderent procul dubio Antiſabbathici, ſe in caſſum laborare, dum Sabbathum Deo naturale non eſſe, hoc eſt, præceptum illud ex ipſa eſſentiæ divinæ ſanctitate, neceſſario non fluere, à nobis largiter concedi cum vident, ſe nullo negotio idem morale non eſſe, imo ne quidem eſſe poſſe, ilico probatum dediſſe gloriantur. Hoc debebat evinci, nullum præceptum, Deo poſitivum, nobis morale & inſitum eſſe poſſe, En Rhodus! en ſaltus! id probent diſputatores, huc enim ultimo recidit tota illa controverſia, quod ſi nondum viderint, ignorantiæ, ſi autem viderint, quoniam id ſemper ponunt, nunquam probant, malitiæ reos eſſe, merito quis illos dixerit. Ultimus ille Burmanni hyperaſpiſtes

Heereb.
Diſput. de
Lege æterna. §. v.

Confer.
Voet. de
Jure. &
Juſtit.
Diſp. T. I.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

hoc agat, hoc examinet, habebit quo pugnos prurientes exerceat, cramben recoctam apponere, eamque calumniarum, ſycophantiarum, mendaciorum, detorſionumque fœtido embammate delibutam, artis non eſt ſed impudentis & malevoli animi ſignum infallibile.

Strict. VIII. pag. 180. Tritum merito axioma vocat, Philoſophorum illud, *fruſtra fieri per plura, quod poteſt fieri per pauciora*, ſed ſano ſenſu uſurpandum monet Wolzogius, & exemplo adducto illuſtrat, creationem refert, *cui revera totos ſex dies impendit ſapientiſſimus & potentiſſimus artifex.* hic autem an hoc axioma uſu veniat diſquiſiturus, miram exercet criſin. creationis vox, inquit, ab ambiguitate liberanda venit. *Si enim ſimplicem productionem rerum illam ſignificare velimus, dubium non eſt, quin compendio potuerit agere*
pag. 182. *Deus. Sed ſi per creationem intelligimus illam produ-*
pag. 183. *ctionem rerum, in qua non tantum potentiam ſed & ſapientiam ſuam voluit elucere Deus, quæ nobis eſſet ordinis exemplum, quæ laboris & quietis ſimilitudinem contineret &c. jam nego paucioribus potuiſſe creationem fieri.* Inanis illa criſis videtur, quam hic exercet noſter; quouſque ſe extendat & in quibus valeat dicti axiomatis veritas, docere aggreditur, ſemper illud obtinere negat, probatque negationem illam argumento ab opere creationis deſumto, hactenus benè: ſed quid hoc ſibi vult *creationis* vocem ita diſtinguere ut aliquando ſignificet ſimplicem productionem rerum, aliquando illam qua non tantum potentiam &c. quaſi creatio unquam per ſe aliud quid, quam ſimplicem rerum denotet, ex nihilo, aut inhabili materia, productionem? quaſi etiam conceſſa altera illa ſignificatione, ultro diſputari adhuc poſſit, an compendioſiore via agere potuerit Deus? talia enim in illa vocis notione includit Wolzogius ut ſimul non probet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

probet, ſed ponat, quod quæritur. Quod autem rem ipſam concernit, in foveam ipſe incidit, dum ita audacter pronunciat, ac ſi Deus, aliter ſi cuncta feciſſet, quam fecit, ſapientia ejus non eluxiſſet, ordinis exemplum, laboris & quietis ſimilitudinem non reliquiſſet. An tu noviſti quomodo Deus agere debuerit, ut quam maxime ſapientiam, vel alias, demonſtraret perfectiones ſuas? an tu tibi tanta præſumis, ut de infinito & infiniti Entis fine determinare quicquam, abſque ejus revelatione, audeas? Non bene hic Carteſii memorem fuiſſe te, ſat ſcio. Poſtquam Deo placuit ſic agere, fateor, jam ſic ſapientiſſime omnia facta undecunque apparent, ſed an non & idem accidiſſet, ſi Deo aliter agere viſum fuiſſet? Quid ſi centum, quid ſi duos, tres, quatuorve dies illi operi dediſſet, an minus ſapientia luceret? vel deeſſet ordinis exemplum? Quid ſi uno die omnia ſic ordinate produxiſſet? nonne ſtupenda patuiſſet potentia, ſapientia eluxiſſet? Quis es ô homo qui Deo ponas & figas terminum modumque? Uti Carteſius alibi concedit, fieri poſſe, ut alii, diverſis plane hypotheſibus, æque feliciter naturæ Phænomena explicent, quam à ſe putat explicata, ſic & nullus dubito, quin alio plane & ab iſto longè diverſo, ordine, Deus potuerit rerum produxiſſe mirabilem iſtam univerſitatem, ſapientia interim ſua, juxta cum aliis perfectionibus, non minus, quam nunc eluceſcente; Niſi velit ex mundi Deique conſideratione colligi poſſe, non ſimul non uno die, ſed ſucceſſive, ſed diverſis diebus Creationem perfectam fuiſſe. Quod revera ex ipſius diſcurſu colligere datur, ratio etenim docet, Deum procul omni dubio, omnia tali ordine feciſſe quali maxime eluceret ſapientia &c. Hæc autem Judice Wolzogio non ita eluceret niſi ſucceſſu temporis & variis diebus peracta fuiſſet rerum productio. Placet mihi quod alibi * Amyraldus, de Adamo & quidem

* Amyrald. Diſſert. de Myſt. Trin. part. III. pag. 159.

 inte-

integro, *Opera Dei perfecta fuiſſe ſex diebus ipſis, ex eorum contemplatione colligere homo nequivit. Adeo enim nulla ſunt argumenta diſtributionis partium creationis in ſex dies, ex quibus id certo cognoſci poſſit, ut poſtquam Moſes illius tam exerte meminit, Auguſtinus tamen, & nonnulli alii, mundum uno die, unoque temporis veluti momento, creatum fuiſſe crediderint. Quamobrem ſi quid ea de re primus homo cognovit quod ex contemplatione operum divinorum deſumtum dici queat, id ex eo habuit duntaxat, quod Deus dicitur quieviſſe ſeptimo die eumque diem ſanctificaſſe. Quietem enim illam & ſeptimi diei ſanctificationem, Adamo incognitam fuiſſe, veriſimile non eſt. Utique obſervationis Sabbathi uſque à primordio rerum, veſtigia ſunt non obſcura neque leviter impreſſa &c.* Quid, annon millena in rerum natura occurrunt; quæ breviori via, minorique mediorum apparatu perfici potuiſſent, ſalva tamen, omnimoda, divinæ perfectionis, declaratione ac manifeſtatione? Nos iſta regula, in iis, quæ nobis peragenda incumbunt, regat dirigatque, abſit ut Deo ullam legem unquam præfigamus, ut ſapientiſſimum potentiſſimumque illud numen, mentis noſtræ cancellis includamus. Superiori exemplo, ſententiam ſuam explicaturus, alterum ſubjungit; creationi, redemtionis opus, & in eo etiam, non putat obtinere illud axioma, de quo diſputat, videtur enim fieri ipſius judicio potuiſſe, ut, *abſque tanto molimine gens Chriſtiana conderetur: potuiſſet ſtatim mortem obire Chriſtus, ut ſtatim plene ſervaretur omne nomen Chriſtianum.* Bene agit quod & in eo, illi regulæ, Deum ſubducat, male autem, quod redemtionis longe aliam, quam creationis, rationem eſſe, non probe adverterit; etiam in eo, quod, ſicuti creatio, uno momento, perfici potuit, ex rei ipſius cônſtitutione, ſic redemtio moram per ſe requirat; niſi obedientiam vitæ, quam *activam* vocant

cant Theologi, abeſſe & uno momento naſci morique, ſufficere potuiſſe velit. Ego tam audax non ero, ut quicquam, temere me divinis, abditiſque Dei penetralibus, ingerens, proferam. Sit in voluntatem Dei nobis ultima in hiſce, & ſufficiens, analyſis. Occulta reſeras imprudenter, quando abſque ulla revelatione ex cerebro tuo tanta definis, cum dicis, *potuiſſe ſimplicius nobis tradi Chriſtum. Id nos fatemur, ſed tum non tam perfecte nobis traditus fuiſſet.* Unde hoc habes Wolzogi, niſi ſic per gradus, niſi tali ordine revelaſſet Chriſtum Deus, eum non ita perfecte nobis revelandum fuiſſe aut tradendum? An tu ſcis, æque perfectam Chriſti cognitionem, alio modo acquiri, nobis per abſolutam Dei potentiam impoſſibile eſſe? ubi tua modeſtia Wolzogi? ubi ingenium, aut eruditio Theologo digna? *quæ ſolius ſunt arbitrii divini, nil certi poſſunt in re habere*, inquis alibi. Cujus dicti jam plane oblitus videris.

pag. 184.

pag. 144.

Theologi nullo diſcrimine vapulant pag. 188. ſic judicis inſtar, pro authoritate, *Quanquam hic quoque nimio plus ſibi permiſerint ſæpe Theologi*, non una vice, ſed ſæpius reos hic vides bonos Theologos. Nollem ita contemtim omnes ſimul exagitatos à te Theologos, Paſtores Eccleſiæ, Wolzogi, Theologiæ nec Doctor, nec Profeſſor; cenſoria autem poteſtate te, in illos ſimul omnes, non armarunt, tui Domini, perſonam licet tibi impoſuerint non contemnendam. Nominaſſes reos, ne injuſte omnes uno ferirentur ictu. Sed crimen Theologorum audiamus, quid tandem illud ſit, in quo nimium ſibi permiſerint, *hi cum non ſatis magnifice de Dei verbo ſe exiſtimare poſſe crediderint*, quid in eo vitii eſt, cum verbum Dei ſit? at *ſæpe myſteria finxerunt, ubi nulla voluit eſſe Spiritus Sanctus, tandemque nuſquam facile conſiſtente religione, ſingulis fere punctis aliquod ſubeſſe horrendum arcanum*

Strict. IX.

ſibi

ſibi perſuaſerunt. Judæis ſcio, tantum, non in proverbium abiiſſe, Rabbini illud, nullum in lege Jota eſſe, à quo non pendeant montes doctrinarum, Papiſtas, & inter eos, *Myſticæ*, ut vocant, *Theologiæ* ſectatores, plus quam par eſt, in ſenſibus anagogicis, tropologicis, allegoricis, excogitandis ſibi indulgent, prementes in eo, ſed male aliquot Patrum, maxime Origenis, veſtigia. Reformati morem iſtum deteſtati, nimium reverentiæ, Scripturæ ſacræ exhiberi, quamvis nunquam ſint conqueſti; ſenſum literalem ſectati ſunt, myſteria locis, non ficta ingerentes, vel aliunde arceſſentes, ſed ex locis ſedula cura venantes quærentes & quidem in ſedibus ſingula quantum poſſunt propriis. Quoſnam ergo ita notaſti? Judæos credo, aut Pontificios, at illos non ita abſolute Theologos dixerit accuratus ſcriptor & dilucidus. Reformatos autem, poſito quod aliqui ſubinde, hunc aut illum locum, non ſatis magnas ob rationes, allegoricum putaverint, ita tamen ſpretos abjecteque habitos indiſcriminatim quis ferat? Scilicet ut placeant nova, priora omnia oportet ſordeant. Quicquid Carteſiani ſyderis influxum non redolet, fœtet. Dogmaticos cum Elenchticis, antea non ſatis dilucidos, vel in maximi momenti negotio, vidimus; nunc explanationum, commentariorum, quos dicimus, ſcriptores, nimium ſæpe ſibi permiſiſſe dicit, pronunciat Wolzogius, omni, qua honor Orthodoxis conſtet illibatus, omiſſa limitatione. Aſt & ſui obliviſcitur, etenim paulo ante, magnifice de minimis, quæ in ſcriptura exſtant, prædicat; *facere debet ſumma Dei ſapientia*, inquit, *ut credamus non ſine mente vel minimos apices eſſe exaratos.* Qui luſum ſchacchicum ſcripturæ ſimilem docuit Wolzogium, ea de re ſic habet, * Baco Verulamius: *Sic interpretandæ Scripturæ, ut intelligamus, complecti eas, non ſolum totaliter aut collective, ſed diſtributive, etiam in clauſulis*

pag. 187.

* Baco Verulam. de Augment. Scient. Lib. IX. §. 3.

ſulis & vocabulis ſingulis, innumeros doctrinæ rivulos & venas ad Eccleſiæ ſingulas partes, & animas fidelium irrigendas. Hæc concoquet Wolzogius, non eſt Theologus qui loquitur. Et revera quod peculiari Divinæ providentiæ cura ſervatur, quidni, ſimili cum attentione hominis penſitetur minimum in ſacris Jota? Sed *opinionum portenta*, ex eo orta dicit Wolzogius. Ea deteſtamur, ſimul autem Orthodoxos Theologos exemtos volumus crimine, & liberos.

Pagina 192. Certitudinem requirit ab interprete, *ut ipſa quoque fides quæ pendet ab interpretatione, ſit perinde certa.* Optime. *Sed hanc certitudinem negat convenire novo interpreti*: itidem in ſe bona hæc theſis eſt, audiamus probationem: *Exercitator enim à clara diſtinctaque perceptione quæ ſolius ſit veritatis, omnem derivat perſuaſionem*; ſit ita, at hic te tuimet ipſius deprehendo adverſarium, idem ipſe doces, idem Velthuiſius: videris ſane ita meditationum tuarum gurgite ſubmerſus fuiſſe, ut ſubinde in extaſin collapſum te præcedentium & ſequentium ceperit oblivio. Hic totam Paradoxi molem, eo disjicis ictu, quoniam claram diſtinctamque perceptionem, quæ ſolius veritatis ſit, requirit ad perſuaſionem producendam: pagina autem 201. idem ſerio contendis, loqueris de Theologica & Philoſophica rationis & revelationis perſuaſione & dicis, *ſi ſit vere perſuaſio, à veritatis orta cognitione fuerit, veritas autem omnis ſibi ſemper conſtat, ergo & perſuaſio.* Agnoſce theſin tuam Wolzogi, revera tua eſt, inde concludis tu adverſarii tui incertitudinem, ſed ego te lubricum eſſe, omnique interpretationis certitudine deſtitutum, eadem ratione conficio. Certitudinem non habet Paradoxi Interpres, ſic tu, pag. 192. quia *à clara diſtinctaque perceptione quæ ſolius ſit veritatis omnem derivat per-* Strict. X.

ſua-

ſuaſionem. Certitudinem non habet Wolzogii Interpres, ſic ego, nam ipſo judice, *ſi ſit vere perſuaſio, à veritatis orta cognitione fuerit.* Aliis argumentis eges, aliis pugnant & vincunt Reformati. Vereor autem ne concedas conſequens, nimirum nullam tibi certitudinem eſſe, ſaltem in iis quæ præter pauciſſima illa fundamentalia in ſacris exſtant, hoc aperte profiteris pag. 251. *Nam in cæteris*, ſic ſcribis, de fundamentalibus iiſque pauciſſimis dixeras, *non agnoſco ullum infallibilem interpretem.* Candide profecto & generoſe ſed ſceptiκῶς. Iterum te in contradictione deprehendo, non agnoſcis præterquam in fundamentalibus ullum infallibilem interpretem, hoc eſt interpretationis normam, de ea enim loqueris, rogo autem an ea, quæ præter fundamentalia, ex ſacris te didiciſſe & docere conſtat, fide recipias, iiſque credas nec ne? rationis non ſunt, ergo proprie non ſunt ſcientiæ objectum, doces autem ea quæ dicimus, ergo non ſolum ea autumas, aut pro opinionibus habes; reſtat itaque, ut credas, imo credis; jam pergo, fides debet niti certiſſimo & infallibili fundamento, ſic ipſe Paradoxum oppugnas pag. 192. at p. 251. Præterquam in fundamentalibus nullum agnoſcis infallibilem interpretem, abſque interprete nihil ex ſacris ex tua ſententia conſtat, ergo præter fundamentalia eaque pauciſſima nihil credis. Habes quod expedias Wolzogi, en te Scepticiſmi, præterquam in perpaucis, tuis convictum verbis. Eas jam & Theologos omnes increpa, Dilucidus es, illi non ſatis hactenus tales.

Strict. XI. Philoſophiam non minus accurate tradit, quam Theologiam noſter diſputator. Regno illam ſuo ſpoliat & de Principatu ſuo dejicit, ut huic ſuus maneat honor & eminentia, vis autem ſcire quo argumento id præſtiterit? ſenſibus detraxit divinas veritates & ſic

rem

rem probe egit. Hæc ſunt ipſius verba. *Quare totum* pag. 193.
illud de Philoſophia poſſemus omittere, quia regno eam ſuo ſpoliavimus, at qua ratione? quo modo? *cum veritates illas ſenſibus detraximus*. En ſoliditatem, en ſubtilitatem Wolzogianam! ſenſibus detractæ ſunt illæ veritates, *ergo injuſto dejecta principatu eſt Philoſophia*, non id expectaveram, ab homine, Carteſii placitis addicto, qui à ſenſibus non ſolum, ſed & ipſa imaginatione ſeſe abſtrahens, pura mente, intellectu puro, meditari & Philoſophari, jam dudum didiciſſe debuerat. Gaſſendus corpus dicebatur Carteſio, tu autem quam corporeus, quam craſſus ipſi dicereris, ſi te audiret, ea quæ à ſenſibus remota ſunt, vel iis ſubducta, aut detracta, Philoſophiæ itidem ſubducta detractaque pronunciare? An talem Philoſophiam te docuit Carteſius, aut Ariſtoteles, an vero tua, ſi non ignorantia, ſaltem ſocordia &, ſit venia verbo, inadvertentia? Age, tu Philoſophiam ultra ſenſus & ſenſualia nondum didiciſſe te profitearis ſicque *ſenſibus detracta veritas*, *Philoſophia tuæ detracta erit* neceſſario. Verum ſubtilem illam & divinam Philoſophiam quis non mirabitur? Sed probare debueras, ignorat negatque Paradoxus: imo omnes, qui Philoſophiæ naturam vel mediocriter noverunt, contrarium ſtatuunt. Credo equidem aliud agenti hoc exci- diſſe. Porro, an ita Philoſophiæ principatum de ponte dejecerit, prout Theologum Reformatum decet, ad calcem hujus ſcripti videbimus. Hic Orthodoxus videri vult & propterea tam longè valere jubet Philoſophiam: at præterquam, quod imprudenter & non abſque inſigni prodita ignorantia id præſtet, non ſerio agere poſthac convincendus eſt, niſi proteſtatio valeat, quæ actui contraria eſt.

Pagina 195. *Hiſtoriam Philoſophicam in tranſitu*, ab ipſo lectam, videmus. Academicorum & Strict. XII.

Scepti-

Scepticorum ſenſa ſic refert, *illos dixiſſe probabili tantum argumentatione in utramque partem de omnibus diſputari; hos, ulterius progreſſos, omnia eſſe inania arguiſſe quæ de rerum ſcientia traduntur.* Noverat Wolzogius Carteſium paſſim Scepticiſmi ab Anticarteſianis accuſari, & animus erat ſequente pagina, in cælum evehere Carteſii Philoſophiam. Cavet itaque prudenter, ne, ut Carteſianiſmi, ſic & Scepticiſmi habeatur reus. Hunc in finem nobis deſcribit Scepticos & quidem ſic deſcribit, ut quam maxime Carteſianiſmus, differre à Scepticiſmo, appareat. Scepticos quod attinet, ex Carteſio hoc habet Wolzogius quod narrat, qui fingit eo dementiæ veniſſe Scepticos, *ut vel ſenſibus etiam in vitæ actionibus regendis non crediderint.* Contrarium autem ſuſtinet ut in ipſa Philoſophia, ſic præſertim in Hiſtoria Philoſophorum verſatiſſimus Clariſſimus Gaſſendus. Video & Vogelſangium virum Doctiſſimum, hanc cauſam tractaſſe in ſuis adverſus Paradoxum diſputationibus, earumque contra Johan. De Bruin Vindiciis. Fuſe autem quæ huc pertinent deducit Schook ſingulari de Scepticiſmo tractatu. Quare huic labori ſuperſedeo.

Carteſ. Reſp. ad Object. Sec. 1 p.

Gaſſend. Diſquiſit. Carteſ. p. 30, 31.

Strict. XIII. Pagina 197. Poſt repetitum, Paradoxi verbis, Carteſii elogium, Philoſophiam Carteſianam amplectitur non ſolum, ſed & tam manifeſtæ, tam certæ veritatis eſſe, audacter aſſerit; *ut, ſi vel ſolam nominaſſet Philoſophiam, qua ſatis indicatur veram intelligi & naturæ congruentem, omnis curioſus indagator veritatis per quaſcunque ambages fuiſſet tamen ſua ſponte tandem ad Carteſianam revolutus.* Audax pronunciatum & imprudens. Vere hæc Donatiſtarum genium redolent, quamquam in eo differentia ſit, quod illi Theologiam reſpiciebant, dum hi de Philoſophia loquuntur. Ponam * Danæi verba de Donatiſtis,

* Danæ. ad Auguſt. de Hæreſ. p. 61. b.

tiſtis, *Se autem, ſuumque cœtum, & qui ſibi conſentirent ſolos eſſe veros [Epiſcopos]* Philoſophos. *De reliquo terrarum orbe, [Dei Eccleſiam]* veram Philoſophiam *periiſſe.* Non referam Doctiſſimorum virorum, de Carteſianis dogmatis, contraria judicia, jam dudum enim major Carteſianorum pars inter abdicata præjudicia, ſimul omnem Doctorum hominum, qui ante Carteſium floruerunt, exiſtimationem, exuerunt. Et mirum non eſt, tantum enim temporis, meditationibus illis ſuis, inſumere videri volunt, ut legendis aliorum ſcriptis nihil ſuperſit. Quin & Carteſium imitantur, ſi *literarum ſtudia prorſus relinquant: capiantque conſilium nullam in poſterum quærendi ſcientiam, niſi vel quam in ſe ipſis, vel in vaſto mundi volumine poterunt reperire. Sicque magis, ut exiſtimat* Carteſius, *in veritatis cognitione promovebunt, quam ſi in libris evolvendis, vel literatorum ſermonibus audiendis omne tempus conſumpſiſſent.* Ars autem cum ignorantes omnes inimicos habeat, quid mirum, quæ non leguntur, ea non placere, aliorum ſcripta? Hinc Ariſtotelem & omnes ſimul Peripateticos ne titivilitio ement, naris tanto emunctioris, hodierni Philoſophaſtri, per tranſennam modo Carteſiana viderint Myſteria. Artis eſt, omnia ſcripta, ſcriptores omnes, ſtudioſorum manibus eripere, ut ſola placeant, quæ unus ſcripſit Carteſius, aut pauci lucis filii. *Carteſii ſane reperta*, inquit modo laudatus Vogelſangh, *diſciplinam Phyſicam & Ontologicam quod attinet, perpauca eſſe, probatu facillimum puto, ſi hoc jam ageretur. Tantum ferme aliorum inventa compilavit atque digeſſit, nonnullis addidit, quædam corrupit.* Mihi autem, etſi ingenioſe quædam à Carteſio inventa non negem, imo magna cum delectatione ejus ſcripta, præſertim principia, legerim & à D. Joh. de Bruyn privatim explicata audiverim, non tolerandum videtur,

Carteſ. Meth. pag. 8. & p. 26.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

detur, eouſque ejus Philoſophemata extolli, ut qui ſerio & cum cura veritatem inveſtigare velit, dicendus ſit tandem neceſſario, ad Carteſianam iſtam perventurus ſapientiam. Sic per tot ſecula curioſos veritatis indagatores nullos, vel Philoſophiam Carſianam, jam ante Carteſium, cognitam fuiſſe, neceſſe eſt. Curioſus enim veritatis indagator, tandem ad eam revolvitur, quaſcunque licet per ambages; ambages, quæ omnem, Philoſophorum, omnis ætatis, multitudinem, hactenus abſorbſerunt, tranſverſos egerunt. Nec fuit ante Carteſium, qui hunc ambagum Oceanum, curioſus ut fuerit, pernatare potuerit; Delio iſto natatore egebat humanum genus, cujus opera ex immenſo gurgite, per gyros & vortices, tandem in lucem protraheretur nondum cognita veritas. In puteo fuit latuitque. O miram hominum mentem! ſic ſolent, qui moderationem crepant, qui præjudicia abdicata volunt, aliis eſſe infenſiſſimi, & maxima præjudiciorum copia laborare. Omnes Eccleſiæ Patres, omnes Philoſophi, Reformatæ Eccleſiæ Doctores omnes, tantum non merentur, hoc homine judice, ut indagatores veritatis curioſi, id eſt diligentes & ſeduli, dici debeant, Carteſianam enim Philoſophiam, ad quam per quaſcunque tandem ambages fuiſſent ſua ſponte revoluti, non invenerunt. Hi ſaltem, quotquot hodie Carteſiana non amplectuntur, curioſi veritatis indagatores non ſunt. An neſcis bone Vir, quid Carteſius de ſuis ipſe ſtatuat hypotheſibus? Juxta eas feliciter quidem explicata eſſe naturæ Phænomena, fieri tamen poſſe, ut alio plane modo, aliis hypotheſibus idem præſtetur. Adeo ut neceſſe non ſit, curioſum veritatis indagatorem, ſponte ad Carteſiana revolvi. Poſſet enim forſan excogitare hypotheſes, à Carteſianis longe diverſas, & juxta illas, rerum naturam, æque explicare conſequenter & perſpicue: quod fieri poſſe

Carteſ. Princip. III. §. CCIV.

non

non inficiatur Carteſius. Imo tantum, meo judicio, abeſt, ut novæ Carteſii methodo, quam palam hic profitetur Wolzogen, veritatem ſcrutanti ſit inſiſtendum, ut potius nihil magis vitandum putem, quam Carteſium in ſtudiorum methodo ſectari. *Valde paucis* Carteſio ipſo teſte, *expediet eam imitari. Nam vel hoc unum, ut opiniones omnes quibus olim fuimus imbuti deponamus, non unicuique eſt tentandum.* Summam ſi vis, eorum, quæ adverſus Carteſianam Philoſophandi Methodum dici poſſunt: adi ea, quæ Clariſſimus Daniel Voet, de Recentiorum quorundam Philoſophandi Methodo, aliiſque Diſputationibus protulit: & ſtatim rerum cognitionem, in majore, ab ipſo, non ſolum non eſſe collocatam certitudine, ſed & palam ad inextricabilem Scepticiſmum ſtratam viam, deprehendes. Non quod Carteſianos Scepticos eſſe judicem, & perpetuis dubitationibus inhærentes: ſed caſu, non ex Philoſophiæ Carteſianæ genio, evenire, ſi quicquam habeant certi. *Permulti homines, nihil plane in tota vita percipiunt ſatis recte, ad certum de eo judicium ferendum.* Non tamen de omnibus dubitant, multa putant, infirmo quamvis fundamento nixi, ſe certo noviſſe. Sic & forſan cum Carteſianis ſe res habet. Regulam dictat Cartes iſtam, *certum eſſe, nihil nos unquam falſum pro vero admiſſuros, ſi tantum iis aſſenſum præbeamus, quæ clare & diſtincte percipimus*: lubricam autem & minus tutam eam eſſe jam antea demonſtravimus. Nec melioris notæ eſſe deprehendo, quas alibi, ut fundamentales, veritatem ſcrutaturo ſibi, præfixas fuiſſe docet. 1. *Ut nihil unquam veluti verum admitteret, niſi quod certo & evidenter verum eſſe cognoſceret*, hæc autem eadem cum ſuperiore difficultate laborat: 2. *Ut difficultates, quas eſſet examinaturus, in tot partes divideret, quot expediret ad illas commodius reſolvendas.* At dum nondum rei cognitionem acquiſivit, unde hoc ipſi conſtabit,

Carteſ. de Meth. pag. 13.

Carteſ. Princ. 1. §. XLV.

Princ. 1. §. XLIII

De Methodo pag. 16.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſtabit, in tot, non autem in plures, paucioreſve partes iſtam difficultatem dividendam eſſe? Unde jam facta diviſione, dividendum omne exhauſtum? unde commodius non dividi poſſe, conſtabit? Næniæ profecto, neſcio quid velint, quibus hæc oracula tantum non audiunt. Nihil revera dicitur. 3. *Ut cognitiones omnes quas veritati quærendæ impenderet certo ſemper ordine promoveret; incipiendo ſcilicet à rebus ſimpliciſſimis & cognitu facillimis, ut paulatim & quaſi per gradus ad difficiliorum & magis compoſitarum cognitionem aſcenderet, in aliquem etiam ordinem illas mente diſponendo, quæ ſe mutuo ex natura ſua non præcedunt.* Bene omnia, ſed Carteſianos iſta quid juvant? jam enim omnibus abjectis, depoſitis, pro falſis habitis, unde noverint, cognoſcendi dari ordinem, ſimpliciora dari & minus ſimplicia? porro unde noverint, inter ſimpliciora, & minus ſimplicia, diſcrimen? dic ſodes, unde id hauriet, qui nihil novit, qui cuncta pro falſis habet? Viden' ſic te ex dubitationis, in quem te abjeciſti, gurgite, non emergere? non dari ubi figas pedem? Miror profecto hominum inſaniam. 4. Poſtremo, *ut tum in quærendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis, tam perfectè ſingula enumeraret & ad omnia circumſpiceret, ut nihil à ſe omitti eſſet certus.* Sed quæſo, quid ille de mediis, de quærendis mediis novit, quid de difficultatibus, de partibus quid, ille qui jam cuncta ex animo delevit ſuo? qui omnia pro falſis habet? adhucdum an Deus, an ipſe ſit, ignorans? talem enim requirit Methodus Carteſiana. Deinde ſemper hærebis animo an omnia enumeraveris, an nihil eorum quæ circumſpicienda erant omiſeris. *Nam clarè quidem, & diſtincte eſſe aliquid cognoſcendum, ac nihil eſſe prætermittendum quo minus clare, & diſtincte cognoſcamus id, quod ut verum defendimus, id neque novum, neque dubium eſt, neque regula, quaſi tibi propria, eſt tibi ipſi vindicanda:*

Gaſſend. Diſquiſit. pag. 102.

Sed

Sed quia experimur nos fuiſſe tam ſæpe deceptos, in iis, quæ viſi alias nobis fuimus clare, & diſtinctè cognoſcere, poſtquam nihil prorſus omiſimus eorum, quæ ad cognoſcendum clare, diſtincteque eſſe neceſſaria arbitrati ſumus; ideo ſupereſt Methodus tradenda, quam ſi olim habuiſſemus, non fuiſſemus decepti, & quam ſi habeamus in poſterum, futuri obnoxii deceptioni non ſimus. Et ne forte dicatur fuiſſe olim omnia circumſpicienda accuratius, quippe, quod non ſatis circumſpecta fuerint, ipſo eventu probatum fuiſſe: Patet id ipſum eſſe, quod quæritur, quomodo nempe agnoſci poſſit, quandonam fuerint omnia ſatis circumſpecta, vel non; Nam ut prius per decem annos credidi fuiſſe omnia à me accuratiſſime circumſpecta, & exacto tandem decennio animadverti quidpiam defuiſſe; ita poſſum putare jam circumſpexiſſe me omnia, ac pari modo decipi, & in deceptione perſeverare non modo toto decennio, ſed etiam toto vitæ decurſu: unde & requiro adhuc Methodum, qua conſtet omnia eſſe vel non eſſe à me accuratiſſime circumſpecta. Ex quo fit, ut niſi eam tradas, jure exſibilare Scepticos non poſſis, qui longe melius, quam tu, præjudicia exuunt, quando in rebus ad naturales ſpeculationes pertinentibus, non ſtatim ut tu, in alia præjudicia ſeſe conjiciunt. Occurrit locus Carteſii, quo hanc difficultatem ſe ſenſiſſe videre eſt, quam ſic tollere conatur. *Nec obſtat quod ſæpe ſimus experti alios deceptos fuiſſe in iis quæ Sole clarius ſe ſcire credebant: Neque enim unquam advertimus, vel ab ullo adverti poteſt, id contigiſſe iis qui claritatem ſuæ perceptionis à ſolo intellectu petierunt, ſed iis tantum qui vel à ſenſibus, vel à falſo aliquo præjudicio ipſam deſumpſerunt.* Ita dementati ſunt homines, ut quicquid Carteſius profert, ſolidum videatur non ſolum, ſed illi ſe opponere audax facinus & horrendum. Pueri jam & quorum manus heri aut nudius tertius ferulæ ſubductæ ſunt, Ariſtoteli & quotquot fuerunt præceden-

tium ſæculorum, Philoſophis, imo Theologis, in faciem volent & barbam evellicent radicitus, belle ſe gerunt belluli. Per Carteſianos igitur mihi liceat placide Carteſii dicta, ad incudem vocare. Ea erat difficultas, requiri normam ac Methodum qua juvante ſciam an clara, quam puto claram eſſe, iſtius e. g. hæc perceptio, perceptio, ſit nec ne, falluntur enim quotidie &c. Reſpondet Carteſius: *id non contigit iis, qui claritatem ſuæ perceptionis, à ſolo intellectu, petierunt, ſed iis, qui vel à ſenſibus, vel à falſo aliquo præjudicio ipſam deſumpſerunt.* Quis ita bardus, ita præjudiciis occæcatus eſſe poteſt, ut hic nodum intactum, non ſolutum eſſe, non palpet? Concedatur enim Carteſio totum quod petit, redit ſtatim eadem difficultas, experimur enim non fuiſſe tam ſæpe deceptos, etiam, dum perceptionis noſtræ claritatem, vel à ſolo intellectu petere putavimus, nihilque magis, quam ſenſuum fallaciam, aut ſeductionem præjudiciorum devitare voluimus: quare jam iterum Methodus, quam ſi olim habuiſſemus, non fuiſſemus decepti, & quam ſi habeamus impoſterum, futuri obnoxii deceptioni non ſimus, Carteſianis tradenda reſtat. In Reſp. ad Obj. ſec. videtur velle ſolvere
pag. 76. iſtum nodum, ſic ibi. *In iis autem quæ ſic non poſſunt explicari, nempe in maxime claris, & accuratis noſtris judiciis, quæ ſi falſa eſſent, per nulla clariora, nec ope ullius alterius naturalis facultatis poſſent emendari, plane affirmo nos falli non poſſe.* Sed breviter qui ſcis an non ope alterius alicujus naturalis facultatis poſſit emendari & emendandum ſit, quod jam certum autumas, ipſo facto? emendari non poſſe ſæpius putaſti, quæ tamen emendata vidiſti poſtea, unde jam conſtat, idem & in iſto, & in illo, & in reliquis, non futurum? Deinde unde noveris te tum clare quicquam percipere, ut non corrigi poſſe, ab aliqua facultate tua, videri debeat? Viden' te non evadere,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

vel iſto figmento? te verba dare & nihil præterea? Ejuſdem farinæ eſt, quod in fine paginæ occurrit. pag. 76. *Hæc autem perſuaſio ſi tam firma ſit ut nullam unquam poſſimus habere cauſam dubitandi de eo quod nobis ita perſuademus, nihil eſt quod ulterius inquiramus, habemus omne quod cum ratione licet optare.* Ac ſi diceres, quando perſuaſio tam vera eſt, ut deprehendi nunquam poſſit eſſe falſam, aut ut non poſſit eſſe falſa; bene, vera eſt, quando vera eſt. At normam volo, methodum volo, qua ſciam me rem ſic percipere vel non percipere. Viden' jam multo molimine nihil actum. Sic paſti & ſaturi redeunt qui hic ſapientiam quærunt. Nec abſurditatem minuit, ſi dicant jam, antequam ſe dubitationi dederet, Carteſium iſtas regulas poſuiſſe, ſic enim de ſeipſo narrat, *poſtquam vero me his regulis inſtruxiſſem, illaſque reſervaſſem, quantum ad reliqua quibus olim fueram imbutus, non dubitavi quin mihi liceret OMNIA ex animo meo DELERE.* Ut verum fatear, non video iſta Weigelianorum Schwenkfeldianorumque deliriis, ſaniora eſſe. 1. Quomodo enim poteſt regulas & quidem ſemper retinendas ſibi fingere, dum nihil hactenus novit, imo dum viam ad primam veritatem quærendam, parat? Poſtea enim demum deprehendet & inveniet, *Archimedeum illud inventum quod*, Schookio teſte, *quaſi Delphici Apollinis reſponſum agnoſci volunt.* Quod ipſis eſt primum cognitum, cognoſcendorumque principium & prora. 2. Cum jam deprehenderit, ſe ſæpiſſime falſum, vel in iis, quæ certiſſima, & à falſitatis omnis ſpecie remotiſſima videbantur, ideoque omnia pro falſis habenda, donec firmis fundamentis eorum nixa conſtaret veritas, unde certus eſt ſe & in hiſce non falli, vel ſaltem poſtea falſitatem non deprehenſurum? quid ergo reſtat, quo nixus hiſce regulis fidat? poſſet enim accidere, certus ad minimum nondum eſt non fore, ut & iſtæ re-

Carteſ. Reſp. ad Obj. Sec. N. 4. pag. 77.

Schook de Scepetic. L. II. Cap. IV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

gulæ deprehendantur falſiſſimæ. 3. Stultum videtur ſupponere, Clare quicquam & diſtincte unquam poſthac percipiendum eſſe, difficultates dari eaſque orituras, & quo modo ſuperandas & multa alia, dum nihil, dum nulla veritas adhucdum detecta ſit: niſi primo ſuo principio, *Cogito ergo ſum*, quicquam velint eſſe prius. 4. Puerile eſt, figere & refigere, jam multa novit, ſtipulatur, figitque, quæ paulo poſt refigenda erunt; ex animo enim delenda omnia, nec eſt quod haſce regulas excipiat, niſi in cognoſcendi ordine millena, quæ hiſce regulis comprehenduntur, primum ſuum principium antevertere & præcedere largiter, at contradictoriè, concedat. 5. Contradicunt hæc omnia, tolluntque ſe mutuo, prima enim regula vult, *nihil ut verum unquam* NB. unquam vel nunc vel alio tempore *admitti, niſi quod certò & evidenter cognoſceret.* Rogo igitur, an, dum ponit figitque ſibi iſtas regulas, eas pro veris habeat nec ne? pro veris dicet proculdubio: Iterum rogo quoniam pro veris eas habet, an earum omnes difficultates jam rite diviſerit, eaſque omnes & ſingulas certo ordine, à faciliori ad difficilius ſemper pergendo, examinaverit & quidem tam perfecte ut nihil ſe ullibi omiſiſſe certus ſit? ſi neget, jam ſubvertit primum petitum, quo vult, nihil unquam pro vero admitti, niſi quod clare & diſtincte perceperit, hæc enim omnia, ad claræ & diſtinctæ perceptionis conſcientiam requiruntur. Si affirmet, jam multa clare & diſtincte intelligit, ante erutum vel primum principium, imo dum viam ad primam cognitionem ſternit, multa jam cognita ſupponit. Deinde, poſito, te iſtarum regularum rectitudinem jam clare & diſtincte videre, non potes tamen iis acquieſcere, qui poſtea demum deprehendes, verum eſſe, quicquid clare & diſtincte percipitur, detecta ſc. demum iſta bonitate & perfectione Dei, cui, ex Carteſii placito, repugnat mentem

tem eſſe homini inditam, qua, ſi quid clare perciperet, falleretur. Pro vero ſumit, quod verum eſſe, per Methodi ſuæ rationem, ſcire repugnat; non enim, quamvis clare forſan aut diſtincte percipiam, ſcio id eo ipſo verum eſſe, quoniam clare & diſtincte perceptum, verum eſſe, poſtea demum, ea Idea Dei, colligit Carteſius. Ac tandem, quid eſt quod te ad quærendam veritatem, ad regulas, methodos, eum in finem excogitandas, invitet, adigat? Veritatis amor? neſcis hactenus an detur ulla veritas; veritatis enim regula, qua, quid ſit verum, ſcias, nondum reperta eſt. An falſitatis odium? odiſſe non potes, cujus notitiam nondum habes: falſitas autem an detur, & quid ſit, ignoras hactenus, qui veritatem nondum repperiſti. Præſertim, cum, ex tua Methodo, prius ſciendum ſit, quid ſit res, antequam inquirere debeas, aut ſcire queas, an ſit res: neceſſe eſt, ut, de veritatis aut falſitatis ullius exiſtentia, nihil ſcias, hoc eſt, an verum vel falſum, item an veri vel falſi notitia detur, aut dari poſſit nec ne, quoniam quid ſit, ex propria hypotheſi nondum noviſſe convinceris. Quod autem eſſe, imo ne quidem eſſe poſſe aut non poſſe, ignoras, quomodo id te moveat?

Largiter agamus, ponantur iſtæ regulæ, ſeponantur nunc & ex animo deleantur omnia, dubitationis abyſſus una nos abſorbeat, jam dubito, jam hæreo, nihil novi, nec Deum, nec me, nec cælum, nec terram &c. ubi jam tabula poſt naufragium? quis manum porriget, quo evadam tandemque aliquid certi deprehendam? Jam novem anni mihi elapſi ſunt, jam dies, hebdomadas, menſes aliquot in Carteſianis Meditationibus inſumpſi, *rationum* Carteſianarum *ſeriem & nexum comprehendere curavi*, quantum potui ſedulo. At omni ſcientia vacuo, quis primam mihi guttam inſtillabit? Oſtendit, Vir Clar. olim Præceptor meus, Daniel Voet, nihil ſupereſſe, quo

Carteſ. Reſp. ad Object. 11. Gaſſend. Diſquiſ. pag. 232.

quo iſti Philoſophi Scepticiſmi vitent Syrtes & ex iſto gurgite ſalvi redeant, hoc modo: 1. dicit, hanc Methodum nos deducere ad Scepticiſmum naturali lumine non ſuperandum, circa exiſtentiam tum cauſarum ſecundarum naturalium tum operationum earundem 2. ad Scepticiſmum ne quidem revelatione divina tollendum.

Sic diſſerit; ut, ex eo quod Deus variis modis mediantibus variis cauſis omnino ſimiles poteſt producere effectus, incertus es, à qua cauſa præciſe effectus hic proceſſerit; ita ex eo, quod Deus quos in natura obſervamus effectus, immediate producere poteſt, incertus es an ulla, præter eum, extra te, detur cauſa ſecunda. Porro, ut de cauſis, ſic & de effectis, an exiſtant, incertus es, motus enim fibrillis nervorum tuorum impreſſus, quo cauſarum ſecundarum deprehendis operationes, imprimi tibi à potentiſſimo quodam poſſet genio, multo magis à Deo. Utique, quemadmodum ex eo, quod effectus ſimiles à variis poſſint procedere cauſis ſecundis, colligis nos dubios eſſe, an ab hac potius quam ab illa cauſa fluant, ita & hic de motione in organis tuis ſenſoriis idem dici poſſet, ſicque incertus es, an ullæ extra te in rerum natura res, earumque effectus exiſtant. Excipies. Hoc pacto Deum deceptorem fore. Reſp Non Deum, ſed te tuimet ipſius deceptorem fore, quippe qui judicas, ſimulac mentem tuam affici percipis, eam actionem à ſenſibili quo, revera præter te exiſtente, proficiſci, cum potius tuum judicium hic ſuſpendere debuiſſes, cogitando, mentem tam ab imaginariis quam à veris poſſe affici. Pergo & probo te juxta hanc Methodum, etiam incertum eſſe, an ullæ ejuſmodi motiones in organis tuis ſenſoriis, adeoque an ullæ operationes in corpore tuo, reperiantur: Neſcis enim, an à veris fibrillarum motibus, an vero ab imaginariis, id eſt quos tibi imaginaris, afficiaris, conſequen-

ſequenter an ulli motus revera fibrillis impreſſi ſint nec ne. Tandem, ne quicquam tibi relinquam, oſtendam te, ne quidem cogitationis tuæ certum eſſe, cognitionis enim cognitio, quoniam ſit per actum mentis alium, ſupra priorem reflectentem, neſcis autem an non mens tua, ab alio afficiatur, dum per actum directum hunc actum reflexum productum putas; ut ſenſus, ſic & mens ipſa, à quodam Spiritu poſſet ita affici, ut cogitationis alterius, actus hic, actus reflexus non ſit, ſed falſo ſolum à potentiſſimo deceptore productus: vides quidem cogitationis alicujus in mente ſpeciem, ſed unde conſtat, illam eſſe alicujus cogitationis tuæ ſpeciem, non autem impreſſionis Diabolicæ aut potentiſſimi deceptoris fœtum. Non nego cogitantem exiſtere, aut cognoſcentem reflexe, aut dubitantem, de exiſtentia actus præcedentis cogitare, verum nego cognoſcentem, ut putat, reflexe, eo ipſo certum eſſe, ſe reflexionem prioris cujuſdam cogitationis ſuæ intueri, poſſet enim in eo mens falli, & pro actu ſuæ mentis reflexo ſumere, qui falſam ejus præ ſe ferret ſpeciem. Deinde actus reflexus ſuimet cum non ſit cognoſcitivus, in ejuſdem iterata reflexione, præterquam quod ſic daretur proceſſus in infinitum, eadem ſupereſt difficultas. Quodnam ergo, quo ſtes, tibi reſtat punctum? Certitudinem, demonſtrationem firmam, prodere deberent, eam præ reliquis jactantes. Hactenus modo laudatus D. Voet.

Candide & generoſe victas dat manus Henricus Regius, qui, Carteſiana Methodo, veritatem poſtquam inveſtigaverat, Scepticiſmum, naturali via invincibilem eſſe, aperte profiteri non erubeſcit. Sic enim cauſam dedit. *Neque etiam eſt, quod Scepticiſmus naturalis, ſive ex natura ſequens nobis objiciatur. Quicunque enim omnipotentem & liberrimum cognoſcit Deum, & imbecillitatis humanæ mentis ſibi ſatis* Reg. Philoſoph. Natur. Lib. v. Cap. I. pag. 350, 351. 347.

eſt

eſt conſcius, talem omnium rerum veriſimilitudinem, vel Scepticiſmum naturalem, ſi ita libeat appellare, qualem propoſuimus, negare non poteſt. Et probabilis ſola moralis veriſimiliſque datur rerum extra mentem exiſtentium certitudo. Vanæ itaque & inanes eorum ſunt gloriationes, qui ex natura apodicticam & indubitabilem rerum ſcientiam ſe habere, vel habere poſſe, jactant; cum ex ea ſupra veriſimilitudinem nihil quicquam, ut ex dictis patet, haberi queat. Ergo ad divinam revelationem, certitudinem quæſiturus, fugit, inde Deum eſſe creatorem omnium, qui cauſas ſecundas produxerit, iis operandi facultates indiderit, cum tali intellectu, voluntate, ſenſibus, hominem creaverit &c. edocendus. Sed unde ipſi conſtat de Scriptura quicquam, cum ſine ſenſibus, quibus non tuto creditur, percipi ea non poſſit? Internam revelationem ſi jactas, unde illuſione Diabolica non agitari ſe alii, vel ſibi probabit? Deinde præter alia abſurda. 1. Si ſenſuum etiam ac naturalium ex Sacris petenda certitudo eſt, Sacramentorum inſtitutio (abſit blaſphemia dicto) ridicula foret & inutilis. Nam incertum per æque incertum, aut certum per minus certum ſtabiliretur. 2. Gentiles ex viſibilibus ad ἀναπολογησίαν inſtrui non potuiſſent, contra Rom. 1. &c. Eant nunc & omnia in dubium vocent Carteſiani, bene Philoſophaturo *vel exiſtentiam Dei in dubium vocandam, imo ut falſam habendam*, blaſpheme doceant. Ego putem, præterquam, quod phraſes ſimiles ſint intolerandæ, rem ipſam ſummo abſque ſcelere effectam dari non poſſe. Ex inferno prodiiſſe cenſent, & lugent pii, dubitationes de Deo, quotquot vel in vehementiſſimis tentationibus ſibi ſuboriri deprehendunt. Deſperatæ cauſæ ſignum eſt & imprudentiæ manifeſta profeſſio, quod in tot gyros & anfractus ſeſe flectant novi Philoſophi, quotieſcunque hæc, de dubitatione, regula defendenda venit.

Doctor Leydenſis Diſput. quadam.

Multi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Multi eorum, Criticorum quærentes umbram, ſub hac & illa vocis ſignificatione deliteſcere. De Deo, de rebus fidei nil dictum prætexere, vitæ actiones excipere. Diſtinctionum alias hoſtes, multas diſtinctiones, limitationes, reſtrictiones; à numero, à duratione, à ſubjectis, ab objectis fingere. Jam aſſenſum cohibere ſimpliciter, jam inter extrema quorum neutrum ſatis conſtat ambigere, jam aliud quid ſignificatum velle. Necdum enim certi quid ea de re novi Myſtæ ſtatuerunt. Sed quorſum iſta incogitata dictio, quæ mille technis excuſari, palliarique habeat neceſſe? blaſphemum ſonat, dubitandum de omnibus, imo blaſphemum ſtatuit, quiſquis hoc ſtatuerit. Video, ut crudam iſtam de dubitatione ſententiam leniret, *res fidei, quæ ſemper apud ipſum potiſſimæ fuerunt, ſibi reſervatas ſemper* docere Carteſium. Quæ verba ſatis eſſe putant, quibus inculpata ſiſtatur & innoxia, ſequutura dubitatio, homines Carteſiani: ipſe Carteſius, alta voce ſibi injuriam fieri clamat ab iis, qui ſcribunt ipſum docuiſſe, de Dei exiſtentia eſſe dubitandum, *monebo hic*, inquit, *me nunquam etiam docuiſſe de omnibus eſſe dubitandum, vel ſimilia, quæ à calumniatoribus imperitis aliquando mihi objecta ſunt; ſed omnia iſta expreſſiſſimis verbis rejeciſſe* &c. Quis jam crimen iſtud huic intentabit? Sane nihil ſi ſcripſiſſet, verbis deberetur multa fides, ſcripta autem ſi conferantur, vereor ne quiſque ſit judicaturus, hanc proteſtationem actui contrariam, atque ipſo jure nullam eſſe. Paucis referam quid alibi tradat & an id quod hic ſe docuiſſe negat, non apertis verbis ab ipſo doceatur videre lubet. Carteſii diſcipulos ſi ad partes vocarem, fuit qui blaſphemas iſtas voces chartæ illinire auſus eſt, *ſerio & ordine philoſophaturo exiſtentia Dei in dubium eſt revocanda, hoc eſt, dubitandum eſt an Deus, ens ſumme perfectum, exiſtat: Nam cum de nulla re adhuc pro certo poſſumus affirmare quod exiſtat,*

Clauberg. de Dubitat. Cap. IV.

De Meth. Pag. 25.

Carteſ. Not. ad Program. Op. Tom. 2. p. 189, & 190.

iſtat, quoniam non habemus de ulla cogitationem certam & inconcuſſam, de qua ne minima quidem ratio dubitandi ſit reliqua, certe nulla nobis eſt neceſſitas, nullæ nos movent rationes, quæ pro certo nos cogant concludere Deum exiſtere. Imo omnes opiniones noſtras, utile erit aliquamdiu habere pro falſis. At quererentur injuriam fieri Præceptori, cui diſcipulorum imputentur verba. Vide an meliora ſint quæ ſcripſit Cartesius: Cum *ſemel in vita de iis omnibus dubitare ſtudendum* dicit, *in quibus vel minimam incertitudinis ſuſpicionem reperiemus. Quin & illa etiam utile erit habere pro falſis. Utique*, inquit Schulerus, *quamplurima fidei Myſteria & Sacræ Scr. dicta pro falſis habenda erunt, quia de eorum plurimis ſæpiſſime vel Doctiſſimos dubitare conſtat.* Si forſan quis putet, quædam Carteſio talia eſſe, in quibus ne minima quidem incertitudinis ſuſpicio reperiatur, ac proinde multa, quædam ſaltem, à dubitatione excipi: conferat ille ſequentia, ſic ipſe, *Dubitamus etiam de reliquis, quæ antea pro maxime certis habuimus; etiam de Mathematicis demonſtrationibus, etiam de iis principiis, quæ hactenus putavimus eſſe per ſe nota.* Putas Deum excipi? perge, *Sic autem NB. rejicientes illa omnia, de quibus aliquo modo poſſumus dubitare, ac etiam falſa eſſe fingentes; facile quidem ſupponimus, NB. nullum eſſe Deum, nullum cælum, nulla corpora* &c. *hæc cognitio* Ego cogito ergo ſum *eſt omnium prima & certiſſima. NB. hæc eſt prima quæ cuilibet ordine philoſophanti occurrit.* Phyſicum fateor, iſtud principiorum opus eſt, res iſtas illuc proprie non pertinere ne fortaſſis excipiant, ſolet enim ridicula Claubergius quæſita inter Carteſii ſcripta diſtinctiuncula, multas amoliri difficultates, vel potius ſubterfugium quærere. Quod ſane perquam frivolum eſſe non eſt quod demonſtrem. Age igitur domeſticam & propriam hujus rei ſedem, Meditationes videamus. Sic ſonat primæ titulus.

Princip. I. §. I.

Schuler ad I. Pr. Q. 2.

Princip. I. §. 5. §. 7.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tulus. *De iis quæ in dubium revocari poſſunt.* Statim in capite iſta occurrunt, *funditus omnia in vita ſemel eſſe evertenda.* Quod ne abſurdum videatur, ſic omnes opiniones certas & incertas evelli funditus, *ſatis erit*, inquit, *ad omnes rejiciendas, ſi aliquam rationem dubitandi in unaquaque reperero. Nec ideo ſingulæ erunt percurrendæ: aggrediar ſtatim ipſa NB. principia quibus illud omne quod olim credidi nitebatur. ——— Sed tandem cogor fateri NB. nihil eſſe ex iis quæ olim vera putabam, de quo non liceat dubitare, idque non per inconſiderantiam, vel levitatem, ſed NB. propter validas & meditatas rationes, ideoque etiam ab iiſdem, non minus quam ab aperte falſis, accurate deinceps aſſenſionem eſſe cohibendam, ſi quid certi velim invenire. Imo opiniones omnes aliquamdiu omnino falſas, imaginariaſque eſſe fingam.* Fatetur dixiſſe ſe, *nihil eſſe de quo non liceat dubitare. Omnes ſimul & ſemel opiniones tanquam falſæ rejiciendæ. Cogito &c. primo innoteſcet.* Adde quæ ex ſecunda Meditat. citavi Strict. XV. ad Libr. 1. Plura ex Methodo adferrem, niſi illam Exotericam ſolum, Meditationes vero & Principia maxime Acroamatica eſſe, ex Claubergio didiciſſem. Putem quoque iſta ſufficere, ut lectori appareat, an hæc tot artificioſas admittant limitationes, vel an abſolutiſſima dicenda potius, univerſaliſſimaque Carteſiana dubitatio. Varia ſunt quibus ſe evaſurum putat Cartes & poſt eum Carteſiani, præcipue autem Claubergius, qui mira confidentia adverſarium ſuum aggreditur; quoniam ergo eo deventum eſt, paucis videamus, quid rei tantis verborum ampullis ſubſit: dum autem propius Clauber-giana conſidero, vana apparent. Ad quinque capita omnia referenda erunt. I. Carteſium referre non ſua ſed Scepticorum ſenſa: ſic Cartes, ſic Clauberg. II. Res fidei fuiſſe exceptas, quam exceptionem præ reliquis urget & declarat Claubergius adductis diverſis ſimilitudini-

Meditat. 1. p.m. 5.

NB.

pag. 7.

Reſp. VII. p. 84. 96.

pag. 8.

Clauberg. Defenſio Carteſ. Cap. 1. §. 1.

Carteſ. Not. in Progr. p. M. 190.

Clauberg. de Dubitat. pag. 113.

Carteſ. Meth. Clau-berg. L. Cit. pag. 101, 102, 103. &c.

tudinibus: una ſic ſonat. *Pono me habere ſcriptum eximium, quod clare ſatis poſſim legere ad lumen Solis diurnum, ſed velim explorare, an idem illud legere, etiam valeam ad lumen Lunæ. Quis hic dicat me revocare in dubium meridianæ lucis claritudinem, eo quod dubitem atque inquiram num idem objectum conſpici poſſit lumine ſtellarum? Simili ratione nos pro certo ſemper ponimus Deum eſſe &c. quatenus hæc ſcripta legimus in libro S. Script. hoc non obſtante, initio Philoſophiæ quærimus, an quoque in libro naturæ &c.* III.

Not. ad Program. pag. 144.

pag. 100. Carteſ. Reſp Sec. pag. 79.

Non Principia ſed concluſiones ſolum in dubium vocatas, id innuit Carteſ. Loc. ad Strict. XV. Libr. I. Citat. Non notiones ſimplices, ſed complexas & ex aliis erutas ait Clauberg. IV. Dubitationem iſtam ſolum veritatis contemplationem concernere, non praxin vitæ. V. Tandem, nihil eſſe aliud præterquam cohibere aſſenſum, non præcipitare judicium, donec res bene conſtet. Obteſtor lectorem, ut, nullo partium ſtudio actus, ſequentia ſerio mecum ad animum revocet. Ad Primum iſta reſpondeo. 1. Hanc exceptionem non convenire cum aliis Carteſii dictis: ſi enim Scepticorum quaſi referens argumenta, ſic agit, unde I. Jactata tam prolixe hujus dubitationis, evacuationis &c. difficultas? *Vereor*, ait Cartes, *ne hoc ipſum quod ſuſcepi, tam arduum & difficile ſit. Nam vel hoc unum, ut opiniones omnes deponam &c. Sed laborioſum eſt hoc inſtitutum:* ſic alibi. An Scepticorum argumenta referre, eaque examinare tibi tanti eſt? II. Periculum? quod tantum eſt, *ut valde paucis expediat imitari, ut nulli auctor eſſe velit, ut ſimile quid aggrediatur.* Quod enim, ait appoſite D. Voet. quæſo periculum in objectionibus Scepticorum referendis? cum jam alii ante nos eas retulerint, iiſque reſponderint; III. Tantum temporis requiſitum? IV. *ab iis tanquam ab aperte falſis aſſenſionis* cohibitio? non enim hoc requirit objectio, ut theſin

Method. pag. 13. Epiſt. ad C. L. R. Medit. 2. pag. 8.

Method. pag. 13. Dan. Voet. Diſp. Miſcell. Habita 10. Jul. 1656. §. 2.

theſin meam pro falſa aliquamdiu ſerio habeam. Medit. 1. 2. Non convenire cum Claubergio: qui dicit I. ſemel tantum & quidem II. in initio, Philoſophiam incipienti, id agendum III. atque perexigua duratione. Si enim, ut Scepticorum objectio, dubitatio iſta movetur, quid cauſæ, quod tam breviter ac ſemel, idque ſolum jam Philoſophari inchoanti ea injungatur? An ſemel tantum, an incipientibus ſolum Scepticorum argumenta proponenda? vide qui ſe mutuo tollant intricatæ nugæ. 3. Non convenire cum reliquis exceptionibus, non cum ſecunda, nam & de rebus fidei, non tertia, nam & de principiis, de notionibus ſimplicibus, non quarta, nam & de rebus agendis dubitant *Sceptici, qui res humanas eo uſque negligebant, ut ne ſe in præcipitia conjicerent, ab amicis deberent aſſervari*, ait Cartes. Non item cum quinta, Sceptici enim non cohibebant aſſenſum donec clare & diſtincte rem perciperent; ſed ſemper. Dubitabant enim, ut dubitarent, ait Cartes. Concludo igitur nullius momenti eſſe primam illam exceptionem. Ad ſecundam properans dico 1. Ponamus te id velle, conſtet interim, conſtare queat, ſua revelationi certitudo: an igitur Ethnico, qui nullam fortaſſe agnoſcit revelationem ſupernaturalem, licitum eſt id de quo quæritur? ille igitur abſque peccandi periculo de Deo &c. dubitare poterit? 2. ſi tantum intendatur, quod ait Clauberg, ſuppoſita rerum revelatarum certitudine, an & ex natura quædam conſtent, tentare, certè res ea tanti laboris non eſt. Neque 3. tanti periculi. 4. Qui ergo iſta de dubitatione verba, Scepticorum objectiones dici poterunt? qui non alîus generis certitudinem quærunt, dum negant omnem. 5. Quid ni & ſic de rebus agendis dubitari poterit? ſatis enim proſpectum foret ex ſacris, ne in foveam, in ignem ſeſe conjiceret, homo qui ita dubitat. 6. Abſurde etiam principia, notiones

Medit. 1. pag. 5, 8. De Dubitat. pag. 100.

Reſp. v. in Medit. 2. N. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſimplices excipis; quoniam & de illis hoc modo dubitaretur tutiſſime. 7. Res fidei exceptas ſi velint ſerio, qui pote, ut abſoluta dubitatio, *in contemplatione*
Reſp. ſec. *veritatis*, admittatur Carteſio: eaque tanta, ut *plus*
§. v. p. 79. *æquo diffidentiæ indulgeri non poſſit? quandoquidem non rebus agendis ſed cognoſcendis tantum incumbit*, qui ſic dubitat. Alterutrum enim ſequitur aut veritatis contemplationem ad fidem nullo modo pertinere, aut & de rebus fidei licitum eſſe ut dubitetur univerſis: quorum unum, craſſum Papiſmum, fidem carbonaria abſurdiorem & cum Bellarmino per ſummam ignorantiam deſcribendam nobis reponit; alterum exceptionem à Carteſio factam ſubvertit. 8. Dei exiſtentia proculdubio etiam res fidei eſt, Hebr. XI. ea autem, inter alia, etiam à Carteſio in dubium vocatur. Bilem hoc movet Claubergio, *exempla enim*
De Dubit. *ſimilia proferri ſolummodo ad odium lectoris in Carte-*
Cap. III. *ſianos concitandum*, queritur. At tacuiſſent iſta, ſi
§. 39. objecta noluiſſent: ſero ſapiunt, vel defendenda vel revocanda quæ exciderunt. *Sed adhibita non fuerunt à Carteſio quando de dubio pro falſo habendo eſt locutus.* Quare igitur odii concitandi, non potius falſum allegas & citandi adverſariis tuis animum exprobras Claubergi? ſcilicet vere id dici non poterat, non ignoraſti procul dubio quid dixerit Carteſius. Poſtquam ad dubitationem iſtam magno & moleſto labore pervenerat, ſic infit, *nec quidem adhuc ſatis ſciam utrum ſit aliquis Deus. Examinare debeo an*
Medit. III. pag. 16. Pr. I. §. 7. *ſit Deus, hac enim re ignorata &c. Sic autem rejicientes illa omnia, de quibus aliquo modo poſſumus dubitare, ac etiam falſa eſſe fingentes; facile quidem ſupponimus, nullum eſſe Deum, nullum cælum, nulla corpora.* Luculentiſſimus locus eſt, qui occurrit in Epiſtolis, ſic ibi diſſerit, rogatus *an unquam liceat de exiſtentia Dei dubitare*, reſpondet, *ſi quis dubitationem hanc ſibi proponat ſicuti medium perveniendi ad*

clario-

clariorem cognitionem veritatis, hic quod maxime pium
& honeſtum eſt agit. Qua fronte igitur ſcribit, exem-
plum illud à Carteſio non eſſe adhibitum, quando de
dubiis pro falſo habendis eſt locutus? agnoſce iſta
verba & erubeſce. Tenet ipſum hujus conſcientia,
metuque correptus, ſequentibus verbis latebras quæ-
rit, *eo ſenſu quem fingit adverſarius: eo ſenſu*, non Epiſt.
licit, id pro falſo habendum Carteſius. Quis tandem Lib. 11.
lle ſenſus? eo ſenſu, quo cælum non eſſe, corpora Ep. x.
non eſſe ſupponit. Vide locum quem citavi & pate-
bit. Eo ſenſu, miſera cavillatio, eo ſenſu, quo dif-
icile, quo laborioſum, quo periculoſum, quo ſemel
icitum eſt, ex Carteſii & tua hypotheſi: Si ille bonus
utuſve; periculoſum deſine, ſemel licitum, laborio-
um eſſe vociferari deſine. Iſta autem non lubet hac
ccaſione proſequi ulterius. Non ſoli Peripatetici,
on ſoli Scholaſtici, diſtinctionibus evadunt. 8. Dum
nſuum fides ita vacillat, imo pro nulla habetur,
nde fidei erit certitudo, dum nec auribus fidis, nec
culis, quid verbum, quid Sacramenta revelabunt,
bſignabunt? 9. Hæc conditio theſin tuam evertit
eceſſario, vis dubitare de exiſtentia rerum corpora-
um, idque data opera, *ſerio & obſtinate in ea medi-*
tione defixus; omnium opinionum vacas everſioni:
que ex fide, quam ſartam tectamque fingis, inte-
m corpora eſſe, exiſtere, creata eſſe, conſtat.
o. Tandem ſubvertit hæc exceptio, quintam. Du-
itatio enim ſi talis aſſenſus ſolum cohibitio ſit, cer-
, aut in rebus fidei temere agendum erit, iiſque an-
quam de earum certitudine clare quicquam conſtet,
ſentiendum, aut à dubitatione non removendæ.
ertiam ſic refuto 1. Si vera eſt prima exceptio, iſta
eceſſario falſa eſt, Sceptici enim æque de principiis,
eque notionibus ſimplicibus dubitant ac de reliquis.
. Ridicula eſt hæc exceptio, nondum enim novi
uid ſit ſimplex quid complexa notio, quid princi-

 pium,

pium, quid concluſio? imo an ſit, an detur, au
concluſio aut principium &c. præſertim cum quæ
ſtio quid ſit, ſolvi debeat, Carteſianorum juſſu, ant
quæſtionem an ſit res: ſe quoque mentemque ſuan
nondum quid novit, quid ille de notione ſimplic
aut complexa? 3. Contraria eſt illi univerſalitati
quam probatam dedimus. 4. Pugnat cum exſertis ver
Medit. III. p. 15, 16. bis Carteſii. *Quid cum circa res Arithmeticas ve Geometricas aliquid valde ſimplex & facile conſidera bam, ut quod duo & tria ſimul juncta ſint quinque equidem de iis dubitandum eſſe poſtea judicavi, po tuiſſet enim mihi mens indita eſſe ut etiam circa illa qu manifeſtiſſima viderentur deciperer.* Et alibi *opinionun ſuarum everſioni vacaturus, omnes rejiciendas* dici
Medit. I. pag. 5. *aggrediar ſtatim NB. ipſa principia.* Quas jam notic nes ſimplices excipiet Claubergius. Excipiendas censet, Philoſophum ſuum corrigat, doceatque ager cautius. Enumeret iſtas notiones ſimplices. Quic quid ſit, hoc certum eſt, ille mentis actus, quo nc tiones ſimplices apprehenduntur, poſſet tibi à mal gno genio forſan, aut ſaltem aliunde quam à re ip eſſe inditus, ſicque incertus es, an non fallaris, dur putas, iſtam, exempli gratia, ſimplicem notionem menti tuæ obverſari revera, maxime cum nec men tis tuæ tibi conſtet hactenus exiſtentia, quæ illarur ſit ſubjectum notionum. 5. Et ſi iſtam exceptioner admitterem, quid jam porro? in ſimplicem appre henſionem, cum, ex veſtra ſententia, verum non ca dat vel falſum, ſequitur nullam, vel hac exceptior admiſſa, excipi à dubitatione veritatem, ſicque c omnibus veritatibus complexis, ut Deum exiſtere, eſſe, præter te quicquam dari, dubitandum, quc tanto conatu removendum à vobis, ut falſo imp ctum cenſetis. Quarta ejuſdem farinæ eſt, ad prax
Carteſ. Reſp. ſec. pag. 79. vitæ enim ſi ſcepſin transferendam negas 1. In om ſaltem veritatis contemplatione eam concedis. 2. A

que hactenus quamdiu ſic dubitas, Academicis nullo modo melior videris, quos tamen Scepticis annumerandos rite cenſet Carteſius & Wolzogius, diffe- Carteſ.
rentiæ licet nonnihil invenire inter ipſos detur: ſic Reſp. 2.
autem Academici, minus etſi auderent affirmare ſe ſe pag. 69.
rerum verarum vera viſa percipere, impellebantur pag. 195.
tamen æque certo viſis probabilibus ad agendum, ac ſi vera illa eſſe indubitanter cognoviſſent, & in tantum diſtabant à Pyrrhoniis, teſte Amyraldo, Schoo- Amyrald.
kio aliiſque. Sicque evaneſcit ficta illa, quam tanto- Diſp. de
pere jactatis, vos inter & Scepticos omnes, in dubi- Teſtim.
tatione veſtra differentia. Praxin enim vitæ, æque ac Sp.Sanct.
vos, in incerto omnem non poſuerunt Academici. Part. 2.
Eſtis ergo pares. 3. Pyrrhonios vero ſi reſpiciam, § XVI.
cadit prima exceptio; ea enim totum dubitationis Schook.
negotium, objectionem dicit Scepticorum eſſe, quo- deScepticis Lib. 1.
rum ſi iſtos, quos Pyrrhonios dicimus, putas, ab- Cap. XVI.
ſurde vitæ praxin excipis, illam enim æque ac veritatis contemplationem incertam eſſe voluerunt, ex ſenſu Carteſii, ſtulti mortales. 4. Ipſa veritatis contemplatio, per ſe, praxeos, ut ita loquar, pars eſt, Tenemur enim ſcire cognoſcenda, non minus quam facienda facere. 5. Ut taceam abſurdam fore vitæ praxin, quæ veritatis orbata cognitione eſt, ac ſi in tenebris ſine omni face quis tuto incederet. Quintam quod attinet, eam & vocis ſignificatio & priores exceptiones ſponte tollunt. Aliud etiam quid eos velle luce meridiana clarius eſt. E diverticulo autem in viam redeundum tandem. Satis enim ad refutandas futiles iſtas tergiverſationes erunt quæ diximus. Supereſſet, ut jam generalis hujus dubitationis evincerem & demonſtrarem, inutilitatem atque abſurditatem; ſed αὐτοκατάκριτοι in eo apparent Carteſiani. Quorſum enim tanta, ad reſtringendam limitandamque excogitaſſent, niſi de abſurditate iſtius dubitationis abunde eſſent convicti? Modicum tractatum illa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Claubergio extorſit circumſpecta anxietas. Ægre autem ſi quis ferat contradictiones à me Carteſio impactas eſſe, is plura, quibus eæ probentur ſpecimina, facili negotio, ſi id nunc ageretur, colligi poſſe reſciſcat. Unicum impræſentiarum ſufficiet, quod & tam palpabile eſt, ut præteriri non debeat. Uno loco ſe egiſſe negat, quod tamen ſe egiſſe alibi aſſerit. Animæ immortalitatem ſe probaſſe gloriatur hiſce verbis: *Et quia non eodem modo ipſis* (de Scepticis, vel potius Academicis loquitur & Atheis) *apparet Deum exiſtere, mentemque humanam eſſe immortalem; ideo his ne quidem in praxi tanquam veris utendum putant, niſi prius ſibi probata fuerint, rationibus magis certis, quam ſint ulla ex iis ob quas apparentia omnia amplectuntur. Quæ cum NB. à me ſic probata ſint & NB. à nemine ante me &c.* Alio autem loco ſe nihil de immortalitate animæ ſcripſiſſe refert. Sic ſonant verba. *Cur de immortalitate animæ nihil ſcripſerim, jam dixi in Synopſi mearum Meditationum: Quod ejus ab omni corpore diſtinctionem ſatis probaverim, ſupra oſtendi. Quod vero additis,* adverſarios alloquitur, *ex diſtinctione animæ à corpore non ſequi ejus immortalitatem; quia nihilominus dici poteſt illam à Deo talis naturæ factam eſſe ut ejus duratio ſimul cum duratione vitæ corporeæ finiatur, fateor à me refelli non poſſe.* Non nimis tuto proinde ipſi fidimus, odioſam illam dubitationem quando amoliri ſatagit, loco ex Not. ad Programm. ante citato: verba enim ſi ponderes paulo penſiculatius, non rotunde candideque, ſed ſubdole negari deprehendes impactum crimen: non enim inficiatur ſe unquam dubitaſſe, aut dubitare conatum eſſe; ſed ſolum, ſe non dubitaſſe cum illas meditationes conſcriberet: at hoc non objicitur, negare debuiſſet, ſe in illis meditationibus non agere Hiſtoricum, ac enarrare quid ſibi aliquando acciderit, ut ſibi accidiſſe dicit Tract. de Methodo, exſerte enim inibi fate-

Resp. VII. pag. 136.

Resp. II. pag. 81.

atetur ſe dubitaſſe, quanquam non ut dubitant Sceptici; dubitaſſe ſe revera cum Scepticis innuit, ſed duratione ac fine ſuam à Scepticorum differre prætexit dubitationem. Dubitavit igitur revera de omnibus, ſed non ſemper, non ut dubitaret. Vela contraho, alias forſan, Deo volente & negotiis laborioſi miniſterii id ferentibus, de hiſce aliiſque novæ Philoſophiæ Myſteriis latius. Hæc videbantur omitti non poſſe, ut appareat abſque omni ratione, Carteſianæ Philoſophiæ laudes, ita largiter emetitum eſſe Wolzogium.

Pagina 198. Poſtquam tantopere laudaſſet Philoſophiam Carteſianam, abuſum ejuſdem in Paradoxo ſuo corrigit, ſicque captata occaſione, à magno præjudicio Philoſophiam iſtam ſuam liberandam credidit, ne forſan vitium illud, quo laborat Paradoxus, qui illotis manibus Philoſophiam Theologiæ ingerit, imo magiſtram creat, Carteſio male cedat, aut ejus Philoſophiæ detrimento ſit. *Carteſius* è contra, Wolzogio teſte, Philoſophiam *non uno loco ſcripſit in Theologiæ provinciam irruere non debere, dixitque ſæpiſſime, recordantibus amicis, hoc quidem eſſe ſpirituale adulterium ſi miſceantur communi thalamo ratio humana & ſapientia divina.* Sic ab iſto crimine eſt omnino innocens. Bona verba, ſed quibus veritas aut ſinceritas an non deſit, ſequentia incertum reddunt, quando id, *de rebus ſolum, non de Interpretatione Scripturarum intelligendum*, ſuſpicatur Wolzogius: ac ſi rationem humanam cum ſapientia divina communi thalamo non miſceat, qui eam à rerum examine, non autem Scripturæ interpretatione arcet, ſed ipſi concedit magnam ſaltem partem. Nec etiam eo ſenſu hiſce inhæret Wolzogius, qui omnia nihilo excepto rationi examinanda tradit, & maxime Paradoxum oppugnaturus, aliquas res & veritates ſolum rationis imperium reſpuere docet, ut in ſe- Strict. XIV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

quentibus patebit. Iſta vero primariam concernunt controverſiam, illa quod attinet, novimus quam ſerio, quam ſæpe iteratis proteſtationibus idem inculcaverint Carteſius & poſt eum Carteſiani, eorumque Coryphæus Claubergius. Quod autem minorem fidem inveniant, vel in hoc negotio, duo ſunt quæ faciant, præter ea quæ attulit Revius, 1. Contraria Carteſii verba, quorum quædam exhibebo, quæ, tantum abeſt, ut Philoſophiam à Theologiæ ſacrario arcendam ſerio conſuerit, ut potius incomparabiles fructus huic ab illa certo expectandas promiſerit, quod abſque illius ad iſtam applicatione fieri, eſt impoſſibile. Deponat præjudicia & iſta legat lector candidus, ſic Carteſius. *Quantum ad Theologiam, cum una veritas alteri adverſari nunquam poſſit, eſſet impietas timere, ne veritates in Philoſophia inventæ iis quæ ſunt de fide adverſentur*: hactenus bene, verum Philoſophice non deprehendi Theologice falſum. Loca Scripturæ cum citat, aut explicat Carteſius, id tantum juxta Claubergium agit, ne ipſius Philoſophia Theologiæ contradicere credatur, ſicque putat retundi ea, quæ Revius, Carteſio Theologiæ involatæ & cum Philoſophia mixta crimen impingens, profert. At plura dicit Carteſius, ut, quicquid proteſtentur, clament, ſpondeant, fidem tamen, qui Theologiam tutam à Carteſio promittunt, non mereantur Carteſiani, niſi detrahatur Carteſio fides & ſuorum moliminum exactior notitia, ſic enim dicta proſequitur: *Atque omnino profiteor nihil ad religionem pertinere, quod non æque, ac etiam magis facile explicetur per mea principia, quam per ea quæ vulgo recepta ſunt.* Ecce nihil ad religionem pertinet, quod non magis facile per ſua principia explicet &c. Pergat; *Jamque hujus rei mihi videor ſpecimen dediſſe ſatis luculentum, in fine meæ Reſponſionis ad quartas Objectiones, circa quæſtionem in qua omnium difficillime Philo-*

Claub. Def. Cart. Cap. v. Rev. Thekel Cap. v.

Carteſ. Epiſt. ad Dinet. P. M. 152, & 153.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Philoſophia cum Theologia ſolet conciliari : (Miſſaticam Tranſubſtantiationem reſpicit.) *Et idem NB. in aliis quibuſlibet , ſi opus ſit , præſtare paratus ſum.* Imo eo provehitur, ut putet bonam, quid? *nullam meliorem rationem eſſe ad Hæreſes minuendas , quam ſi veræ opiniones , quales meas eſſe*, ſic verba ſonant, *jam probavi, recipiantur.* Qui Hæreſes, principiorum ſuorum Philoſophicorum ope, minuendas, omnes quæſtiones Theologicas explicandas promittit, facilius, quam ante hac factum ſit? næ ille à Theologia belle arcet cohibetque Philoſophiam. Hæc ſi legerit Wolzogen mirum quod plane contrarium , adeoque contradictionem , tribuat Carteſio. 2. Carteſianorum quotidiana praxis id non minus perſpicuum reddit. Claubergius de dubitatione agens, Bezam, Catechiſmum, Spanhemium, Perkinſium vel ipſum Auguſtinum ad partes vocat, non alio fine, quam, ut ne à Theologia arcendam putemus Carteſianæ Philoſophiæ Methodum. Plurimi autem, qui Carteſianis placitis addicti ſunt, non loquor de omnibus, plurimi inquam eorum, in multis Theologiæ capitibus ex profeſſo novaturiunt, vel ſaltem deceſſores carpendi, cuncta corrigendi, anſam ſibi datam autumant. Ne alios jam irritem, (quanquam non timeam, quiſquis ſit, qui Eccleſiæ pacem novitatibus turbare aut Eccleſiæ Doctorum, Scriptorumque publicorum, honorem, nomen, argumenta, phraſes, audacter carpere, corrigere non veretur) Wolzogius & Velthuiſius exemplo ſint, qui quantum Carteſiana Methodo imbuti, in novorum conceptuum inventione profecerint, abunde docent. Omnibus autem, laudem enim iſtam illi non denegandam exiſtimo, palmam præripere voluiſſe videtur, Celeberrimus ille Lambertus Velthuiſius, cujus dogmata ſubinde, hoc ipſo tractatu refelluntur, vel ſaltem, quia ſua abſurditate ſæpiſſime corruunt, referuntur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Quoniam autem, Strictura, ad priorem librum, quarta, mentionem feci multiplicium Velthuiſii errorum, en aliquot ſpecimina quibus dicta mea probem. In anteceſſum notari debet, valde honorifice ab ipſo excipi Reformatos Theologos, Sic alicubi, poſtquam narraverat Janſeniſtarum, de Chriſti morte, ſenten-
Tract. de Prædeſt. & Grat. Præfat. tiam, *perplexe*, inquit, *loquuntur: & aliquando non videntur plus de illa docere, quam quod mors Chriſti in ſe ſpectata fuerit ſufficiens pretium omnibus hominibus redimendis: quod tamen reipſa redemtio pro omni-*
℣.7.verſa. *bus facta non ſit. Quæ fuit doctrina* NB. *plurium Calviniſtarum in Synodo Dordracena — à qua plurimi in Gallia Calviniſtæ remoti ſunt. Ita ut pauci Calviniſtæ inter omnes ſectas illam profiteantur.* Sic ibi paſſim Calviniſtas nominat Reformatos, non magis, quod ſenſa attinet, ſcilicet hiſce, quam Arminianis addictus aut aliis. Nullo partium ſtudio laborat vir prudentiſſimus. At non melius veritati ſtudet Refor-
Præfat. cit. matæ, quam honori Reformatorum, ſic enim paulo poſt. *Exiſtimamus, poſita creatura libera, ilico talem relationem inter Deum & illam creaturam naſci, ut, quamdiu Deus eam ut viatorem regere velit, bonum — nunquam neceſſariam cauſam habeat: & bonum quidem, non prædeterminantem gratiam; aut Dei deſtinationem intendentis aliquod bonum abſolute in homine efficere. Et ideo dicimus quod Deus tales per gratiam ſuam credituros prævidet; neque illam fidem producit ut medium à ſe proficiſcens. Et ita hoc ſenſu prædeſtinationem juxta præſcientiam tuemur. Quatenus Deus neminem deſtinat ad vitam niſi ſub conditione fidei, bonorum operum, & perſeverantiæ in ambobus. Nam reſpectu illius liberi, quod in omnibus actionibus moralibus reperitur: & propter quod illæ actiones creaturæ liberæ actiones vocantur, & laude atque præmio, vituperio & pœna dignæ æſtimantur, repugnat, à Deo abſolute aliquid deſtinari ad quod obtinendum moralis homi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

hominis actio debet intercedere. Et idem illud liberum impedit ut concipiamus gratiam Dei prædeterminantem & phyſico modo operantem. Et paulo inferius: *Alioquin credimus Deum omnium ſalutem velle; neminemque, ut reprobum, in ſuo decreto conſiderare quam qui gratiam ſuam reſpuerit: quam omnibus ſufficientem, qua potuiſſent converti, offert.* Deinde — *Hoc tantum ab aliis diſcrepantes, quod à multis gratiæ reſiſtatur, qua potuiſſent converti ſi voluiſſent. —— Et revera falluntur, qui arbitrantur gratiam ideo minorem aut minus efficacem eſſe, cui reſiſti poteſt, illa, cui non poteſt reſiſti. Et cum docemus cum aliis Deum omnium ſalutem velle, docemus quod ſuppeditatio ſufficientium mediorum, quibus omnes ſalvari poſſunt, profecta ſit ab amore Dei erga genus humanum. Et docemus in ipſo tractatu, id ſufficere, ut proprio loquendi modo Deus omnium ſalutem velle dicatur. Et tali modo tuemur gratiam univerſalem & mortem Chriſti pro omnibus &c.* Atque iſta quidem omnia habet Præfatio. Librum ipſum inſpiciamus & pauca delibemus. Conſequentiis verba non gravabo, ſola per ſe orthodoxo lectori diſplicebunt. *Voluntati repugnat* pag. 12.
paſſive ſe habere. Decretum nos ſalvandi, etiam à periculo corporis, eſt conditionatum, ſicut ſupra docuimus de termino vitæ. Illa pars ordinis, ſcilicet inter ea quæ pag. 32.
fiunt vel non fiunt, *quam creatura libera per peccatum* pag. 51.
ſibi occupat, Dei voluntatem decernentem antecedit. Nullo decreto comprehendendus eſt hominis lapſus aut pag. 73.
permiſſio lapſus, ſequuntur enim per accidens ad alias res decretas, quibus intercedentibus poſt ſe novum decretum conſtitui requirunt. Poſtquam orthodoxam Calvini aliorumque ſententiam, non quidem ex vero, ſed pro more ſuo, declaraſſet, illos enim deſignari ipſe novit & circumſtantiæ docent, non dantur enim alii quibus ſimile quicquam impingatur, ſic loquitur eodem libro pag. 75. *Qui hujuſmodi decretorum ordinem*

conſti-

conſtituit, Regem ſceleratum & tyrannum facit, & dignum qui omnibus infamiæ notis poſteritati ſeculorum tradatur. Sic ſtatuit pag. 89. *omni viatori ſuppeditanda Deo incumbere media ſufficientia, quæ natura ſua homini ſufficiunt ad ſectandam virtutem*; quæque tantum effectu careant propter malum libertatis *uſum.* In eo autem Pelagianos ſuperat quod illa *media non vocanda ſint gratia. Quoniam niſi iſthæc media reipſa ſufficientia eſſent, ut homo poſſet, ſi vellet, iis ſibi à peccato cavere, ſanctitas & amor Dei erga creaturam rationalem talia officia non imperarent: nec libertas in agendo eſſet de natura creaturæ & actionum*
pag. 90. *moralium. Neque ulla tam copioſa, tamque magna eſt gratia, quin homo, ſi velit, eam eludere poſſit, eamque pervertere, hoc eſt, homo ſemper manet Dominus ſuarum actionum. Dicimus itaque, media illa generalia quæ Deus erga omnem creaturam rationalem depromit, non ideo non ſufficientia vocanda, quia per eam homo*
pag. 91. *ſibi tantum cavere poteſt ſi velit. Nam, ut dixi, nulla*
pag. 92. *gratia ulterius procedit. Et ſi homo vellet, etiam per illam gratiam vellet, eodem modo, quo per gratiam majorem. Major enim & minor gratia in hoc non differunt, quod major penitius ſeſe inſinuet ſingulari alicui voluntatis actui, aut quod minor, ſi per eam vellemus, minus operaretur circa actum aliquem ſingula-*
pag. 104. *rem voluntatis quam major. Et quamvis una gratia major ſit quam altera, una tamen non eſt minus ſuffi-*
pag. 106. *ciens quam altera. Libertas voluntatis, non obſtante ejus inclinatione ad malum, ut ſemper manet eadem, ſic & potentia reparandi illam infirmitatem, illa potentia nunquam augetur aut minuitur. Hoc fundamento innituntur omnes admonitiones &c. quibus locus eſſe non poteſt, ſi illa potentia non maneret.* Et explicans quomodo Deus in voluntatem agat quoties bonum operatur, phyſicum influendi
pag. 109. modum omnem removet & ſic diſſerit. *Quoties*

autem

autem talia menti obverſantur, aut occaſiones præbentur, quibus menti obverſari poſſunt, propter quæ tanquam rationes juſtas & æquas voluntas bonum vult: & illa præterea talia ſunt, ut nos, noſtræ infirmitatis conſcii, illa non niſi favore & gratia Dei habere poſſimus; id NB. vocatur fieri per gratiam. En gratiam Velthuiſianam. *Exiſtimo do-* pag. 127.
ctrinam Theologorum in Belgio, qua negant gratiam univerſalem, cum Dei candore & ſinceritate conſiſtere non poſſe: neque conciliari poſſe cum ſequentibus loquendi modis ex Scriptura petitis ———
Quia ex illorum Doctorum ſententia, Deus non pag. 128.
tantum non omnibus media ſufficientia ſuppeditavit quibus ſalus obtineri poſſit: ſed &c. Sæpius re- pag. 137.
ſiſtimus illi gratiæ, per quam potuiſſemus ſalvari, ſi voluiſſemus: & per quam potuimus velle. Multi hoc vel illud feciſſent, ſi Deus eos in iis circumſtantiis conſtituiſſet Luc. X. 13. *Act.* VII. 51. *&c.*
Quæ loca docent gratiæ ſufficientiam; nihilque ei de- pag. 138.
fuiſſe, quare homines ſe ea convertere non potuiſſent.
Quamdiu aliquis ut viator conſideratur, tam diu pag. 152.
non eſt reprobus. Nomen reprobi & reprobationis pag. 153.
ubique ſumitur pro homine gratiam oblatam contumaciter repudiante. 1 Cor. IX. 29. 2 Cor. XIII. 5. Hebr. VI. 8.

Venit *Chriſtus ut omnes ſalvaret.* 1 Tim. II. 6. 1 Cor. XV. 22. Hebr. II. 9. Tit. II. Rom. I. 5. *Omnibuſque in illum finem ſufficientia confert auxilia, ſufficientemque gratiam. Et ita mors Chriſti* pag. 154.
fuit efficax pro omnibus: quatenus morte Chriſti effectum eſt, ut Deus omnes homines peccatores, & reatui obnoxios, quando ſe convertunt, & in Chri- pag. 155.
ſtum credunt, ſine pœna dimittere, & pro ſibi gratis atque delectis habeat: quatenus illa mors per rationem pænalis ſatiſfactionis effecit ut ratio ex attributo juſtitiæ Dei fluens, non flagitet, ut peccato-

res

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

res ipſi puniantur. Cum autem multi pereant, ſequitur etiam multos perire, pro quibus Chriſtus
pag. 161. *mortuus eſt. In primo tamen momento converſionis, homo non eſt conſiderandus ut mortuus, & ut paſſive ſe habens.* Sic totum Pelagianiſmum palam, reponit atque hic Wolzogio orthodoxiæ tenax eſt; Paradoxus autem, nihil habet, quod vel lineam referat veri Velthuiſii. Egoècontra heterodoxum dico & Velthuiſium & Wolzogium ea approbantem & omnes quotquot talia dogmata docent ac defendunt, judicet Eccleſia Reformata ex verbo Dei, imo judicavit in ſuis Catechiſmis & confesſionibus Synodique Dordracenæ canonibus & condemnavit ea, quæ ſcribentem vidimus Velthuiſium. Sed aliquid adhuc tædii devorandum erit.
Tractat. de Pœna. Videamus libellum de Pœna; nam & illic plurima occurrunt, quæ genium Pelagianum aut ſimilem redolentia, notari debent. Ut, quod habet
pag. 6. de moralitate. *Omnis moralitatis ratio ceſſat, quan-*
pag. 7. *do pœna è medio tollitur. Quare quæſo furari diceremus peccatum; reddere unicuique ſuum, virtutem: ſi putaremus ea poſt ſe nullam pœnam aut prœ-*
pag. 68. *mium habere. Qui gratiam univerſalem negant, ſic argumentari ſolent: pro quibus debitum ſolutum eſt illi abſolvi debent reatu: ſi ſolutum pro omnibus, ergo omnes debent reatu ſolvi, ergo omnes ſalvari; ſed quia omnes non ſalvantur ideo ſtatuendum pro omnibus non eſſe ſatiſfactum. Hujuſmodi argumentationes nullum pondus habent. Deus hominem peccaturum præviderat ante ſuum decretum.*
pag. 139. *Eſt hoc per ſe notum & inter notiones primas recenſendum: neminem culpandum niſi qui voluntarie*
pag. 142. *peccat. Manifeſtum eſt Deum vitioſos habitus nec*
pag. 150. *odiſſe nec punire. Conſtare exiſtimo* 1. *neminem pro-*
pag. 164. *pter peccatum alterius reſpectu juſtitiæ divinæ naturalis reum conſtitui, aut pœnam proprie dictam ſubire.*

bire. 2. Adami peccatum ita Adamo ſoli adſcribendum, ut ejus poſteritas, quæ tum temporis nondum exſtabat, nullo modo in criminis ſocietatem venerit, aut venire potuerit. 3. Poſteritatem Adami nec mortis, nec reliquarum calamitatum tam ſpiritualium quam corporalium participem eſſe, quia rei in Adamo. Poſteri Adami non fiunt rei, quam per proprium ſuum actuale peccatum: quatenus in utero matris mens ſe à Deo avertit. Concedendum puto, mentem in utero pro modulo uſus rationis, bona & mala quædam cognoſcere, quæ ipſam per culpandam negligentiam aut fugiunt, aut contra quæ ſciens peccat. Manifeſto ſequitur nos etiam in utero matris peccare. Quæ ſequuntur ex Tractatu altero de Prædeſt. deſumta ſunt. Objectum electionis eſt homo illa morali qualitate fidei affectus. Omnis voluntas excludit ſua natura impotentiam, qua non poſſit omnia velle. Gratia NB. tantum eſt conſideranda tamquam in voluntatem reipſa jam volentem conſtitutam; & non ex non volente volentem facientem. Nullus gratiam qua regeneramur aut perſeveramus aliter concipere debet, quam quæ poſſit repudiari. Infideles, imo reprobi, & qui ſunt deleti ex libro vitæ —— etiam ſibi polliceri poſſunt Deum eos nunquam in hac vita deſerturum ſua gratia, ſed ipſum iis ſemper ea gratia præſentem fore, qua convertantur & ſe converſuri ſunt, modo eam gratiam non abjiciant. Reliqua, quæ in hac de gratia & prædeſtinatione doctrina creditu ſunt neceſſaria etiam ratione ita nota ſunt, ut tanquam notiones primæ infixæ ſint hominum menti. Quæſtiones, An omnis homo viator poſſit ſe convertere? An hominibus ſufficiens ſuppeditetur gratia? Utrum reſiſtibiliter an irreſiſtibiliter gratia operetur? An homo ſe habeat paſſive in regenerationis primordiis? An Deus faciat hominem velle? An prædeterminet voluntatem hominis?

pag. 165. pag. 166. pag. 169. pag. 170, & 171. pag. 282. pag. 307. pag. 313. pag. 316. pag. 341. pag. 353. pag. 359.

minis? An non ſit de natura gratiæ ut faciat hominem velle? An qui convertuntur non convertantur gratia efficaciori ea, cui non converſi reſiſtunt? ſunt quæſtiones, quas movere, & iis ſententiam ſuam inter-
pag. 360. *ponere æque abſurdum eſt ac quærere cujus figuræ, aut coloris ſit anima: & definire illam eſſe rubram aut viridem, rotundam aut quadratam.* Et ſic finit bellulum iſtum tractatum. Sufficerent quidem iſta, ad probandam hominis heterodoxiam, ſpecimina; verum ne reliqua neglecta conqueratur, ad Initia Primæ Philoſophiæ tranſeo; nec iis etiam quicquam refutationis addam, ſunt enim ita poſita omnia, ultro & per ſe ut Heterodoxiam ſuam prodant & falſitatem; quamquam ſi plura velit, per Dei gratiam in antidotis præſcribendis, quam ille in venenis porrigendis, minus largi non erimus. Hac vice ſolum audiamus
Init. Primæ Philoſoph. præclara dogmata. *Immenſitas ante creationem corporum Deo attribui non poteſt. Fundamentum omni-*
pag. 182. *præſentiæ divinæ, eſt ſumma illa eminentia Dei, qua*
pag. 183. *omnes res corporales ab ipſi dependent. In precibus eſt cauſa quare Deus deſtinarit quoſdam periculo eripere.*
pag. 198. *Deus, eo, quod per accidens aliquem cauſarum ordi-*
pag. 213. *nem ſequitur, exiſtente, pergit alia ordinare. Sorte ludicra victum quærere rem licitam & laudabilem ju-*
pag. 225. *dico. An Deus nolit mentem noſtram amplius exiſtere, quando jam poſt corporis deſtructionem ſenſu &*
pag. 241. *imaginatione uti non poteſt; id ex mentis contemplatione nobis innoteſcere non poteſt. Intellectione proprie*
pag. 273. *dicta nunquam peccatur. Nomen vitæ male de brutis*
pag. 304. *uſurpatur. Statuendum id tantum Deo competere, aut*
pag. 336. *non competere, quod ratio Deo ineſſe aut non ineſſe*
pag. 341. *dictat. Quis non videt veritati & juſtitiæ Dei repugnare aliquem viatorum numero habere: lege regere: præmia & pœnas proponere ——— nec tamen illi, quem ita regis, id reliqui feciſſe, ut ſe poſſit convertere.* Ex putido, quem de jure Eccleſiaſticorum ſcripſiſſe

fertur libello, hæc habe, quæ genuinam libertini cujuſdam imaginem referre multis videbuntur. *Omnis docentium authoritas nihil aliud eſt quam opinio majoris ſcientiæ conjunctæ cum probitate. Quemadmodum hoc vulgo contingere videmus, in omnibus aliis artificibus, qui alicujus artificii vulgo magis periti exiſtimantur. Externam religionem quæ tota corporalis eſt ſolam curant Eccleſiaſtici, idque ſolo Prodeorum juſſu, non internam.* Porro omnes, Apoſtolis, imo vel ipſo Chriſto factas perſecutiones, juſtas fuiſſe, jam diſcere poteſt qui velit. Fingit cuidam juſſum divinum, de hoc aut illo annunciando obtigiſſe, dicitque, *ſi Prodiis de Dei patefacientis juſſu non conſtiterit, quamvis etiam quis forte annunciare juſſus ſit; Rationi Naturali ſive Deo per eam imperanti nihil adverſi eos commiſſuros ſed etiam pie recteque annunciationes iſtas prohibituros.* Recte igitur Galliarum Rex, aliique, Reformatorum Paſtoribus ſilentium imponunt, eoſque, annunciantes verbum Dei & veram Religionem, puniunt aut pellunt: Non enim Regi conſtat, Dei juſſu illos loqui, quos perſequitur. Quemadmodum Pilatus & Judæorum primates Dominum gloriæ, Stephanum, Petrum & reliquos Apoſtolos factaque iis juſſa non agnoſcebant. Ut jam, quicquid Apoſtoli, quicquid Chriſtus Dominus, aut ejus fideles miniſtri, Pilato, Judæorum præfectis & deinceps Imperatoribus ac Principibus invitis egerint ad hominum aliorum inſtitutionem & converſionem, pro peccato habendum ſit. Tremor occupat artus! Statuit enim *Prodeos adeo Jure Civitatis (prodivino, vel etiam divino dicere liceret) dominari, ut quidvis ipſis manifeſto taciteque volentibus, NIHIL, ipſis invitis ſive manifeſto taciteque vetantibus, agere, facere, præſertim in alios cives, civibus liceat*: O Antichriſtianiſmi Politici promachum! ô intolerandæ tyrannidis propugnatorem

De Jure Eccleſiaſt. pag. 3.

pag. 4.

pag. 56.

pag. 120

pag. 149.

nequiſſimum! tale jugum Belgis imminet, ſi ex ſenſu iſto res gerendæ aliquando erunt. Non noſtri Magiſtratus, non libertatis à Tyrannide, Hiſpani Prodei, vindices, iſta, ſed tyranni, pro vero ſument rectoque: ut & illud, quod ad calcem hujus fœtidi libelli cunctis ſubditis credendum injun-
pag. 160. git. *Omnia Prodiis licere, ſibi autem ipſo jure nihil licere & hinc ipſum Deum Optimum Maximum in Prodiis ſuis in omnibus & per omnia obſequentur.* Tanta quippe æquitas ab hoc homine expectanda non videtur, quantam, de Judaici populi ſenioribus ſperari poſſe cenſebant Apoſtoli, dicentes: An juſtum ſit, in conſpectu Dei, vobis potius auſcultare, quam Deo, ipſi judicate. Daniel ſeſe turpis idoli venerationi opponendo, Paulus adverſus Epheſiorum Dianam graviter intonando, omnes denique Confeſſores & Martyres ſub Imperatoribus & Papis Paganæ aut Papanæ idololatriæ reſiſtendo, deque iis, invitis Prodiis, concives erudiendo, heu quantum hoc judice, commiſerunt ſcelus! quam juſtas dederunt pœnas! Adderem ejuſdem furfuris quædam ex Belgice ſcriptis ſpecimi-
pag. 75. na, ut quod, *an Deus ſua eſſentia ſit òmnipræſens aut ubique; an Deo quicquam novi, aliquid in tempore efficiendo, accedat; aut an aliquid de novo velle, Dei beatitudini repugnet; an Dei decreta ſint conditionalia: quod illa inquam Scripturæ Textibus claris aut perſpicuis non contineantur.*
pag. 90. *Quod Scriptura & Ratio ſint regula fidei.*
pag. 93, & 136. *Eccleſia non habet jus, inſtar judicis ſub ratione pœnæ, Apoſtatas Diſci-*
pag. 105. *plina Eccleſiaſtica caſtigandi. Poteſtas Clavium cum veræ Eccleſiæ data ſit, nulluſque judex ſit, qui decidat quænam ſit vera Eccleſia, nulla etiam proinde ſibi eam jure arrogare poteſt. Verum neque Paſtores, neque ullum collegium jus habet, diverſum ſentientes corripiendi, aut iis, ad communionem ea-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

que commoda, quæ membris competunt, admiſſionem denegandi. Cujus contrarium vim conſcientiis infert. pag. 137. *Hoc axioma, quod ultimum eſt in executione, id primum eſt in intentione, abſurde ponitur; quoniam Deum & homines Tyrannos facit injuſtos atque hypocritas.* pag. 154. *Se ipſum occidere non debere morale non eſt.* pag. 170. Sed nauſeam moveret lectori, ſi plura, ex tam putidis lacunis hauſta, abſque addito antidoto, apponerem, & neceſſe forſan aliquando erit, eodem idiomate, piis omnibus, fidiſque patriæ noſtræ incolis ac Magiſtratibus hujus novi Antichriſtianiſmi ſpecimina exhibere; niſi deſinant, inſulſos & maleferiatos ejuſmodi fœtus in lucem protrudere, homines mundani. Atque iſta quidem hactenus. Si autem breves vindicias prioribus (*Specimen calumniarum* vocat) ſimiles edere velit, hoc ſciat, nihil me, præter veritatis ſtudium, adverſus ipſum incitaſſe; idemque me, quoad vivam, Deo volente, incitaturum, ad veritatis & pietatis, pro virium modulo, cauſam agendam, tam privatim, quam publice. In quarum neutram ſi quis incurrat, nihil is nimis magnificum de obedientia Magiſtratibus debita mihi dixerit. Deo quæ Dei ſunt, & Cæſari quæ Cæſaris. Quoniam vero candide & aperte ſecum agi vult Velthuiſius, neque judicia, ſive Politica, ſive Eccleſiaſtica, declinare. Bene eſt. Judicet unaquæque in Belgio Synodus, judicet Theologica cujuſcunque Academiæ Reformatæ facultas. Aperte eum ex ſupra poſitis, erroris non unius, ſed plurium reum dico & ſcribo. En culpam ſibi, prout voluit, impactam, en judices minime ſpernendos. *Legibus enim*, ſic loquitur, *& cauſa in hoc negotio me nullibi inferiorem fore confido.* Excerpta illa bona fide poſui, neque pluribus egent, per ſe ſatis perſpicua. Ut circumſtantias requiri, non niſi fri-

Specim. Retorſ. pag. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

vole forte excepturus ſit. Subterfugia fruſtra quæret, fruſtra cum Reformatis conſenſum prætendet, aut communione ſua probatum dare conabitur. Diſſenſum manifeſtiſſimum vidimus, quem in bonam partem ſumere, quantumvis eum palliaverit, vel ideo quod Reformatos, ut à ſe diverſos, ſæpiſſime, Calvinianorum nomine characteriſtico, non ſine probro inſigniverit, vix poterit vel indulgentiſſimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

JOHANNIS VAN DER WAEYEN
Pro
VERITATE, ET GENUINA REFORMATORUM SENTENTIA,
Adverſus
LUDOVICUM WOLZOGIUM,
DISCEPTATIONIS
LIBER SECUNDUS,
Principis Controverſiæ, eorumque quæ illam ſpectant uberiorem Tractationem Continens.

Priori libro, minùs orthodoxè, minus prudenter & perſpicuè dicta, ſparſim notavi & refutavi. Nunc ea, quæ Controverſiæ primariæ cardinem concernunt, breviter expediam. Abſque circuitione ſtatim quod res eſt dicam. In eo verſatur Princeps difficultas quid tandem ſit, quod Scripturam legenti perſuadeat, aut perſuadere debeat, hunc ſenſum hiſce verbis deſignari. Benè Wolzogius p. 95. *id quærimus, quò perſuadeatur de vera interpretatione, nondum certus Interpres,* ſive lector, & horum verborum, in hiſce circumſtantiis, hunc ſenſum eſſe quid me doceat?

Hac de re cum Pontificiis & Socinianis diſputat Eccleſia Reformata; quorum priores Eccleſiæ dictamini id officii deferunt, ita ut quicquid Eccleſia de hujus aut illius loci ſenſu dixerit, id pro vero illius

ſenſu ab omnibus indubitatâ fide recipi debeat: interea quid pro Eccleſia, quid pro ejus dictamine habendum & tenendum ſit, hactenus ignorant Cadmæi fratres.

Sociniani autem rationi humanæ cuncta judicanda tradunt: docentes, rationem naturalem normam eſſe & regulam omnis Interpretationis. Reformati utriſque contradicentes, Scripturam ipſam ſuæ Interpretationis indicem, legem, normamque infallibilem dicunt atque unicam, & Spiritum S. in Scriptura loquentem ſolum Controverſiarum Judicem.

Omnia autem clarè enodanda, & lectori exhibenda, videntur. Cúmque verear, ne ambitioſum ſit, pro maximorum virorum, imò Catholicæ Eccleſiæ, ſententia dicere volentem, in totum Theologorum ordinem dictaturæ eminentiam mihi arrogare, quantum potero ipſorum premam veſtigia non ſolùm, ſed & loquar verbis. Omnes enim & tantos Heroes ſpernere non poſſum, accuſare autem & proſtituere ſi quis præſumat, illum non contemnere non poſſum maximè. Utinam modeſtiorem hic ſe præbuiſſet Wolzogius! non enim ipſius intererat, tantum de omnium Reformatorum & nomine & gloria delibaſſe, ut jam Lutherus, Calvinus, Whitakerus, Junius, Perkinſus, Chamierus: & quotquot recenter triſti fato Eccleſiæ erepti, Rivetus, Walæus, Gomarus, Altingius, Spanhemius, Crocius, Amyraldus, Dallæus, Hoornbeekius: aut ſuperſtites athletæ, Voetius, Mareſius, Eſſenius, Arnoldus, magnoque Patri cognomine & virtutibus par, Fridericus Spanhemius, ſancta & veneranda Capita; ut illi, inquam, poſthac, non dilucidæ, imo confuſæ obſcuræque, tractationis, & quidem in tanti momenti negotio, rei audiant.

Non equidem tibi, iſtud tam imprudentis dictaturæ arrogans exercitium, Wolzogi, invideo, mi-

ror

ror magis & deteſtor. Honorificum eſt à tantis viris nunquam diſcedere, niſi cogat neceſſitas, ſed nec ſine verecundia & modeſtia.

Hoc autem negotium quod attinet, nullam hactenus rationem vidi, quæ Wolzogium ad diſſenſum iſtum, & obſcuritatis iteratam exprobrationem toti Eccleſiæ objiciendam, cogere debuerit. Viderunt procul dubio viri ſagaciſſimi, æquè perſpicuè ac Wolzogius, *totam religionem in diſcrimen venire, & ingentem cauſam eſſe, quæque omnium eorum qui Scripturarum ſtant judicio, diſcidia contentioneſque involvat*, omneſque vaſtæ eruditionis ſagaciſſimique ingenii nervos non ſegniter intenderunt, ut tanti momenti cauſa non curaretur minùs accuratè aut perſpicuè, quam ſolidè. Nec ipſis felix defuit, per Dei gratiam, ſucceſſus. Ita ut mirari ſatis non poſſim, eruditionem dicam an perſpicuitatem, an vero Scripturæ tam prolixè demonſtratam ab ipſis, potentiam. Neminem ſaltem novi ex ſupra nominatis, quem non multô accuratiùs magiſque methodicè, perſpicuè, ſolidè & orthodoxè, hanc eandem quæſtionem pertractaſſe, demonſtrare poſſim, quam eam pertractavit Wolzogius. Condonabit igitur lector, ſi præ ingenti Patrum veneratione, ipſorum verbis copioſiùs utar: Glòriæ ducam, non meis ſed Calvini, ſed Zanchii, ſed Chamieri dictis loqui, totamque abſolvere controverſiam. Sic ipſis honos ſtabit ſuus, quem me illibatum præſtare voluiſſe, videant poſteri, ringant licet novaturientes.

Epiſt. Dedicat. Pag. 90.

Ad rem ipſam accedo. Hypotheſes vero quædam præmittendæ erunt,

Hypotheſes.

1. Totam Scripturam ab amanuenſibus Spiritus Sancti, hoc in omnibus eos dirigente, infallibiliter conſcriptam eſſe; ne minutiſſimis quidem, ſi quædam ita vocare fas ſit, exceptis: omnis enim, & quæcunque particula divinitùs eſt inſpirata 2. Tim. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

2. Eam eſſe perfectam, ſufficientem & abſolutam fidei, morumque per omnia Eccleſiæ ſecula, regulam & normam. Aut ſi hæ phraſes figuratæ, etiam in hoc negotio, videantur Wolzogio, quanquam Paulus *Canonem* dicat, & hæ figuræ, ut alibi ipſe de aliis dicit, non obſcuram, ſed claram, ſed nitidam reddant orationem, nihilominus aliis verbis utar; hoc volo, Scripturam omnia illa tradere, continere, dictare, quæ facienda ſunt, aut credenda.

P.263.

3. Ita ſcriptam eſſe ut intelligi per ſe queat ab iis, quorum cauſâ ſcripta eſt, & in quantum ipſorum cauſâ ſcripta eſt.

Ameſius Aſſert. de Lum. Nat. & Grat. §. VI.

4. Ea autem claritate & perſpicuitate, *ut in tanta rerum Majeſtate, ne cogitari quidem poſſit illuſtrior, nedum adhiberi:*

5. Eumque in finem Deum uſum eſſe verbis & modis dicendi, eâ notione, quâ iſta in lingua uſurpari & ſumi poſſunt & ex circumſtantiis & collatione debent. Hinc Biſterfeldius Perſpicuitatem Scripturæ definiens, eam talem eſſe dicit, ut per eam *judicioſæ collationis beneficio, à facultate præditis fructuosè intelligi queat.*

De Script. eminent. The. XXXIV.

6. Ita ut in genere Canonis, normæ, principii fidei & morum, ſibi & per ſe ſufficiens ſit, omni tempore. *Poteſt enim ſapientem reddere ad ſalutem* 2. Tim. iii. *ſic ut nullo alio extrinſeco adjumento, aut ſupplemento opus habeat.*

Cham. panſtrat. Tom. I. L. XV. Cap. IV, §. 5.

Hiſce præmiſſis, quædam, ut accuratè & perſpicuè agam, explicanda veniunt, quorum ſæpiſſimè in hac materia mentio facienda erit: Uſus loquendi, ratio humana, Philoſophia, & Interpretari ſeu Interpretatio.

Explicatio terminorũ.

1. Uſum loquendi quod attinet; ex inſtituto verba ſignificant & rerum copia & hominum inertia aliaque ambiguitatem ſæpe pariunt, ut notat Wolzogen, multis tamen ea de re diſſertationem inſtituere non

Uſus loquendi quid ſit.

non erat neceſſe. Præſupponitur enim quamcunque linguam, ad conceptus, quantum ſalus, quantum utilitas, & voluntas omnipotentis & omniſapientis requirunt, exprimendos, ſufficere. Deumque linguâ humanâ utentem eâ uti intelligibiliter, id eſt, ut inſtitutum, crebrâque locutione verbis inditus character, & ſignificandi poteſtas requirunt. Id tamen ſacræ Paginæ ſingulare eſt, quod, ea quæ hominis captum ſuperant, tradens, ſibi peculiarem à rebus ipſis & authore habeat characteriſmum, qui ex ipſa Scriptura unicè addiſcendus videtur & noſcendus: Sed novit, quiſquis vel in tranſcurſu noſtrates legerit Theologos, uſum iſtum ſemper in hoc negotio præſupponi. Aliàs enim Scriptura non eſſet Scriptura, niſi verbis, ex uſu ſignificantibus, ſcripta exſtaret. Verba autem ſingula quid ſignificent, dum uſus communis docet, ſciendum eſt eorundum, in oratione junctorum, aliam planè rationem eſſe. Sic enim ex ejus authoris, qui iis uti ſolet, Phraſeologia, optimè innoteſcent. Nec inficior aliorum, qui forſan de eadem re & eodem tempore ſcripſerunt, ſcripta huic operi etiam inſervire poſſe. Id tamen mihi extra dubium eſt, ſapientiſſimum Deum, tali fidei & vitæ normâ Eccleſiam donaſſe, quæ ſibi, & per ſe, in iſto genere ſufficiat abundè. Quorſum plura? dum ſcribo, dum ſcribens intelligor, videt lector quid uſus ſit, de quo ſermo eſt. Præſupponunt eum in Scriptura, & à parte Scripturæ non excludunt Theologi, quando ſcripturam dicunt Script. Interpretem, ut poſthac videbimus; & patebit fruſtra eſſe Wolz. ſi putet miri inventi gloriam illi debere, qui uſum loquendi tanti faciendum, ex ipſo audiant.

Ratio humana quid ſit.

II. De ratione humana ſciendum, eam hic ſumi poſſe, vel pro mente noſtra ſeu intellectu, ſeu facultate judicandi, ſeu anima rationali, omnium cogitationum Principio ac ſubjecto: vel pro regulis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

veritatibus, ſeu innatis, ſeu inde naturaliter eductis, juxta quas judicamus. Quæ excultæ & in ordinem digeſtæ Philoſophiam ſuppeditant, ſcientiam illam quam naturalis intellectus de naturalibus habere poteſt ex natura: Inſita principia veri excutiendo, & illarum ope naturalia contemplando. Similia, etſi præpoſterè, (in initio enim hæc tradere debuerat) habet Wolzogen. P. 153.

Qualis autem in homine ſit ratio ſuperſtes poſt lapſum, nunc videndum. Principia inſita ſi intelligas, dari quædam adhuc reliqua, certum eſt, & docet Apoſtolus, iiſque nos Dei aliquam cognitionem Rom. 11. habere, experitur naturalis conſcientia. Inde etiam multa, quæ bonum & malum morale ſpectant, abſque ulla exteriùs ſuperveniente nova revelatione, cognoſci poſſe, ſtatuunt Theologi Reformati: at *notiones* innatæ, ſicut *eædem* non ſunt, quæ erant ante lapſum, quia corruptæ, & offuſcatæ, quanquam ſimile quid exciderit Wolzogio p. 154, ſic omnia quæ inde eliciuntur ſimul congeſta, rudera ſolùm ſunt præclari quondam ædificii, & ad ſalutem obtinendam, aut quicquam, quod fidei attinet myſteria, ex ſeſe inveſtigandum, minimè ſufficiunt. Imo quæ veritates naturales vulgò audiunt, incertas, lubricas, modo non magnam partem falſas, eſſe, nullus dubito. *Non nimium ſtandum vulgaribus & communibus Philoſophiæ, & rationis placitis, vel ſententiis receptis: plures enim ſunt tam inaccuratæ, incertæ, ambiguæ, falſæ, ut multum moleſtiarum & errorum inferant orbi, atque Diſciplinis: adeo ut præſtaret multas planè abolitas, vel ſaltem reformatas & caſtigatas, quam ut autoritatem ſuam ultra tantam poſſiderent, in grave veritatis omnis præjudicium, potiſſimum religionis, vel ſuper ea controverſorum.*

Hoornb. Socin. Confut. T. 1. p. 99 & 100.

Quod autem ad ſubjectum, & facultatem ipſam; ejus intrinſeca corruptio probè etiam notanda venit.

Non

Non quod ejus eſſentiam, & ſubſtantiam, ut ita loquar, diverſam poſt lapſum eſſe putem ab ea quæ ante lapſum fuerat: ſed quod homo juſtitia originali per peccatum orbatus, jam eouſque corruptus ſit & debilitatus, *ut ne quidem lumine reſiduo bene uti*, aut inſita cognitionis ſemina elicere, principia applicare & ſcintillas reliquiaſque cognitionis ritè collocare poſſit: Ut de præjudiciis, aliiſque per modum nebulæ, objectum inter & ipſam facultatem quaſi interpoſitis, facultatem offuſcantibus, objectum circumſidentibus, mediumque quaſi adiaphanum reddentibus, nihil dicam. Reformati enim Wolzogio hac in parte oculatiores & accurati magìs, corruptionem intellectus ponunt non ſolum, 1. In confuſione & occaſu, ſit venia verbis, obliteratione & quid ni deletione innatæ Adamo ſapientiæ, quâ ex inſitis ſibi principiis & congenitis, repreſentamina rerum, ideas, ſpecies, cogitationes, cognitionemque rerum tam credendarum quam faciendarum elicere aptûs fuiſſet: Ita ut de iſto lumine præter confuſas quaſdam ſcintillulas, nihil nunc habeat reliqui. Sed & 2 in multitudine præjudiciorum, perverſarum opinionum, & non actuali ſolùm & præmeditatâ malitiâ, aut, per naturam evitabili ſocordiâ, acquiſitorum; ſed corruptæ naturæ vitio, ex confuſa confuſarum offuſcatarumque luminis reliqui ſcintillularum rutilatione, ſponte ſeſe objicientium & repræſentantium. Unde naturæ vitio multi errores, & perverſæ opiniones nobis ſubrepunt. Vix aliter ac ſi per aërem vaporibus ex fætido & fæculento fundo aſcendentibus, denſoque fumo obſeſſum, videndum tibi quicquam offeratur: Non congruam iſti objecto ſpeciem te percepturum, certus ſum. 3. Reſtat præterea ipſius facultatis debilitatio, ineptitudo, imo mors ſpiritualis. Rem autem totam ut brevi complectar; hominem finge, qui non ſolum pro-

Synod. Dordracena ad Art. III & IV. §. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

pter Solis abſentiam, ſed & vaporibus repletum aërem & adiaphanum, oculorum denique non hebetudinem, ac ut ita loquar, debilitationem, ſed privationem, facultatis ſaltem videndi amiſſionem, non videt: quod facultas ſalva, lucente Sole, per aëra vidiſſet commodè: habebis vivam hominis naturalis, corruptique intellectus & in eo rationis imaginem. *Amiſit* enim *homo non tantum notitiam actualem, ſed & oculus ejus excæcatus eſt* ait Bodius ad Eph 1. 17. *adeoque rerum* Spiritualium *ne capax quidem natura ejus intellectus, non magis ac cæci oculus luminis aut coloris incapax eſt. Contra perverſam eorum & ſacrilegam ſententiam, qui vitium illud originis ad inferiores animæ facultates reſtringunt & ablegant; cum in intellectu cæco perverſoque reſideat ipſe mali fons & ſcaturigo.*

Bodius ibidem.

ad ỷ. 20.

Hinc ad reſtituendam hac in parte Dei imaginem, non ſolùm objecti propoſitionem, medii, ut ita loquar, ſerenitatem & claritatem ſeu nebularum diſcuſſionem quandam requirunt; ſed & in ſubjectum facultatemque ipſam, novæ vitæ, virtutis & principii ſpiritualis & ſupernaturalis, quâ intus elevetur, vivificetur, infuſionem. Per primum, verbum legitimè propoſitum; per alterum, falſarum præconceptarumque opinionum diſcuſſionem; per tertium denique, lumen illud intelligunt & facultatem vitamque ſpiritualem & ſupernaturalem, qua homo, conceptibus ex ſacris de ſacris & circa ſacra legitimè & congruè formandis demum adaptatur, huc applicandum quod p 103. *res ipſa talis eſſe debet ut cognoſcere poſſint.* Quatuor ponit Ameſius, quæ cum jam dictis coincidunt. *Objectum cognoſcibile.* 2. *Subjectum vel organon cognoſcens.* 3. *Lumen deferens & deducens objectum ut recipiat.* 4. *Lumen diſponens ac elevans ſubjectum ut recipiat:* quod poſtremum dicit eſſe præcipuè de quo contenditur & vocat *virtutem ſupernaturalem*

Wolz.

Aſſert. Theol. de lum. Nat. & Grat. §. VI & VII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

naturalem quâ mens elevetur, lumen etiam *ſpiritua-le*, &c. *Quare in homine per Chriſtum reparando oportet ante omnia mentem ipſam ſive intellectum renovari, ac præterea lumen ipſum cognitionis per Euang ſplendorem infundi immittique: quia in cognoſcente requiritur proportio, utique entia, in quibus non eſt iſta capacitas, non poſſunt cognoſcere illa, quæ vim ſuam excedunt. ergo, ſenſus non cognoſcit Spirituale; facultas naturalis non elevata non cognoſcit ſupernaturalia.* Eouſque hanc ineptitudinem exaggerat Theologus maximi nominis, ut Apoſtolum docere dicat, *ita eſſe comparatum hominem animalem, ut quæ Spiritus Dei ſunt, nequeat cognoſcere, quemadmodum ſi Beſtiam dicas cognoſcere non poſſe quæ hominum ſunt.* Per rationem igitur naturalem intelligimus ſi pro facultate ſumatur, intellectum cæcum, id eſt videndi aptitudine orbatum & Spiritualiter cum toto homine mortuum; ſi vero pro notionibus, axiomatibus inde deductis, confuſas offuſcataſque illas reſidui luminis ſcintillulas cum veritatibus inde elicitis. Sed latius hæc poſtea diſcutienda, & adverſus Wolzogium vindicanda erunt

Bodius ad Eph. 1. 17.

Biſterfeld. Philoſophiæ prim. g. Cap. VI. §. 11.

Muſcul in 1. Cor. 11. 14.

III. Tertium denique quod explicandum reſtat, interpretatio eſt & interpretari. Interpretatio eſt vel verbalis, quæ propriè verſio dicitur, vel realis ſive exegetica: quæ diſtinctio probè hic notanda venit, ut rectè monet ipſe Paradoxus citatis hunc in finem Chamiero aliiſque. Prior ab uſu ſermonis pendet præcipuè, de poſteriori autem, quâ veri ſenſus explicatio quæritur hic, ſermo eſt. Quod ſi animadvertiſſet Wolzogius, tam craſſum errorem perpetuò non erraſſet, ut uſum verborum, quo ſola verſio perficitur, in hoc negotio tantum non unicum interpretationis medium dixiſſet. Videndum quid Orthodoxi, quid Wolzogius, de quo ſummo jure uſurpes, quod alicubi Cicero, *Interpres eget Interprete.* Multa enim hac de re, & per ambages, Wolzogius. Glorio-

Interpretari quid.

Cap. 11. §. 1. 2. 3.

De Divin.

Glorioſum putat, inter eum qui alteri explicat, aut
p.41, 42, Interpretatur, diſtinctionem & differentiam à ſe no-
43 47. tatam eſſe, quam ſolidè antea vidimus. Interpretari
110, 111. autem ſi roges quid ſit, jam authoris mentem, jam ſenſum verborum, non mentem authoris eruere, Wolzogio interpretari eſt. Sed quid attinet hic ire per ambages, plana eſt veritas & aperta, *potuerit*
p.42. *Scriptor ignorare quis ſit verborum uſus, aut alienata mente contrarium ſcribere ejus, quod intendebat.* Quid hæc ad Scriptores ſacros? & eſto tandem, ac in iis obtineat quod dicis, non quæritur quid Jeremias, quid Ezechiel, ſciverit nec ne, quo animo aut quâ mente ſcripſerit; ſed quid Deus per Ezechielis, per Jeremiæ verba ſignificatum voluerit, aut non voluerit: Quidque non per illa dictum eſſe credere debea-
p.225. mus. *Amanuenſes ſint diverſi, idem auctor Deus eſt. cumque in Deo nunquam*, ut rectè notas, *ſeparata ea mentis ſignificatio ſit, quâ nobis judicium exhibet quod habet de rebus ipſis, ab ea, quâ quid nobis voluit patefa-*
p.43. *ctum verbo ſuo, quia nil poteſt nobis verbo ſuo detegere quod non ipſe tanquam verum judicet, nec tale judicet quicquam, quod nen revera ſit tale &c.* Verborum igitur rectum ſenſum, cum mente, ſi non amanuenſis, auctoris ſaltem, congruere, certum eſt ſemper, in ſacris. Quorſum igitur tantus apparatus
Biſterfeld. de Scr. Efficientia §.IV.IX. & X. Eſſen. Diſput. de Conſcien. §. XXXIV, p.110. p.111. ad Interpretem definiendum, ſcilicet non accuratè non clarè id hactenus perceptum erat; *Interpretari eſt*, ſic jam antehac Theologi, *clarè genuinum ſenſum enuntiare*, (*ſive jam ſibi quis, ſive alii* hoc præſtet, perinde eſt) & *genuinus ſenſus, eſt loquentis ſcribentiſve expreſſa notio:* quæ cum à mente Dei nunquam diſcrepet, optimâ ratione veritas hic Logica cum Ethica dicitur ſemper coincidere, nec eſt quod Wolzogen illud in Paradoxo carpat: *ferre non poſſum*, inquit, *veritatem Ethicam, transferri ad veros ſenſus, quos exponere debeat Interpres*, ſcio quod, ſe *hactenus*

de

de Dei ſermone nondum loqui, ſubdat. at quorſum iſti circuitus? Senſus verborum cum mente Dei, & Dei, cum ſenſu, mens, dum congruit, ut ſupra faſſus es.

Hiſce ita prælibatis, Quæſiti & Controverſiæ ſtatus ponendus erit accuratè: quod pro perſpicuitate ſua & novæ Methodi ἀκρίβεια negligit non ſolum; ſed & contemnit, ut minimè neceſſarium aut utile in hoc negotio, noſter: *benéne* enim *& ex vero, an perperam* id *explicuerit*, *nil* id, Judice Wolzogio, *facit ad quæſtionem magnopere.* Sic decebat, ne aut parum, aut nihil à Paradoxo diſtare Wolzogium pateret: nec etiam hactenus videre potui quiſnam paradoxum inter, & Wolzogium ſit veræ controverſiæ ſtatus; jam enim cum adverſario idem, nunc ab ipſo diverſum quid, ſentire diceres. Quare, quod de Reformatis Theologis habet, ipſi ſæpe *accidit*, *ut nec ſua defendat nec oppugnet aliena:* hinc forſan eſt quod ita largiter, turpem licet, captatam nihilominus Paradoxo, novitatis cedat gloriam; controverſiæ enim ſtatu poſito, in omnibus Socinianis, præcipue illo qui edidit, Brevem Diſquiſit. contra Valerianum &c. ſententiam reipſa eandem reperiſſet, ejuſque apud noſtros ſolidam refutationem. Maximam ſemper in Controverſiæ ſtatu fingendo operam poſuerunt, quotquot ſeriò unquam ſimul & ſolidè ſeſe veritatis adverſariis oppoſuerunt. In hoc etiam negotio, id præ multis requiritur: ſic enim ſententiæ divortium cernitur, & vis argumentorum percipitur clariùs.

Status Controverſiæ ponitur.

p. 194.

p. 248.

Non quæritur hic, quid me, hujus & illius vocis, ſigillatim ſumtæ, ſignificationem docere debeat. Id enim de ſingulis, ſi viva, cujus illa vox eſt, lingua ſit, quotidianus uſus; ſin minus, Lexicon, priſtini uſus index, præſtabit facilè. Quod proprie verſionem ſpectat & interpretationem verbalem, quam vocant laxo vocis ſignificatu, ut vel ex Paradoxo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

doxo diſcere potuit. Deus verborum iſtâ, quâ utitur, linguâ, ſignificationem, quam habent, præſupponit, iiſque ex iſto uſu ſignificantibus, utitur, & quidem taliter conſtructis, ut Scripturam ipſam conferenti, conſideranti, prout decet, conſtare id ſufficienter queat; ita ut per has aut illas cauſas, mutato quamvis aliquantulum verborum uſu, nihilominus quid hoc aut illud velit, ex uſu adhuc, & ipſa Scriptura ſatis innoteſcat. Nec omittendum etiam, de quo dubitari non poteſt, ne unquam canon eſſe non poſſet, aut inutilis evaderet hic Scripturæ theſaurus, ſapienter à Deo ſemper & potenter cautum eſſe: ſicque illius reſpectu in intelligibilis fieri haud potuit. Nec in eo nobis tricas faciunt præcipuè, aut nodos nectunt, adverſarii: ut mihi fluctus in ſympulo excitaſſe videatur, tam multa, ſuper hoc negotio & anxiè ſcribens Wolzogiùs: hoc præſupponendum res ipſa poſtulat, eo ipſo enim quod de Interpretatione Scripti divini diſputas, illud intelligibiliter ſcriptum eſſe præſupponitur, & verbis ex uſu ſignificantibus. Quod enim de Homonymia, & ambiguitate verborum, copioſè nimis effudit Paradoxus, refutari debuit brevibus, non imitationi inſervire. Videat Lector quæ viri Clar. Eſſenius, Diſp. de Conſcientia, & Vogelſangh illi homini oppoſuere. Quas in ſingulis ſeparatim ſumtis, difficultates enumerat Paradoxus, univerſus contextus ſolvit vel ipſo, ſua praxi, teſte αὐτοκαλακρίτῳ.

Hoc propriè eſt hic differendum, quid tandem ſit, quod me convincat horum verborum, ſic ſimul junctorum, hunc ſenſum eſſe, hoc loco: ex: gratia ſuper illo Textu Joh. 1. 1. non diſquiritur quid per ſe ſignificet vox ἀρχὴ, quid Θεὸς, quid λόγος, ſed quid iſta enunciatio ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, aut quid vox ἀρχὴ, cujus ex uſu conſtat ſignificatio, ſigillatim quando ponitur, ſignificet, in hac ver-

borum

borum ſerie, aut, ut Wolzogii verbis utar, *qua tandem ratione* ſc: per modum objecti *motus, apud animum meum ſtatuere pro certo poſſim. hunc ſenſum cum hac oratione copulandum eſſe.* Rectè hactenus; ſed ab eo ſubjuncta vide. *Nec magna foret in eo definiendo difficultas,* inquit, *ſi certa eſſent & indubitata verborum ſigna: horum ſignorum ſufficeret generalem habere cognitam inſtitutionem, ut quæ mens eorum in ſingulis eſſet, haberemus exploratè Perceptum;* Et poſt nonnulla de ambiguitatis cauſis, *omnis diſputationis ſuæ materiam in eo contineri* dicit. Siccine, bone vir, de ſingulis verbis, quid velint, tu ſolum diſputas? ſingulorum non fixa ſignificatio, tibi tantam parit moleſtiam? aut obſcurè loqueris, aut veritatis, aut tui immemor. Lege quæ ſcripſti, libro ſequente; *Nec enim in Interpretatione orationis, quid in ſe valeant verba, ſed quid hic valere debeant, examinatur; multum enim intereſt inter ſignificationem vocabuli, quod ſolutum ſpectatur ab omni oratione, & in prima tantum origine ſua; & inter illam ejuſdem vocabuli ſignificationem, quando in media comparet oratione, varia conſtructione, multisque circumſtantiis determinatum. Idem dicendum de partibus quibuſdam orationis, quæ ſenſum aliquem continere poſſunt, integriſque propoſitionibus, quæ ſi ſeorſim ſumantur aliud longe ſignificent, quam ſi toti orationis corpori intertextæ cohæreant cum antecedentibus. Tunc enim à materiâ, à ſcopo, ab aliis rebus quamplurimis ſenſum accipiunt ab eo diverſum, quem per ſe habere poſſent. Sed hoc* NB. *non moratur Interpretem: is enim, non ſectatur illum ſenſum, quem ſoluta vocabula, ſententiæque ſeparatæ poſſunt habere, niſi Lexicon forte ſcribat, aut Logica præcepta velit exemplis illuſtrare. Inquirit ſenſum, qui eo loco, videatur elici poſſe.* viden aliam plane belli ſedem eſſe, & locum ubi congredi debeas, etiam te ipſo judice? Indubitatam igitur fixamque verborum ſignificationem quærere, non unicus in

P. 48.

P. 48.

P. 107.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

hoc negotio *labor* dicendus erat, de ſeorſim & ſigillatim ſumtis illic loqueris, ut ex ambiguitatis & difficultatis, quas inibi tradis, cauſis, liquido patet.

Manet igitur hic controverſia ſtatus; quid tandem ſit, quod me per modum objecti certum reddat, hujus orationis illum eſſe ſenſum, non alium. Dicam quid ſtatuant Reformati, Spiritum Sanctum in Scriptura loquentem, & Scripturam explicantem, id facere per modum judicis ſententiam ferentis. Spiritus S. Judex eſt, norma & præſcriptum ipſa Scriptura.

Totum autém negotium ut bene & ex Reformatorum genuino ſenſu ritè intelligatur, ſciendum eſt, ut in omni cognitione, ſic & in intellectione Scripturæ, requiri ſubjectum capax, objectum, & legitimum utriuſque contactum. Sic & hic quærenti quid ad Scripturæ genuinam requiratur intellectionem, reſpondendum erit requiri. 1. In ſubjecto, homine intellecturo, non ſolum diſpoſitionem quâ homo aptus ſit & diſpoſitus ad illud in Scriptura videndum: capax quaſi, ad illud capiendum, *neceſſum enim eſt ut perceptio ſit rei & cognoſcenti & cognoſcendæ, & mutuæ ipſarum habitudini ac ſtatui, proportionalis: dico proportionalis, neque enim neceſſe eſt ut cognoſcens in omni cognitione ſit æquale cognoſcendo; poteſt eſſe majus & minus; ſed requiritur, ſufficiens aptitudo & quaſi capacitas, ut cognoſcens poſſit efficaciter cognoſcendi ſimilitudinem in ſe habere.* Sed & iſtius diſpoſitionis excitatio, applicatioque legitima. *Res ipſa*, ait Wolzogen, *talis eſſe debet, ut cognoſci poſſit; mens oculuſve ita affecti ut cognoſcere poſſint; denique relatio id poſtulat, ut rebus iſtis cognoſcendis applicata mens illas revera percipiat.* 2. In objecto intelligendo quod Scriptura eſt, nihil præter ipſam Scripturam, ut in hypotheſibus dictum eſt. de hoc loquuntur Reformati cum Scripturam Scripturæ dicunt Jnterpretem. Objectum illud ſibi ſuffi-

Quid ad Scripturæ intellectum requiratur.

Biſterfeld. prim. Philoſ. Cap. 6. Reg. 6. §. 2.

ſufficere ad ingenerandam quantum ab objecto requiri poteſt, ſui intellectionem veram & legitimam, à Deo denique intentam. Scripturam cum Scriptura legitimè collatam, non poſſe falſam, imò eam demum poſſe veram detegere, docere, dictare, (per modum objecti ſc) & certam Interpretationem: de utroque tam quod à parte ſubjecti, quam quod à parte objecti requiſitum dixi, videamus latius.

Subjectum quod attinet, ejus ineptitudo naturalis, præſertim in hoc negotio, negari, aut diſſimulari, aut minui à Reformato non debet: ſegniter autem & languidé, procul omni dubio, nimis, de ea loquitur, qui *ſegnitiem* & *languorem*, eam, cum Wolzogio, vocaverit: niſi, quod *mortuum* eſt, *languidum* & *ſegne* dici queat: vivit qui ſegnis eſt, quamvis inertiſſimè; vitæ majus exercitium ſolum & major incitatio requiritur in eo qui ſe languori dedit: dum mortuus interim vita indigeat nova, motûs novo principio. Jllo Pelagiani, & quidem craſſiores, hoc verò modo Reformati loquuntur & quidem ex ſacris. Peccatum mors eſt animæ. Quid ni ſeſe excitare poſſet languidus? quid ni allaborans, torporem excuteret? quid? *Oculos nobis eſſe negat Apoſtolus, nihil homo in ſpiritualibus comprehendit. Quid, ita? an quia per ignaviam negligit? imo, etiamſi enitatur, nihil poteſt: & ne culpa hujus detur hominis animalis deſidiæ & negligentiæ, ubi animalis homo conatur ad cognitionem pertingere regni Chriſti fruſtra laborat, ubi de rebus Spiritus diſputat, garrit, ubi pronunciat, mentitur &c.* ſic iſti heroes olim abſque omni ſane obſcuritate. *Languor* ſæpe etiam & *ſegnities* pios corripit, tum excitandus ſolum eſt ſegnis, non vivificandus mortuus, quæ immane quantum diſtant! Non ſufficit hic, mentis aciem obtuſiorem dicere, non membranam intellectus oculo obductam cogitare, ſalva intus videndi facultate. Sed oculum effoſſum ſpiri-

[Margin notes: 1 à parte Subjecti. — P. 64. — Concil. Arauſi-can. §. 2. — Calvin. Inſtit. L. II. C. II. §. 20. Muſcul. in I. Cor. II. 14.]

ſpiritualiter, ſe videndi facultate deſtitutum, orbatum ſtatuere, orthodoxorum eſt. Hinc non perfectionis gradu ſed toto genere differunt, quæ à natura prodeunt & homine naturali, ab iis quæ ex principio ſupernaturali elicit homo regenitus. Vix aliter quam ut *operationes reliquorum animantium, quamvis ſubtiliſſimæ, nihilo minus, cum iis, quæ à mente hominis proficiſcuntur, collatæ, defectum facultatis rationalis arguunt:* hac ſimilitudine utitur ante me, vir Clariſſimus. Neceſſarium igitur eſt, ut novum intellectui ſuperinfundatur lumen, potentia, principium, quod ſit vita in intellectu, olim per peccatum mortuo, quo intellectus elevetur & coaptetur ad recipiendum, objectum ſpirituale modo convenienti. *Quod ſi non requiratur, vicirent Pelagiani, homo ψυχικὸς, atque σαρκικὸς, poterit per ſe apprehendere objecta ſpiritualia,* ait idem Theologus. *De lumine* illo *diſponente ſubjectum & elevante, ſola diſceptatio eſt.*

Amyrald. Theſ. Salmur. Tom. 1. p. 139.

Amyral. l. c. p. 123. Ameſ. Aſſert. de Lum. Nat. & Grat. §. VII.

Sed præter illud principium infuſum, ad ejus excitationem, quâ actus ejus eliciantur, requiritur nova perpetuo S Spiritus attingentia & influxus novus, quo intus vi ſuâ facultatem illam regenitam & elevatam excitat, applicat &c. Ita ut ſi, e. gr. hoc momento intellectus regenitus & ſupernaturali illa virtute donatus, ad individuum hunc aut illum actum excitandus ſit, nova ſemper, ad illum ſignatum actum egeat Spiritus S. præexcitatione & concurſu gratioſo: ſicut in naturalibus, id noſtri docent, de communis providentiæ agendi modo, circa omnem motum naturalem. Nec hoc meum eſt quod dico, Cloppenburgio id debet lector. *Adeoque* inquit ille *in Spiritu eſſe dicimur, quando per efficacem Spiritus Sancti operationem, vivimus vitam novam, ſimili phraſi, quâ dicimur naturæ univerſali beneficio, in Domino vivere, moveri & eſſe* Act. XVII. 25, 28. *non* enim *ſolum per ſuum Spiritum afflat mentibus donum ſapientiæ, ſed*

Antiſin. Diſput. XXIV. §. 6.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſed etiam efficit ut actu ſapiamus: hoc eſt, non ſolum auctor eſt actus primi (ut loquuntur Philoſophi) ſed etiam actus ſecundi: ut oculus actu videat aliquid, duo in ipſo requiruntur: primum facultas videndi: ſed hoc non eſt ſatis: nam etiam cum dormimus, & in tenebris, facultatem tenemus. Ergo, ut etiam mens noſtra res divinas atque cœleſtes actu cognoſcat; non ſat habet, vi prædita ſit dono ſapientiæ, ſed opus illi eſt; ut lumine Sp. Sancti affecta, illuminata, permota in actum ſecundum deducatur. ſic Zanchius & poſt eum Bodius, *ex Dei dono & S. S. operatione dependet, tum donum ipſum habituale, tum ejus uſus & exercitium, quod in actuali cognitione conſiſtit.* Zanch. in Ep. ad Eph. 1. p. m. 32. b. — in Ep. ad Eph. 1. 17.

Subjecti ineptitudinem uti minuendam non eſſe ſtatuunt Reformati, ſic objecti in ſuo genere perfectionem & ſufficientiam defendunt ſeriò & ſolidè in hoc negotio. Ita ut quærenti, quid illud ſit, quod me, per modum objecti, movere, perſuadere debeat, Deum hac enunciatione, iſtis verbis, per ſe ex uſu linguæ, ſeorſim & ſigillatim intelligibilibus, hoc & non aliud ſignificaſſe, reſponderi debeat Scripturam eſſe, ſeu hoc ipſo loco clariſſime id intellectui objicientem, ſeu aliunde ex aliis locis huic facem accendentem: hic jam congredi partes videas. Philoſophiam id præſtare voluit tenebrio. Wolzogen rationem, uſum loquendi & Spiritum S. Neuter ex veritate, ex Reformatorum ſenſu neuter. Tenebrionem aliis committimus qui jam dudum maleſanum ipſius commentum refutarunt abundè; Mareſium puto, Eſſenium, Arnoldum, Vogelſangh, Serrarium: nos Wolzogium examinabimus. Tribus ille hanc Provinciam dari debere ſtatuit: ſed nullum eorum reſpuet, ſuo ſenſu, Socinianus, aut cum ipſo Paradoxus. Nullum etiam non requirit Reformatus, ſed ſuo quodque loco & ordine & modo: quandoquidem verò de objecto quæſtio eſt, ut vocabula 2 Quid agat objectum. — Wolzogii ſententia eruitur.

normæ, & regulæ, in hoc negotio, (quanquam ju-
dice Wolzogio figuratæ nimis,) occurrentes, docent:
p 263. docet & Wolzogius p. 91. cum dicit quæri *quidnam*
potiſſimum id eſſet, quo, qui ratione uteretur, adduci
poſſet ac deberet, ut de veritate alicujus Interpretationis
ſe perſuaderi pateretur. nam & qui ſibi eſt Interpres ali-
qua certe ratione movetur; & qui aliis inſervit, ean-
dem adhibere poteſt :- ita ut vi rationis allatæ debuiſſe con-
p.48. *vinci, ſi nil vitii contraxiſſent ipſi, cognoſcatur:* quæ-
p.64. rit aliquid quod me per modum *rationis movet aliquid*
quod ſi ſit bene perſpectum, non poſſimus de ſenſu dubita-
re; aliquid denique quod nos inſtar facis ducit, ut ad evi-
dentiam perveniamus, & quidem tali modo ut res ipſa,
ut ipſa oratio nos ducere poſſunt. Quæ certe id agunt per
modum externe objecti, & in eo ordine, quæ per
modum facis ducunt, ſicut res, ſicut oratio ducere
poteſt, Spiritum recenſet, & de ejus efficientia di-
ſputat laxè: ſed palàm nimis oſcitantiam ſuam pro-
p 252. dit Wolzogen. De ſubjecto ejuſque aptitudine ſi age-
253. retur aliter ſe haberet res iſta. Nunc autem de objecto
& per modum objecti externe propoſiti agente & du-
cente face dum diſſerit, turpiter hallucinatur, dum hic
etiam Spiritum recenſet & de eo ratiocinatur tanto mo-
limine. Spiritus Sancti etiam, cum circà objectum
verſor & de objecto diſſero, mentio facienda eſt, fateor,
ſed in tantum ſolùm, in quantum Scripturæ author
eſt & in ea ut Judex ſuam prodidit ſententiam: excu-
ſandum vero Wolzogium, ſi quis judicet, quia Para-
doxus qui refutandus erat, latè de Sp. S. diſſerit,
ejuſque in nos operatione: illi regero, Paradoxum
in eo graviter erraſſe, dum ab objecto turpi, εἰς ἄλλο
γένος μεταβάσις, ad ſubjectum devolvitur ipſius diſ-
ſertatio. Scripturam Scripturæ Interpretem, aut
Sp. S. in Scriptura loquentem eſſe Controverſiarum
omniſque Interpretationis Judicem, dixerant Refor-
mati; hanc in ſententiam inſurgit impotens jacta-
tor,

tor, & multis de Spiritus illuminatione hac & illa garrit homo ψυχικὸς, πνεῦμα μὴ ἔχων. Reformatos porro obſcuritatis inſimulans quaſi hæc non bene diſtinguant: Cum de rationis ſufficientia & viribus facultatis ratiocinantis loquitur, tum Spiritus requiſita virtus removenda erat & vendicanda intellectui cum ſuis inſitis notionibus ſufficientia & virtus: cum autem Scripturæ Interpretem Scripturam dicunt Ref. procul omni dubio, ſepoſito ſubjecto, de objecto diſputant, & ejus interpretandi normam quærunt & regulam, ut alibi fatetur Paradoxus: & Spiritum S. per Scr. & in ea Judicem Interpr. quando ſtatuunt, nihil aliud re ipſa dicunt: adhuc de objecto loquuntur. Spiritum S. authorem & ideo in ea loquentem audiunt, Interpretantem agnoſcunt, ſed non aliter ac Optatus Milevitanus ait, *ſi fuerit inter fratres* (poſt Patris mortem) *contentio nata, non itur ad tumulum; ſed quæritur Teſtamentum: & qui tumulo quieſcit, tacitus de tabulis loquitur.* Sic quando Juriſconſultus Imperatorem hanc aut illam legem explicare dicit, nihil dicit diverſum ab eo, qui legem unam dicit explicare aliam: ut impudentem malitiam aut ignorantiam videas in Paradoxo qui Whitakerum & Scarpium ab aliis ſingulare quid ſtatuere facit & præter Script. Spiritui authoritatem Interpretandi dum tribuunt, à reliquis Reformatis diſſentire dicit: non intelligit aut diſſimulat veram Reform. ſententiam infrunitum caput. Quod ſi fuiſſet probè à Wolzogio notatum, non habuiſſet ipſum erroris diſcipulum Paradoxus, non ſequacem: potuiſſet, quæ de Spiritu S. perverſa docet adverſarius, refutaſſe, ſed ſuo ordine & loco. Eſt ſubjecti elevatio, excitatio, applicatio, ut & poſt factam ſic ex Scriptura Interpretationem ſuperveniens quædam iſtius veritatis per Sp. in nobis obſignatio: ſed jam circa objectum verſamur. At quoniam ſic poſcit Wolzogiana

Cap. x. §. 2.

Cap. xvi. §. 3. & 4.

Optatus Milevit. Libr. v. adv. Parmen. Citatus Eſſenio Diſp. de Conſc. §. xlvi.

Cap. xv. §. 1.

methodus, audiamus quibus interpretandam Scripturam committat. *Et quia Spiritus prima mentio facta, ejus quidem vis & efficacia duplex eſſe poteſt, altera ſoluta, libera, animos hominum ipſa per ſe movens, nec ullis alligata rebus extra ſe poſitis: altera rebus adſtricta, perque illas demum exerens ſeſe: prior illa virtute immediata mentes afficit; mediata tantum poſterior, illa extraordinaria, hæc ordinaria.* Perplexa omnia, quid? an nunquam immediatè tuam afficit mentem Spiritus & excitat ad operationes ſpirituales? non videris intelligere quid velint Reformati, omnes motus, omnia dictata ad Scripturæ normam & amuſſim exigenda, & an cum ea conveniant nec ne probanda; non autem, nullos motus, operationes Spiritus S. nullas à fidelibus percipi & recipi immediate & de Scriptura ne quidem tum cogitantibus: imò ſæpius ad Scr. lectionem, ad preces, aliaque incitantur immediatè. Túne igitur omnem afflatum internum negas? túne iſta ut pugnantia opponis? imo vero, ſi verba ponderentur, dubium linquit lectorem, an, præter objectivam propoſitionem, ullam Spiritus Sancti in ipſam mentem operationem admittat: *efficit*, inquit, *Spiritus ut mens perſpiciat quibus confirmetur:* & alibi, *id* tantum *facit ut mens noſtra perſpicere ea poſſit ſine nube, quæ in ipſo inſunt Scripturæ contextu:* eadem ſanè & plura dicent Pelagiani. Efficit, ais, Spiritus S. ut mens &c. ſed quali operatione, quo modo? externè ſolum iſtud objectum perceptibiliter proponendo, an vero intus etiam ipſum ſubjectum diſponendo habitualiter, ad actum excitando, & deinceps contactum in genere cauſæ primæ efficiendo? De orthodoxia me dubium reddis tua, dum omnem negas afflatum internum, & illum demùm Spiritum agnoſcis, quem in ipſa invenis Scriptura, non eo ſenſu, quod nullum alium agnoſcas, quàm de quo loquitur Scriptura, cujùs motus congruunt Scripturæ; ſic enim me ſponte

[Margin: p. 58. Quid de Spiritu S. Wolzogius. — p. 63. — p. 130.]

ſpontè adſtipulantem haberes; ſed *eſt aliquid, quod* p. 64.
in Scriptura eſt, quo viſo & perſpecto non potes dubitare de ſenſu, aliquid quod præ mentis corruptione quadam videre non poſſumus: quod revera nihil aliud eſt, quam palam ad objectum relabi, omnia unicè in objecto quærere, & in objecti propoſitione externa totam ponere illuminationem Spiritus: imò illud omne quod per operationem Spiritus Sancti, intelligis opponis iis operationibus, quibus intus mentem afflat, quales negas & explodis unà omnes: hinc tam parcè alibi, *aliquas* Spiritui *partes* tribuis, p. 52. &
& quidem ob Scripturarum præcipuè ſingularem quan- 53.
dam naturam: ſingulari quadam conſtitutione Scripturæ. p. 55.
Ponamus enim vel in ſumma ignorantia demerſum pecca- p. 172.
torem, poſſet ſanè ita loqui Deus, ut vel ab ignorantiſſimo intelligeretur. Siccine in revelationis modo tibi hæret aqua, potuiſſet ita loqui iſta Myſteria regni cœlorum ut intelligeretur ab ignorantiſſimo, abſque indita nova peccatori vita, modo proponendi modus externus & à parte objecti, id eſt Scripturæ, alius & talis ſit? mira narras, quaſi diceres Solem tam fortiter vibrare radios potuiſſe, ut etiam à cæcis perciperentur. egregiè ſanè. Nec plura petent Pelagiani, ut mediis moralibus ſua conſtet, poſſibilis ſaltem, efficacia. Sed hæc multùm correcta videas alibi, *vi quoque Spi-* p. 55.
ritus confirmari in hiſce quæſtionibus dicis. Sic ſatis tenuiter, at quænam ſunt illæ quæſtiones, in quarum deciſione tam parcè Spiritum agere putat Wolzogen, ſunt illæ 1. *quamobrem credamus has eſſe Scripturas.* p. 51.
2. *quamobrem hunc ſtatuamus & non alium Scripturæ ſenſum. Quæ non in authoritatem Dei refunduntur &* p. 52.
fidei ſunt, ſed planè alteriùs naturæ: nec enim tam prope Deum attingunt: ad hominem referuntur, & res humanas, aut ab ipſius conſtitutione materiæ pendent. Mira Theologemata. Candidè dicam, aut meticuloſè falſa doces, aut intricatè & abſque ſenſu vera: ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

p.252. 253. pedias te ipſe, ſi potes: *facem nos ducentem* quæris alibi, & quidem eo modo, uti res ipſæ, uti oratio ducunt, atque hîc aliquid eſſe dicis, quod à Sp. proficiſci poſſe intelligitur, (quam benè autem hîc, dum facem quærit, de Sp. agat, notatum eſt anteà) ſed planè illud removes, ita ut in caſtra Fanaticorum tranſeant, qui hîc à Sp. quicquam expectant. Ipſe autem, te ipſo teſte, Fanaticus jam audies. pag. enim 50 & 51. nonne idem quærebas, quod hîc tibi *fax* dicitur? imo idem; illic enim rem illam de quâ ante, illic & iſta tria ponis & quidem ut *facem*, ut rem quâ tu perceptâ & viſâ non poteras dubitare de ſenſu; & multa ibidem videri vis tribuere Spiritui, jam Fanaticismum Ludovicus exprobrat Wolzogio: quocunque te vertas, à contradictione te non liberabis, ut *facem* enim hic, *Spiritum* qui expectat, Fanaticus eſt, ibi multum ſub eodem formali tribuis Spiritui. Rem ſi intelligis & rectè de ea ſentis, ad quid tanta confuſio? ubi nunc iſta Methodus? noli poſthac aliis obſcuritatem impingere: ſed puto, inquies, *mentis conſtitutionem talem eſſe*, at de mentis conſtitutione dum agis, quid ad iſtam uſus, cujus oratio, quid ratio, cujus res ipſa objectum eſt? quid Spiritum removes? ſed reſipiſcens operas Spiritum inter & uſum ac rationem partiri videris, ut ſaltem aliquid ſit

p 253. Spiritui reliquum, dicis *mentis conſtitutionem talem eſſe, ut multa cernere non poſſit ſæpiſſimè, quibus opus habet ut perſuadeatur*, id non negabunt Pelagiani, modo ne ipſe neges, quid enim mentis conſtitutionem culpas? *potuiſſet enim ita conſtituta Scriptura eſſe, ut in ſumma ignorantia demerſum peccatorem, ejus ſenſus non fugiſſet*, ut dicis p. 172. & ſic *Scripturarum conſtitutio* aliquo egebat auxilio: quid dicis? *multa cernere non poſſe naturâ hominem quibus &c.* id eſt, *pervidere ſæpe cœleſtem veritatem non poteſt quia cæcus*, ſic explicas te p. 167. Ergo quædam cernere aliquando,

do, cœleſtem veritatem pervidere aliquando poteſt cæcus, egregiè! ex ſenſu Reformatorum nihil ſpiritualiter, nihil rite percipit, ut nihil videt qui cæcus eſt; ſed de ſalutari & vera jam perceptione loqueris, dum Spiritum requiris, & illius reſpectu dices, hominem ſolummodo *multa* cernere *non poſſe*, *ſæpe cœleſtem veritatem pervidere* non poſſe? Idem ultro dabunt omnes Pelagiani: præſertim, ſi ita illum Spiritus efficaciam deſcriptam videant, ut in *eo vim exerat Dei Spiritus qui illuminare mentes noſtras dicitur*, *non quod novum lumen iis infundat*, *quod omne in ipſa radiat* p.253. *Scriptura*, *ſed quia mentis vitia tollit ut videre illud lu-* & 254. *men queat.* Novum lumen certè nobis non infundit, ſi pro veritatibus ſumas, quas omnes in Scr. habemus quæ unica lux eſt, ſcilicet in genere normæ, regulæ, facis: ſed hic circa ſubjectum, circa mentem ejuſque *conſtitutionem* verſaris, & dicis, quod *novum illi non infundatur lumen*, attamen Spiritus *mentis tollit* p. 253. *vitia, imo excitat inertem animum, ad verum ſcopum ducit*, *& per illas ſemitas ducit*, *quibus tandem perveniat ad ſalutarem interpretationis veritatem*, *faciatque omnia illa quæ requiruntur ad hanc veluti actionem animæ.* bona verba ſed 1. quæ vitia? *ſegnitiem & languorem* p. 64. *nubem* quandam p. 130. *errores* & *præjudicia* p. 172. *opiniones anticipatas*, *deſidiam* p. 250. imo cæcitatem, ſed non totalem, quaque *homo multa ſolum non cernere poteſt*, *ſæpe non pervidere cœleſtem veritatem* p. 167. moderatè ſatis omnia, nec Pelagianos ſic offendes? 2. Quali operatione? & quomodo iſta tolluntur vitia? *non per infuſionem novi luminis* p. 153. non igitur per immediatam realem aut hyperphyſicam attingentiam, ſed *eſt aliquid in Scriptura* quo perſuadear p. 64. omne in objecto eſt, quod de illuminatione noſter: hinc non ſpecie ſed gradu ſolum differre ipſi videtur cognitio & lumen hominis naturalis & regeniti, quid enim aliud illæ phra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſes? *non ita attendit, non ita ſcrutatur, qui hoc Sp. non excitatus, non* NB *eos facit progreſſus nec* NB *ſemper veritatem aſſequitur.* Ac alibi cum explicat qualem lucem agnoſcat præter & ſupra naturalem, aliam non memorat quam illam, quæ objectiva dicitur Theologis: ſic enim P. 134. *alterius generis eſt lux rationis, alterius lumen teſtimoniorum, aut aliorum indiciorum quibus de rei veritate erudior.* Viden' ſupra rationem agnoſcit aliud, teſtimoniorum id eſt objectivum lumen, nihil ultra. Nec mirum eſt, orthodoxus enim ille Senior multis hoc contendit, non eſſe diverſi generis in regenitis quam irregenitis lumen aliquod, nimirum concipi ſic ab ipſo non poteſt, ergo non eſt. Jmo addit Wolzogius *ſufficere lumen naturale, ut ad ea attendat, ex quibus pendet intelligentia.* P. 65. tale quid ad interpretationem requirit ſolum, *quo* NB non regenitus, per internam illuminationem jam elevatus, ſed *quo, qui ratione uteretur, adduci poſſet & deberet, ut de veritate alicujus interpretationis ſe perſuaderi pateretur*, eſt aliquid in verbo, dicis, quo perſuadeor, at ſi Ameſio credis, *non plus quam moralis vis, eſt illa vis, quæ per verbum derivatur*, ſi vero ex Velthuiſio, quem tamen orthodoxum dicit Wolzogen, hæc latius vellem deducere, recoctus tandem reviviſceret Pelagianiſmus. Sic tortuoſis iſtis ſcripti Wolzogiani jam paragratis viis, quid tandem de ipſius ſenſu & ſententia mihi videtur, breviter exponam. 1. Nihil eum hactenus de corruptione, per peccatum, aut reſtauratione per gratiam quicquam dixiſſe, quo non magis emphaticum & veritati vicinius apud Remonſtrantes & Semipelagianos invenias. 2. Ac proinde nullibi ſufficienter & perſpicue demonſtratam ipſius orthodoxiam: quod præcipue hoc ſeculo, hiſce temporibus, in iſta controverſia, fieri debuerat, præſertim à Severo iſto Catone, qui omnes tam acri obſcuritatis notâ pro

Ameſ. Animadv. P. 208.

autho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

authoritate dignos cenſet. 3. Non pauca docere, quæ falſa & veritati & orthodoxis, tam quoad verba quam qnoad ſenſum, quantum ex hoc dilucido tractatu videri poteſt, contraria eſſe probabimus. Dico quantum ex hoc tractatu patet, poſſet enim reſipiſcens aut meliora addere, aut mirum in modum iſta palliare, ſed quantum ex iſto tractatu conjici poteſt, falſa eſſe dico & Phraſiologiam & rem ipſam quod attinet Heterodoxa; ſpeciminis gratia enumerabimus aliquot ex Wolzogio theſes & ventilabimus, antequam ad rei apicem perveniamus.

Prima ex dictis Wolzogi Theſis eruta & rejecta de immediata Sp. in mentem operatione. P. 23.

1. Prima eſt, *immediatas omnes operationes Sps. Sancti nunc ceſſare, non immediate mentes noſtras affici,* ut vidimus ſupra ex P. 58. hinc ita ipſi diſplicet *afflatus, vocis internæ* & ſimilium mentio, imo eos, qui iſta crepant, Fanaticis annumerat, & Enthuſiaſtas dicit. Virtute immediata affici ipſi extraordinarium eſt quod etiam nunc plane ceſſat. At priuſquam alios Enthuſiaſmi accuſares, diſcere debuiſſes, quid ſit fanaticum, quid Enthuſiaſtam eſſe. Immediatis revelationibus, aut Scripturæ præferendis aut æquiparandis, ad earum amuſſim ſaltem non exigendis, qui fidunt & eas jactant tales Enthuſiaſtas habendos ſcio; ſed afflatum internum omnem, immediatam Sp. inſpirationem, vocem internam omnem proſcribere, nunquam auſus eſt, niſi qui Libertinus, ſaltem carnalis. Quid vetat idem intus & exterius revelari, quid jam revelatum denuo obſignari? Spanhemius etiam, ubi contra Enthuſiaſtas agit, ſic ſtatum format controverſiæ, *urum præter vel extra Scripturam & ex peculiaribus Enthuſiaſmis, & privatis revelationibus petenda ſit norma ſive credendorum ſive faciendorum?* nunquam autem noſtri aut afflatum internum, aut vocem internam, aut immediatam inſpirationem rejecerunt, modo Scriptura manſerit fidei non ſolum morumque norma unica, ſed & amuſſis, ad quam & dicta-

Reformatorum de ea ſententia & dicta. Diſput. Antianabapt. diſp XVI. §. VI.

dictamina cujuſcunque Spiritus, & modus operandi, exigantur exactè. Atque adeo clarè demonſtras quam hoſpes ſis in ſcriptis Reformatorum, quam ignoti ipſorum juxta Scripturam termini & loquendi modi, ni forſan omnes jam Fanatici, exorto novo lumine, deprehendantur. Sed audiamus: *diſtinguendæ*, ait

Diſp. xix. §. 17. Spanh: *inſpirationes privatæ, quæ & originaliter & ſubjectivè tales, à talibus ſubjectivè tantum. Illæ non dammandæ, nemo enim fidelis qui non ejuſmodi inſpira-*

Diſp. xx. §. 7. 8. *tiones habeat: iſtæ vero damnandæ. Imo poteſt Deus extraordinariè inſpirare ſingulare lumen, gratiam, zelum, iis qui ordinarias vocationes funguntur in Eccleſia.* Verum ut ne videatur ſolum largiri, Deum id *poſſe*, concedit *dari, hodiéque ſæpe, præter motus ordinarios* Spiritus, etiam extraordinarios *in filiis Dei, & lumen tale*, vide autem quomodo probandi, *nego tales motus eſſe raptus Enthuſiaſtarum, quippe qui contrarii ſunt declarationi Spiritus in verbo Scripto. At Sp. Dei non eſt ita & non*

Diſp. xx §. 16. 2 *Cor* 1. 18. hoc ſi retineatur, dicit *peccari falſa hypotheſi, ſi quis dicat omnes inſpirationes extraordinarias à nobis damnari quin nemo verè pius eſt, qui tales non perſentiſcat ſæpe in corde ſuo.* Hæc audi, qui iſta negas rideſque. At Spanhemium Virum ſummum ſi ſpernas, aut fortaſſis, hujus ævi Enthuſiaſtico malo, correptum putes, (ſciàt autem lector pios ferè nunc carnalibus Enthuſiaſtas dici.) Calvinum audi, Muſculum, & ſimiles, illi ſic loquuntur, ſic ſentiunt, ut libello iſto

P. 61. Judice, Fanatici ſint, unà omnes. *Si Spiritus afflatum internum mentem Dei, teſtis inſtar, aperientis rides*, Hemmingium rides, qui in 1. Cor. 11: 16. hac voce utitur hunc in modum. *Accipere Sp. Dei*, inquit, *eſt eo Sp. afflari, qui nos ad Deum uſque ſubvehat, cujus vi ſc: ſcrutemur & intelligamus ſalutis noſtræ Myſterium, alioqui imperveſtigabile.* Calvinum rides, ſic ille ad 1. Joh. 11: 17. Apoſt. *ſignificat ſe nihil quicquam proponere quod non ultro illis*, NB *ſuggerat*

Dei

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Dei Sp. . . . . hoc dicit quo plus authoritatis ſuæ Doctrinæ conciliet: dum ejus NB *ſubſcriptionem quiſque in corde ſuo reperit digito Dei inſculptam*, Bucerum rides qui de Anagocicis Interpretationibus alibi diſſerens eo progreditur, ut putet à ſolo Spiritu in cordibus fidelium eas doceri ſolidè, audiamus an non forſan Enthuſiasmos doceat vir pientiſſimus. *Ab Anagocicis Interpretationibus mihi temperavi quod ... cognita Hiſtoria quiſque ipſe, ſubducente Spiritu, illas ſibi facile formet. Quæ enim ſolidæ ſunt & animum valent paſcere, illæ ſolius Spiritus, docentis in Sanctorum pectoribus, opus ſunt:* & alibi ſic loquitur, *Spiritus eſt afflatus Dei in nobis, energia & vis divina.* Epiſcopius hac de re, antequam ita craſſè Pelagianizabat, non malè. *Secunda Sp promiſſi actio, inquit, eſt motio,* ἐνέργεια, *agitatio, ſeu inſpiratio quædam arcana & imperceptibilis, per quam Sp. ſive animus credentium alacer, idoneus, atque agilis redditur. Actio hæc primum & potiſſimum circa mentem occupatur, & quidem aut immediatè, per illuſtrationem & illuminationem ejus in veritatis cognitione: aut mediatè per objectorum obſcurorum elucidationem, impedimentorum amotionem, ſpecierum novarum oblationem, mediorum ad firmandas ſpecies ſuppeditationem &c.* Hinc Synodus Arauſicana *illuminationem & inſpirationem Sp. S. negantem* Hæretico falli ſtatuit ſpiritu, & *veteris Eccleſiæ judicio, requiri præter doctrinam, inſpirationem Sp. S. quam vocat occultam*, internam *mirabilem, ineffabilem, & veram in corde revelationem* Voſſius author eſt. Quid? nonne Spiritus teſtificatur Spiritum veracem eſſe? nonne teſtificatur cum noſtro Spiritu nos Dei filios eſſe? non ſufficit Reformatorum phraſes carpere, ipſam Scripturam tandem corrigent, hodiernæ lucis filii. Palinodiam canat Simeon, aut redeat & de exorta nunc demum luce fundat carmina. Calvinum audi novelle ſcriptor; *neceſſe eſt Deum, non mortua tantum*

Bucer. in præfat: ad Enarrat. in Pſalm.

Bucer. ad Eph. 1. p. m. 31.

Epiſcop. op. T. 2. parte 2. p. 437 a.

Synod. Arauſica, 11.

Voſſ. Hiſt. pelag. Præfat.

Calv. ad Pſalm. CXLIII. 10.

litera

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Ps CXLIII. 10. P. 253.

litera magiſtrum & Doctorem eſſe, ſed arcano Spiritus inſtinctu Sic neceſſe eſt Enthuſiaſtam eſſe, *à Spiritu vero ſi quid acciperemus deberet voce quadam interna*, heu quantus Fanaticiſmus judice Wolzogio! *nos compellare Sanctus Spiritus.* Vapulet Paræus, *Spiritus Dei*, ait ille, *ducit nos dupliciter, foris per verbum, intus per lucem, inclinationes, motus infuſos ſecundum verbum. Imo novam revelationem* vocare non veretur Calvinus. Vapulet jam Muſculus, qui pro ſua ſimplicitate ſic diſſerit, *ſi quæras*, inquit, *quare nequeat animalis homo cognoſcere ea quæ ſunt Sp Dei, reſpondet*, Apoſt. ſc: *quia Spiritaliter dijudicantur. Quid eſt Spiritaliter aliquid fieri? eſt ex ſententiâ, inſtinctu & judicio Sp. fieri. ---- ſpiritaliter res divinas cognoſcere eſt eas cognoſcere judicio, dictu, & illuminanime Sps. ſicut animaliter aliquid vel rationaliter cognoſcere, eſt ex judicio rationis cognoſcere* Imo præcipuum locum aſſignat internæ revelationi, alibi. *Ita enim*, ait, *comparati ſumus, ut licet intus per revelationem cæleſtis gratiæ doceamur, quæ ſit veritas, Chriſti nihilominus plurimum adferat roboris, ſi etiam auribus noſtris acceſſerit vox verbi Dei, idem adferens, quod intus traditum eſt per revelationem Spiritus Sancti.* Scitè admodum Hemmingius *Tolle Spiritum à verbo, & remanet mortua litera. Tolle verbum à Spiritu, non amplius remanet Spiritus Dei, ſed Sathanæ potius.* Verbum internum à Reformato defendi ſi neſcis, adi Spanhemium & diſce θεοδίδακτον demum *eſſe in cujus animo Deus verbum internum producit, præter externum, quod audiunt ab hominibus, unicè quippe neceſſarium ad ſalutarem iſtius auditionem. Hinc Chriſtus Joh.* XVII. *verba quæ dediſti mihi, dedi iis, id eſt non per ſolum externum miniſterium in eorum aures poſui, nam hoc modo verba ſua dederat etiam Phariſæis, quibus prædicaverat; ſed dedi iis per Sp meum, in eorum corda inſculpendo. atque hoc eſt verè audire Chriſtum intus do-*

Paræus ad Gal: V. p. m. 802. b

Calvin. Inſtit. L. II. Cap 12. §. 21.

Muſcul ad I. Cor. II. p. 73.

Muſcul. ad Mat. XVII p. 400.

Hemming in Rom. XI 27.

Diſp cit XX. §. 13

cen-

centem: & paulo ante, *alii*, inquit, *præter externum miniſterium intus quoque Chriſtum audiunt & in illo ac per illum docentur.* Ipſe Jeſuita Lorinus hîc veritati cedit, haud dubium inquit, *quin per ſe Joannes velit ſignificare unctionem internam, nec gratiæ quidem juſtificantis, ſed doni intellectus, quo vulnus ignorantiæ curetur, & ut Gregorius interpretatus eſt, allocutionem intimæ inſpirationis, quæ humanam mentem contingendo ſublevat.* Afflatus & inſpirationes immediatas omnes pii te docebunt. Conſcientias tracta & cum Spiritualibus, (ringant mundani, ſic vocantur ab Apoſtolo,) conſuetudinem cole, eos viſita, & diſces quæ hactenus ignoras. Jngenuè dicam, pudore me ſuffudit Socinianus Smalcius, quippe qui impuro ſuo ſcripto de Divinitate Chriſti, longè melius hoſce agnoſcit Sp. Sancti motus, quam ullibi Wolzogius, ſic ibi homo alias πνδυματόμαχος. *Accidit etiam nobis ipſis ſæpenumero ut ardentiores ad omnia pietatis officia ſimus quam aliàs ſumus: & tamen illud quomomodo vel nobis vel aliis accidat neſcimus.* De Modo quo datur Sp. S. loquitur. Quid? an nunquam immediatè te movet Spiritus, gemitus in te ciet inenarrabiles? nunquam audiſti Dominum tibi, in te, loquentem? nunquam conſolationem Spiritus de adoptione tua, de Spiritus veritate teſtimonium nunquam percepiſti, audiviſti? magiſter es in Jſraele & illa ignoras Wolzogi? imo rides & exſibilas? Judicas ſanè de eo quod neſcis. Nam niſi ipſe Spiritum ita per inſtinctum, per afflatum, in te agentem habeas, ineptus es qui judices Spirituales: & hæc jam ride, ſed noveris, Spiritum Chriſti, quem ignominia afficis, vivere. *Nemo animalis poteſt dijudicare, æſtimare & cognoſcere Spiritalem hominem, ut eſt Joh.* III. *Sp ſpirat ubi vult, & vocem ejus audis, & neſcis unde veniat aut quo vadat, ſic eſt omnis, qui natus eſt ex Sp. ſpiritalem enim eſſe, ſpiritaliter intelligere, ſpiritaliter vivere, talia ſunt, quæ non poſſunt ratio-*

Lorinus ad 1. Joh. II. 20. 27. Gregorius M.

Zanch: ad Eph. IV. P. m. 161. de duplici cognit. Chri.

Smal. de divin. Chri. Cap. 8.

Muſc. ad 1. Cor. II. p. 74.

tionis judico comprehendi, ideo illud a nemine judicatur *non eſt univerſaliter de omnibus, ſed de iis tantum accipiendum, qui non ſunt ſpiritales.* De Spiritus internâ *ſuggeſtione* dixerat Calvinus *de ſubſcriptione digito Dei in corde inſculpta* dixerat, & ſubdit, *eos ad Spiritus examen revocat, qui ſolus eſt idoneus Doctrinæ Cenſor & approbator; deum eam cordibus obſignat ut ſciamus Deum loqui.* Piorum experientiæ quotidianæ refragaris apertiſſime qui ad preces, aliaque ſæpius pietatis exercitia, excitatos ſe teſtantur, *imo Spiritus S. nonſolum juvat infirmitatem noſtram, ſed precandi formulam dictat,* ait Aretius. Jmo cuncta à Sp. petunt, expectant, quotquot ſe, niſi à Sp. agantur, Chriſti non eſſe credunt. Quantus Enthuſiaſta Bucerus hodie audiret, ſic ille ad Matth: x. 13. *pro Euangelio reſponſurus ſuis cogitationibus non nitatur, & Spiritus facundiam ad fore non dubitet: cæterum ut Spiritum orare tamen debet, ita animum ad plectrum Spiritus per eundem Spiritum formare, pia præmeditatione officii eſt. Spiritus qui loqui in nobis dignatur, idem & cogitare, & meditari ſolet.* Nec minor ipſe Calvinus, *preces excitat,* inquit, *& precum motus: ſcimus enim Sp. S. precum noſtrarum eſſe authorem & impulſorem: ac ſine illius inſtinctu, ne os quidem nobis ad Deum patere. Fides etiam eſt inſpiratio Spiritus Sancti* ex ſententia Eccleſiæ Scoticanæ Confeſſ. Art. XII. *Fidem dicimus eſſe ſanctam inſpirationem, item reſipiſcentiam, etiam omnes motus ſanctos homini ſuborientes dicimus eſſe, ſanctas inſpirationes, ait Tuiſius. Divini eſt muneris cum & recte cogitamus & pedes noſtros à falſitate tenemus,* dicebat olim Eccleſia, *& nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum.* Quorſum ſe dedunt Spiritui, quorſum illius ductum tantopere deſiderant? Spiritus reminiſcentiæ quid an non immediate agit, an non ipſam mentem noſtram attingit? *quando in periculis & tentationibus etiam ea quæ alioqui nobis ex verbo Dei ſunt no-*

[Marginal notes:]
ad 1. Joh. II. 17.
Aret. ad Rom. VIII. p. 94. Rom. VIII. 14.
Calvin. ad 3. Joh. 20 & ad 1. Sam. 1. p.m. 156.
Tuiſſus c. Corvin. p. 378. a.
Synodus Arauſicana.

notiſſima, ſæpe non occurrunt, niſi à Sp. S. ſuggerantur, verba ſunt Joh. Gerhardi. *Deus per Sp. ſublevat fideles illud ipſum eis in memoriam revocando, quod antea audivere.* Sociniano ipſo teſte, certè nimis arctè Chriſto uniti ſunt fideles, quam ut Spiritus eos nunquam immediatè, per internum afflatum nunquam tangat. *Totum Eccleſiæ corpus, ſingulaque Eccleſiæ membra à Chriſto, qui eſt caput, accipiunt vitam, motum & totum alimentum, quo augentur & incrementum capiunt: quemadmodum etiam ab eodem ſuam habent originem, ſuum eſſe, & ut ſint membra tali capiti adglutinata --- tam verè ac realiter vita ac motus, ſed ſpiritualis, alimentum ac incrementum, ſed ſpirituale, à Chriſto in nos derivantur, ſed per ejus Sp. uti etiam à capite corporis noſtri in membra fluit vita, motus & alimentum quo vivimus & adoleſcimus: ut enim hoc ſignificaret Apoſtolus, non uſus eſt ſimili corporis Politici, ſed corpois Phyſici.* Hinc juxta Sp. ambulare Hemmingio eſt juxta *motus Sp. S. vivere.* Wolzogio autem, ſimilia ſi quis diceret, næ ille Fanaticus habebitur. Taceant nunc de Spiritus diverſis & variis motibus; κριτήρια, quibus quid Spiritus, quid caro dictet, quid pro carnis, pro Sp. divini afflatu motuque quid tenendum, probari poſſit, anxiè ne inquirant, fruſtra eſt. Exorto novo lumine diſpelluntur & deteguntur hæ præſtigiæ; Fanatici ſunt qui ſic concionantur, ſic ſcribunt, qui iſta crepant Enthuſiaſtæ omnes. Infantes cogita, quibus ſemen fidei inditum & ſanctificationis; in illis etiam non continenti influxu, non immediato contactu, ſed mediatè ſemper fidei ſemen conſervat & fovet? quali afflatu, quali revelatione, quali influxu, qui in infantia in Domino moriuntur à Sp. S. preparati ſunt? Tedet me cum Reformato diſputare de re tam certa & perſpicua. Miros animorum motus, amoris incendia, gaudii ineffabilis in corda per Sp. effuſiones, cæleſtes delicias, ebrietates, oſcula quid referam?

Joh. Gerhardi Harmon. Euang. Cap. CLXXVI. p. 1352.

Smalc. de Divin. Chriſti Cap. VIII.

Zanch: ad Eph: IV. p. 141. a.

ad Rom: VIII. p. 360.

Rationes aliæ.

Cant: VIII.

1. Petr. 1. 8.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ram? quid manna occultum? quid novum nomen? fruſtra hæc omnia, modo non clarè & diſtinctè percipiantur, dum interim mundo ridicula fore, ſolis piis nota, cunctis vero ineffabilia, dudum ex Scriptura docti ſumus. Utinam hæc non tam aliunde docti & in conjectura proſpicientes, quam in nobis experti ſciamus, intelligamus! Sed regeres forſan, me elenchum ignorare, & te de iſtis Sp. S. motibus non loqui, nihil determinare, ſed tantum quid Sp. in Scripturæ intellectione præſtet explicare voluiſſe. Quod credi forſan poſſet, ni omnes immediatas operationes, omnes afflatus internos rejeciſſes abſque ulla limitatione: & quid ſi credam, nihil tamen ad te excuſandum, nam etiam in Scripturæ intellectione, Spiritus immediatè mentem tangit, ſuo afflatu; ut ex aliis audivimus jam ſupra, præterquam enim, quod menti novum habituale lumen indere, illud principium continuo influxu conſervare, ut & ad ſingulos actus novo contactu excitare debet, quò totum illud quod producitur, totus ille actus, ſit Spiritus Sancti, in genere cauſæ primæ, & hominis in genere cauſæ ſecundæ: ſicque æque iſta ſignata e. gr. *intellectio* Spiritui tribuenda erit, quam ad preces incitatio, aliique quos forſan concedere videri velles motus. At porro poſt elicitam e.g. hanc aut illam, circa certam veritatem, congruam intellectus actionem, nullam Spiritus S. ſæpe ſupervenientem ſuavem & immediatam obſignationem, qua mira certitudine, animo ulterius certioretur veritas iſta, didiciſti? claram perceptionem ejuſque conſcientiam ait Paradoxus tuus, neutram verò quomodo peragat in piis Sp. novit. Quanquam, quod ad iſtam obſignationem attinet, non ſemper æqualem & eundem agendi modum, aut gradum obſervet S. Sp. *quod enim Publicè in Scriptura S. judicat S. Sp. id ipſum privatim in cordibus fidelium confirmat, quiſquis hoc negat, Spiritum Christi* non

Polan. Syntagm. L1. Cap. XLV. p. 368. d.

non habet, ſed Spiritum hujus mundi. Sic magnus Thologus: plura alibi idem author, de Obſignatione beneficiorum Dei agens, ſic diſſerit. *Obſignatio beneficiorum Dei interna, eſt, quæ fit per teſtimonium internum in corde uniuſcujuſque verè credentis. Teſtimonium illud internum eſt geminum: unum Spiritus noſtri, alterum S. Sancti. Illud eſt conſcientia noſtra per ſanguinem Chriſti mundata quæ nobis teſtatur quod filii Dei ſimus; hoc vero eſt revelatio interna per Sp. Sanctum fidelibus facta, dum corda noſtra perfundit ineffabili quodam ſenſu &c.* En internum teſtimonium, revelationem internam, & quidem à conſcientiæ teſtimonio diverſam: Et ne minus hunc Polani locum, quia de beneficiis loquitur, quadrare putes, quia de veritatibus nobis ſermo eſt: ſcias utriuſque, hoc reſpectu, rationem, non diverſam ſed eandem eſſe, res per ſe clara eſt. Imo veritas eſt quæ obſignatur, dum credenti revelat quod filius Dei ſit: & majus quid eſt, quam ſi veritatem, in Scriptura explicitè poſitam, intus, per talem revelationem, obſignari ſtatuerem: veritas enim hæc, non niſi per conſequentiam ex ſacris haberi poteſt, ſicque non ſolum, ut primo intuitu, ſed & in quamtum per conſequentiam ex ſacris deducitur, ſuperveniente tali interna revelatione, Polano teſte, obſignatur. Annon autem ſimile etiam circa Scripturæ veritates admittat internum teſtimonium, ex ipſo Polano audire lubet, ſic ille alibi, *internum de Scriptura teſtimonium, eſt revelatio interna Spiritus Sancti, qui nos per internum afflatum ita docet in cordibus noſtris, quo efficaciter perſuadeat &c.* & paulo poſt, *omnia vera fidei dogmata à Sp. Sancto in cordibus noſtris obſignantur Joh.* xv. 13. & Papiſticum eſſe dicit, ſtatuere *hoc internum Sp. teſtimonium* (revelationem, afflatum etiam vocaverat, à quibus tantopere abhorret Wolzogen,) *ad Scripturarum cognitionem non per-*

Libr. VI. Cap. LXII.

Libr. I. Cap. XVI. pag. 59. & 60.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

pertinere, hinc eſt, quod mundani, ſapientiam ſuam ita de throno dejectam & conculcatam non ferentes, adverſus Dei ſervos ita petulanter inſurgant, dicant modo, *hoc omnes non intelligitis*, *hoc ſolum capiunt quibus datum eſt &c.* & Enthuſiaſtæ erunt: Scio quid præcedenti anno hac de re quidam antiſabbathicus cum Velthuiſio de uſu Rat. p. 138. ſcripſerit. Ridet illos, qui niſi Sp. intus doceat, revelet &c. auditores capere non poſſe, quæ proponuntur, clamitant, ſed quandoquidem ſanni & ſarcaſmi placent iſtis hominibus, bene eſt, Auguſtinus ipſis deridendum ſeſe itidem propinat, ſic enim ille, *Sonus verborum noſtrorûm aures percutit, magiſter intus eſt. Nolite putare, quemquam hominem diſcere ab homine. Admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ: ſi non ſit intus qui doceat, inanis ſit ſtrepitus noſter. Adeo fratres vultis noſſe? numquid non ſermonem iſtum omnes audiſtis? Quam mnlti hinc indocti exituri ſunt? Quantum ad me pertinet, omnibus locutus ſum: ſed quibus unctio illa intus non loquitur, quos Spiritus S. intus non docet, indocti redeunt. Magiſteria forinſecus adjutoria quædam ſunt & admonitiones. Cathedram in cælo habet, qui corda docet. De Domino dico ubi illius inſpiratio & illius unctio non eſt, forinſecus inaniter perſtrepunt verba.* Similia habet Gregorius Homil. xxx. in Euang. *Niſi idem Spiritus cordi adſit audientis, ocioſus eſt ſermo Doctoris. Non ergo docenti homini tribuat, quod ex ore docentis intelligit, quia, niſi intus ſit, qui doceat, Doctoris lingua exterius in vacuum laborat: per vocem non inſtruitur, quando mens per Sp. non ungitur.* Sic quoque Beda. hoſce rideant, Heidanum ſannis excipiant, Virum ſatis Celebrem, ſic enim ille cæleſtem ſapientiam conſiderat, *ut aut occulta nobis ſemper remanere debeat, aut immediata Spiritus revelatione acquiri.* Chriſtus diſcipulorum *aures externa voce verberans, Spiritu ſuo internas men-*

Cauſa Dei Cap. VII. L. IV.

tis

tis aures perforat; ſine quo externas aures perforare non ſolum inutile, ſed etiam noxium foret. Hinc docemur, nullam cujuſque Doctoris eſſe, ſeu notitiam rerum cæleſtium, ſeu facultatem dicendi, ſeu ſanctimoniam, ſeu denique quicquid eſt, quod in Eccleſiæ Doctore exoptari poſſit, quod non tantum nobis non proſit, ſed vel non obſit etiam, niſi dona illa Deus ſpiritu ſuo fæcundaverit & fructuoſa reddiderit. Cum enim ſervatoris Chriſti dona & ἱκανότης perfectiſſima hominibus non commodent, niſi à Spiritu S. irrigentur, & perpluantur, næ nos ipſos fallemur, ſi ab aliorum doctrina fructum & meſſem ſine Spiritus operatione præſtolemur. Sic Cartwrichtus, qui quantus fuerit Heereboordio, docet præfixa operi dedicatio. *Sine Spiritu enim arcana Spiritus quærere, nihil eſt aliud, quam ſine luce videre velle. Non mirum eſt ergo, ſi non tantum inter eos, qui extra ſepta Eccleſiæ vagantes in errore verſantur, tot reperiantur qui S. Scr. ſenſus prorſus alienos affingunt: ſed etiam ſi inter illos, qui in Eccleſiæ communione externa vivunt, & ſe profitentur verbi Dei auditores, imo & ſcrutatores, non pauci ſint, qui corticem ſæpe mordentes, ſpiritus medullam non aſſequantur,* ait Rivetus. Jam dicas Spiritum *nihil dictare, id tantum facere ut mens noſtra perſpicere ea poſſit ſine nube quæ in ipſo inſunt Scripturæ Textu,* nunc interpretationis omnem certitudinem ab uſu expectandam doce; aliquam ſi diceres, aut omnem, ſed in ſuo genere, non ita abſurdum foret; ſed nullo alio ſenſu, inconcuſſam concedis explicationis certitudinem, quam quatenus, præter id, quod uſus ſuppeditat, *à ratione confirmatur ſæpiſſime,* ab interiori Sp. afflatu diceret Calvinus. Sed Spiritui aliquid ſaltem tribuit Wolzogen: *& à Sp. corroboretur plerumque,* ſed fallitur, qui ſe jam ex Reformatorum ſenſu dictam modo obſignationem à Wolzogio conceſſam videre putat, non enim per revelationem, teſtimonium, afflatum internum, quæ ad Enthu-

Cartwr. Harmon Euang. ad Luc. XXIV. 45.

Rivet. Iſagoge ad Scr. S. Cap. XVIII. §. 3.

p. 130. & 131.

 ſiaſtas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

p. 141. ſiaſtas ablegat, hoc ejus ſenſu agit Sp. ſed *mentes noſtras ſolum ita defæcando, ut ſine ullo impedimento omnem pervidere interpretationis veritatem poſſint, hoc ſenſu inconcuſſam certitudinem admitto.* Aliud quid dixerat Polanus, aliud quiſque Orthodoxus, *à Deo,* ſic Bodius, *impoſterum ita pendeamus, ut ſenſum & apprehenſionem omnem, ut cognitionem & aſpectum omnem rerum illarum cæleſtium, omnem denique in fide, ſapientia, & alia quavis virtute ſalutari progreſſum, nec hominum induſtriæ, & in docendo ſolertiæ, nec noſtris ipſorum laboribus, ſed ejus unius efficaci gratiæ acceptum feramus, ejus arcanæ virtuti & perſuaſioni imputemus.* Conſentit Calvinus. *Virtutis ſuæ afflatu,* de Dei Sp. loquitur, *divinam nobis vitam ſic inſpirat, ut non jam agamur ipſi à nobis, ſed ejus actione & motu regamur: ut ſi quæ ſunt in nobis bona, fructus ſunt gratiæ ipſius, noſtræ vero ſine ipſo dotes, mentis ſint tenebræ cordiſque perverſitas.* Lubet adſcribere inſignem locum Bodii, quo quid Spiritui tribuatur à Reformatis graphicè depingit. *Vita Dei,* inquit, *nempe quam pii ut tales vivunt, appellatur, non quod Deum authorem habeat, quomodo vitam omnem à Deo eſſe diximus, verum potius quod à Dei præſentia gratioſa per Spiritum ſuum in nobis habitantis NB immediatè promanet; & ejus voluntati conformis ſit, per Spiritum Sanctificationis, qui eſt vitæ noſtræ vita, & animæ noſtræ anima. Sicut enim hæc vita naturalis ab animæ rationalis præſentia & unione illa perſonali cum corpore immediate promanat atque dependet, eſtque vel illud eſſe viventis, quod ex animæ cum corpore conjunctione naſcitur, vel proxima & præcipua animæ functio ſive operatio in corpore, per quam tum corpori vegetationem, motum, ſenſum, impertitur; tum in homine ratiocinatur, appetit, intelligit; atque ita omnium viventis, qua vivens eſt, actionum principium eſt; Jta etiam vita illa nova & Spiritualis, à Spiritus S. præſentia & gratioſa in nobis habitatione promanat; eſtque vel novum illud eſſe quod habemus in Chriſto Jeſu, ſimulatque ipſi per fidem inſiti ſumus, & Spiritus ipſius facti*

[Margin notes: B. odius ad Eph. I. 20. — Calvin. Inſtit. L. III. C. I. § 3. — Bodius in Epiſt. ad Eph. IV. 17. 18. 19. p. 540 b. & 541. a.]

facti participes, de quo loquitur Apoſtolus 1. *Cor.* 1. 30. *Sed ex ipſo vos eſtis in Chriſto Jeſu, qui factus eſt nobis à Deo &c. inquiens; h. e. in Chriſto J. vos novum* [eſſe] *novam vitam, novam (ut ita dicam) conditionem, exiſtentiam, naturam, una cum nova illa generatione accepiſtis. (Nam ut alias inquit idem, ſi quis eſt in Chriſto, eſt nova creatura: vetera præterierunt, ecce nova facta ſunt omnia) vel ipſa Spiritus S. in cordibus noſtris efficax operatio, qua novum ſenſum, motum, affectum in nobis producit, noſque ad novas & Spirituales actiones, Dei voluntati conformes, idoneos reddit, ita ut hac nova vita donati alia plane ſapere & ſentire, alia plane quærere & curare, alia prorſus eligere atque diligere, alius denique affici, moveri, delectari incipiamus, quam quæ nos antea capiebant atque tangebant, quamdiu vitam tantum animalem viveremus. Quilibet fidelis habet verum ac ſpirituale Urim & Thummim in pectore ſuo, nempe lucidiſſimum ardentiſſimumque modo indicatum ſummi Sacerdotis Di. N. J. C. Spiritum. Rom.* VIII. 9. 14. *Gal.* IV. 6. *quilibet etiam fidelis eſt Sacerdos, qui & conſuli & conſulere poteſt Apoc.* 1. 6. *Nimirum ardens inſtanſque precatio eſt Catholica illa Jeſu Chriſti per Urim & Thummim interrogatio cui ipſe per ineffabilem lucem invictumque motum & impulſum piorum conſulentium conſcientiæ ita reſpondet, ut de officio ſuo certi & de ſalutari eventu ſint ſecuri.* Hæc diſce Wolzogi. Neceſſe non eſt in hiſce diutius morari. Quid ex Wolzogii ſcripto objici adverſus jam diſputata queat, videamus.

Biſterfeld de Scr. Eminent. §. LXIII. N. 8.

Objectiones Wolzogii. Obj. I. p. 63.

Balduin ad 1. Cor. III. 6. Q. 1. Hutter. Loc. Com. L. XXI.

1. *Illa ratio agendi* (ſc. per afflatum quendam internum, immediatam revelationem, inſtinctum, de hiſce enim loquitur ut vidimus) *nunc nulla eſt*, hæc Theſis; audiamus rationem, *non poſſunt de illa gloriari, niſi qui Enthuſiaſtarum furore correpti inſaniunt.* Sic ſatis modeſtè, jam moderatum te & tui ſimiles credant qui velint. 1. Solennis iſta eſt Remonſtrantium, Lutheranorum, Socinianorum & Papiſtarum calumnia. Epiſcopius eouſque provehitur, ut *internum* Sp. S. *teſtimonium* de Scr. divinitate ſarcaſticè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Epiſcop. Apol. p. 126. a. Oper. Vol. 1. p. 235.

traducat. Quod an Wolzogio etiam diſpliceat ex hoc libello nullibi patet. Hoc loco autem, ſi non Epiſcopii diſcipulus, ſaltem ipſi Paradoxo non planè diſſimilis videtur, ut enim illius verbis alibi Carteſii laudes prædicat, ſic hic non mollioribus dicteriis proſcindit Reformatos. Nec ſufficit ſolum Enthuſiaſtas nominaſſe. Rem ipſam, quam culpat, Reformatorum eſſe probatum eſt, eoſque à Paradoxo ſuo tanta cum acerbitate Enthuſiaſmi ne ſemel quidem excuſat ut poſtea notabitur. 2. Jgnoras utrorumque

Anti-Tirin. T. 1. Controv. 2 p. 50.

ſenſum, *aliud enim eſt principium doctrinale & regula objectiva à fidei efficiente cauſa*, dicit Mareſius Jeſuitæ, idem tecum nobis objicienti. In illo genere nullum præter Scripturam agnoſcimus, immediatas licet hujus operationes, afflatus, inſtinctus doceamus: vide quæ antea ex Spanhemio allata ſunt. Quid ni

Whitaker Op. Tom. 1. p. 78. a.

adſcribo quæ habet Whitakerus adverſus Duræum? *Nihil ergo*, ſic ille, *opus fuit, ut tam multa hic Luthero & Calvino de novis quibuſdam Enthuſiaſmis objiceres, in quo quis non videt à quo hoc Sp. profectum ſit? Deum precor ut hanc tibi blaſphemiam ignoſcat. Joh.* XIV. 26. 1. *Joh.* II. 20. 27. 1. *Cor.* II. 14. 10. *Jeſ.* LI. 16. *ex his per ſpicuum eſt, eundem Sp. qui in prophetis atque Apoſtolis locutus eſt, in noſtris etiam mentibus hanc Dei vocem obſignare.*

Obj 2. p. 63.

2. Actum tum de Scr. de interpretandi labore & mediis eſſet. *nam eo delabi iſtam ſententiam neceſſe putas, ut poſt habitis omnibus iis quæ vel leges interpretandi orationem, vel res ipſas examinans ratio afferre poſſent luminis ad impetrandam aſſenſionem, Spiritus credatur oraculo quodam pronunciare &c.*

In Fanaticorum ſomnia hæc quadrant, non ea quæ à te, ac ſi talia eſſent, rejecta vidimus: eſt enim immediata operatio, eſt inſpiratio interna, quam etſi tu omnem rejicis, hiſce opponendam non eſſe certum eſt. *Nos enim non ſeparamus Sp. S. à Scriptura*, mediiſque

eam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

eam interpretandi, *non opponimus, ſed ſubordinamus. Principaliter à Sp. S. fluit cognitio, judicium. Organicè à Scriptura*, verba ſunt Joh. Crocii. *mutuo enim quodam nexu Dominus verbi Spirituſque ſui certitudinem inter ſe copulavit: ut ſolida verbi religio animis noſtris inſideat, ubi affulget Sp. qui nos illic Dei faciem contemplari faciat: ut viciſſim nullo hallucinationis timore Spiritum amplexemur, ubi illum in ſua imagine, hoc eſt in verbo recognoſcimus, -- eundem Sp. cujus virtute verbum adminiſtraverat, ſubmiſit, qui ſuum opus efficaci verbi confirmatione abſolveret, in hunc modum Chriſtus Diſcipulis duobus ſenſum aperiebat: non ut abjectis Scripturis per ſe ſaperent: ſed ut Scripturas intelligerent. Spiritum non extinguendum monet Paulus, ſed & non ſpernendas Prophetias:* hanc conciliationem longe amiciſſimam dum non percipis, rejicis, & opponis ſubordinanda. Helvetiorum confeſſio tibi os obturet ita ſophiſticanti. *Neque arbitramur*, ſic Viri Cordatiſſimi, *prædicationem illam externam tanquam inutilem ideo videri, quoniam pendeat inſtitutio veræ religionis ab interna Spiritus illuminatione. Qui enim intus illuminat idem dixit prædicate &c.* Peccatur, ait Spanhemius, elencho oppoſitorum, *nec enim inſpirationes internæ opponendæ ſunt Scripturæ S. & inſtitutioni quæ ex ea habetur, ſed componendæ cum ea*. Imo, ut dicam quod res eſt, ipſe Enthuſiaſtarum, ſic argumentando, præmis veſtigia, illi enim ex interna revelatione adverſus externam, à Sp. adverſus Scripturam argumentari ſolent, quod tu, lucem objectivam à ſubjectiva, revelationem internam ab externa diſcriminare & inter ſe utramque componere neſcius, imitaris. Putas tu pios, quibus de interno afflatu coram Deo ſæpe modeſtè gloriandi datur occaſio, putas tu illos Scripturam ſpernere, interpretandi laborem ſuſque deque habere? minimè: illi enim, poſtquam guſtarunt, maximè deſiderant. Profecto quæ hominem interiorem concernunt

Joh. Crocius. c. Weigel. parte I. Cap. I. Q. I.

Calvin. Inſtitut. L. I. Cap. IX. §. 3.

De Enthuſiaſmo. Diſp. XX. §. 17.

I. Petr. II. 2. 3. Joh. IV.

nunt, hoc ſeculo multi ignorant, & interim contemnunt, rident & deteſtantur. Utinam guſtarent manna illud abſconditum illi, de quibus merito cum Camerone dici poteſt: *quod miſeri ſint homines qui aliorum ſenſum ex ſuo ipſorum ingenio metiuntur; vel enim (ſi quis eorum vitam paulò attentius conſideret) homines ſunt omnibus cooperti probris, vel boni quidem viri, ſi eorum mores ad juſtitiæ externæ & civilis normam exigantur, cæterum vim iſtam Spiritus nec ſenſerunt unquam, nec vero cupiunt perſentiſcere; imò vero ſubſannant & irrident eos qui ſe eam ſenſiſſe profitentur. Tu quidem ſic, ego (inquiunt) aliter ſentio. Nempe hoc illud eſt, ſi Euangelium noſtrum tectum eſt, tectum eſt iis qui pereunt. &c.* 2. *Cor.* IV. 3

Camero Prælect. ad Phil. II. 12. 13. Op. p. 344. 6.

Obj. 3. p. 62. p. 60. p. 58. p. 59.

3. Obtendi poteſt, Immediatam revelationem in multis Apoſtolis neceſſariam fuiſſe, *veritates enim multas non potuerunt certas credere, niſi teſtimonio nixi Sp. extraordinario: illa ſingularia Spiritus edocuit Apoſtolos ſine ullis Scripturis, quæ nullis adhuc Scripturis continebantur; immediata autem revelatio nunc nulla eſt. Hæc quæ virtute immediata mentes afficit, eſt extraordinaria nec omnibus fidelibus aut omni tempore conceſſa.* Reſp. 1. quid hoc ſibi velit, quid non in omnibus, ſed in *multis* ſaltem, extraordinariam infallibilemque Sp. operationem attribuat Apoſtolis, vidimus priori libro. 2. Notandum hæc eadem ſic fere Heidano oppoſita ab Epiſcopio, ita ut, ſi unquam Belgicum ſcriptum ſua lectione Wolzogius dignatus fuerit, videritque hoc Epiſcopii, ex eo deſumta videri iſta poſſint. Sic Epiſcopius, *revelationem Sp Apoſtolis factam, iiſque omnibus, quos in initio, ad Euangelium Judæis & gentibus prædicandum, immediatè vocabat, reſpiciunt verba Apoſtoli* 1. *Cor.* II. 6, 7, 8, 9, 10 *&c. Jllam autem revelationem, iis factam, immediatam fuiſſe nemo dubitat -- primi annunciatores futuri cum eſſent - ſed ſimilem ſingulis fidelibus*

Antw. op de Proeve van Heid. p. 196.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

obtingere abſurdè concluditur. Simili autem aut potius eidem nodo ut eundem adhibeam cuneum, tranſcribam quæ Heidanus Epiſcopio & ſimul noſtro Wolzogio, ſolidè & doctè repoſuit. Belgicum nitorem verſio mea non exprimet, rem ipſam quamvis & dicta fideliter. *Hæc quidem eſt*, ait, *Socinianorum quorundam in iſta verba commentatio, ſed nulli rationi innixa, & ab Apoſtoli ſcopo tota diſcrepans, nam ſapientia quæ non eſt hujus mundi, nec Primatum hujus mundi, quam plerique Ethnicorum Philoſophi, ſummique Judæorum Scribæ & magiſtri, quamvis ab Apoſtolis ipſis propoſitam & externè revelatam, non potuerunt capere, ſed ut ſcandalum deteſtati ſunt & ut ſtultitiam rejeceruut: non ſolis Apoſtolis, ſed & cunctis credituris interna Sp. revelatione innoteſcere neceſſe eſt: ſicuti enim ut percipiatur & recipiatur hujus mundi ſapientia, mundi accepiſſe Spiritum ſatis eſt: ita Spiritu, qui ex Deo eſt, vers.* 12. *ad talis ſupernaturalis cognitionis egemus receptionem, aliud eſt humanam ſapientiam doctum, θεοδίδακτον autem eſſe, aliud eſt.* Cauſa Dei libr. IV. cap. VII. p. 510--520.

Sapientia Dei quæ in myſterio eſt, quæ occulta eſt, quam nemo Principum hujus ſeculi cognovit, à nemine ſola revelatione cognoſci poteſt, ſed ad eam interna Sp. revelatio neceſſaria eſt. Quid an illa ſapientia ſolummodo Apoſtolis myſterium occultum eſt, piis autem reliquis non item? imo multo magis. Myſterium Dei & quidem occultum, non niſi à Deo detegi poteſt aut revelari: idque Deus non aliter, quam per ſuum perficit Spiritum.

Hinc eſt quod Judæis in lectione V. pacti non retectum maneat velamen: quod tam diu durare neceſſe eſt, donec, poſtquam ſe ad Deum converterint, ab iis velamen illud tollatur. Hoc autem, quî aliter quam per Spiritum fit? Dominus jam eſt Spiritus: qui Spiritu illo donatus, eum ſolus diſpenſat & dat cui & quando & quantum lubet: & ubi Sp. Domini eſt ibi libertas. Hæc Sapientia igitur, occulta Judæis, non quod V. T. non legant, induſtriâ enim quam in eo ponunt, pudori Chriſtianis ſint oportet: ſed quia Dominum

minum non habent illum, qui Spiritum largitur ſolus, liberamque, qua Regni Cœlorum Myſteria intelligant, mentem. 2 Cor. iij. 14, 15, 16, 17. *Hinc Chriſtus* Matt. xi. 11. *vobis datum eſt noſſe Myſteria Regni Cœlorum, illis vero non eſt datum. Quemadmodum & Patri gratias agebat* Matth. xi. 25. *Gloriam tibi do Pater Domine cœli & terræ, quod hæc occultaveris à ſapientibus & intelligentibus: & ea retexeris infantibus. quod autem, quî ſic? quia Filius, qui Patrem ſolus novit, & cui omnia à Patre ſunt tradita, etiam per Sp. id ipſis revelare non voluit.*

„Talem etiam hanc nobis ſapientiam deſcribit Apoſto-„lus, ut, niſi immediatè nobis per Spiritum reveletur, „nullum aliud ulli homini medium, quo ad hanc cognitio-„nem pertingat, ſuperſit. Quod nemo Principum hujus ſeculi cognovit; quodque oculus non vidit, nec in mentem hominis venit unquam, („ quæ præter, nullæ aliæ viæ, „quibus ad cognitionem, naturali modo, perveniamus) „illud aut occultum nobis ſemper remanere debet aut im-„mediata Spiritus revelatione acquiri.

Ideo Apoſtolus verſu 10. *Nobis autem Deus ea retexit per Spiritum ſuum. Idque ſequente ratione confirmatur. Quod enim nemo novit, aut noviſſe poteſt, niſi Dei Spiritus, id nemo vel revelat vel revelare poteſt, præterquam Dei Spiritus. Sed hanc in Myſterio occultam Dei ſapientiam, nemo novit niſi Sp. Dei, qui omnia ſcrutatur etiam profunditates Dei. Quis enim hominum novit ea quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui eſt in eo? ita etiam quæ ſunt Dei nemo novit, niſi Spiritus Dei. verſ.* 11. *vel an hæc, poſtquam Apoſtolis revelata ſunt, jam non ſunt profunditates Dei, ut quiſquam ea noviſſe præter Spiritum Dei poſſit? Quæ autem iſta ſunt quæ revelat Spiritus? ſuntne talia quæ Apoſtolis quidem, Chriſtianis vero reliquis non item, ſint neceſſaria? eſt autem ſapientia illorum quæ præfinierat Deus ante ſecula, ad noſtram gloriam antequam Mundus erat. verſ.* 7. *quæ paravit Deus iis à quibus diligitur verſ.* 9. *quæ Deus nobis gratificatus eſt· verſ.* 12. *Illis autem cunctis Spiritus revelatio competit, quibus iſta quæ revelantur competunt. Ea vero non ſolos Apoſto-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Apoſtolos, ſed & omnes fideles reſpiciunt. Vel an homo ille ſpiritualis, qui omnia benè diſcernit, dijudicat, à nemine autem judicatur, ſint ſoli Apoſtoli, & non unuſquiſque fidelium, & quidem in quantum, naturali homini, qui non percipit ea quæ ſunt Sp. Dei, quia ipſi ſtultitia ſunt, neque ea poteſt percipere, quia ſpiritualiter dijudicantur, opponitur? Spiritualis homo qui omnia diſcernit & dijudicat, is eſt qui Sp. revelationem adeptus eſt. Omnes autem regeniti & fideles ſunt iſte homo ſpiritualis. Ergo omnes revelationem illam Spiritus acceperant: non ſoli Apoſtoli. Optimè *Paulus* 1 *Cor. xij.* 3. *neminem poſſe dicere Jeſum Dominum, niſi per Sp. Sanctum.*

Quænam vero ratio reſtat, quapropter hæc immediata revelatio Sp. Apoſtolis, ut ſciant ea quæ Dei ſunt, & ſapientiam illam in Myſterio occultam, neceſſaria ſit, præ reliquis fidelibus? etenim Chriſtus cum Apoſtolis ſuis & Diſcipulis verſans, viva voce eos quæ ad ſalutem neceſſaria alios docerent, docuit. Quid loquebantur Apoſtoli præter id quod audiverant, quod viderant oculi ipſorum, quod ſpectaverant & manus ipſorum contrectaverant de Sermone illo vitæ? 1 *Joh* 1. 1. *Spiritus autem immediata revelatio, ut aliis, quæ de verbo vitæ audiverant & viderant, prædicarent, dum requirebatur: quid ni æque ea neceſſaria iis, qui ea ex illis audiebant? vel an Apoſtolis magis neceſſaria erat revelatio, ut intelligerent, quæ ipſis à Chriſto dicebantur, quam fidelibus, ut ab Apoſtolis prædicata perciperent? Si immediatè à Spiritu S. doceri debuerint Apoſtoli, quæ poſtea Eccleſiis tradiderunt: ſequitur aut omnia viva voce non docuiſſe Chriſtum, aut, niſi interna accedente illuminatione Sp. S. externam non ſufficere traditionem.*

Hanc ob cauſam Euangelium miniſterium Spiritus dicitur 2 *Cor:* iij. *non quod propterea, ut vellet Epiſcopius, alia interna revelatio non requiratur, contrarium patet in Lydia Joh.* vi. 44, 45, *&c. & deinde quid ſi intellectionem inde acquiri poſſe largiremur, internam tamen requireret revelationem ulterior applicatio. Sed quod ei Spiritus dum fidelibus aut electis vocationis momento & deinceps diſpenſatur, comitetur &c. quia Spiritum dare voluit,*

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

non ſub legis diſpenſatione, nec Philoſophiæ, aut alterius cujuſcunque verbi, ſed Euangelii &c. & tandem iſtud
2.Cor. *caput concludens ſic finit. Epiſtolam Chriſti eſſe, non atra-*
III 2,3. *mento inſcriptam ſed Spiritu Dei vivi, in tabulis carneis cordis, non eſt verbi effectus, quia Apoſtolis inſpirati. Rurſus voluntatis Dei in carneis cordis noſtri tabulis inſcriptio* NB *eſt interna & immediata Sp. S. operatio: ſed Epiſtolam Chriſti eſſe, eſt inſcriptio voluntatis Dei, in carneis cordum tabulis. Ergo Epiſtolam eſſe eſt effectum internæ & immediatæ operationis Sp. Sancti.* Sic jam adverſus Epiſcopium ſimul & adverſus Wolzogium vindicatas
p.58. vide *immediatas Spiritus operationes;* eaſque, impru-
p.59. denter licet negante Wolzogio, *omnibus fidelibus &* quidem *omni tempore conceſſas* non ſolùm, ſed & ita neceſſarias, ut ſine iis Epiſtola Chriſti eſſe nequeant. Nec ſolis, ut putat, Apoſtolis, ſed æque omnibus neceſſarias; ad inaudita enim prædicanda Myſteria non magis, quam ad millies audita intelligenda, percipienda ritè, requiri internam, immediatam revelationem, à Veterano nunc docetur Theologo, omnem evadendi rimam, Pelagianis olim, tam feliciter præcludenti, quam ſolidè. Ride nunc & rejice *internam immediatam revelationem* & ſi id honori ducas, Epiſcopio ſimilem dicam Wolzogium, utrumque ab Heidano profligatum, conculcatum: ſin minus, te ipſe explica nunc irretitum, & deſine te turpi prædicatione omnes perſpicuitate ſuperantem gloriari, qui confusè concepiſti & ſcribſiſti aut Heterodoxè, en probaturum me id ulterius ſi neceſſe ſit, offero lubens & intrepidus Nihil enim tanto hiatu dignum poſtquam præſtitiſti, terribilis eſſe deſiiſti. Ignoſce lector ſi omnium noſtrorum Theologorum vituperium minus tolerem, veneratio tantorum virorum me tenet. At inſtas & dicis, immediatè ſi ageret, deberet *per modum novi teſtimonii vel argumen-*
p.58. *ti ſe inſinuare.* Verum ſi teſtis ſit teſtimonium dicere

pro-

proculdubio id agit Dei Spiritus, quid? dicitur teſtari Rom: VIII. & de veritate teſtari: ſed non, ais, *per novum teſtimonium*: vel putas novum, hoc eſt, quod novam vel diverſam à revelatâ in Sacris veritatem profert, vel quod eandem novo confirmat, illuſtratque teſtimonio, mente aliquando de Scriptura ne quidem cogitante. Obſcurè ſatis, ſed expediam, illud ſi intelligi à Lectore velis, omnem immediatam revelationem, afflatum, non debueras dixiſſe; hoc vero nega & Heterodoxus es.

2. *Afflatus*, *vox interna* & quæ de iis habes, nihil faciunt ad rem: diſtinguimus in ordinariam & extraordinariam; nam cum Spiritus à ſpirando, à flando dicatur, quis ſpirituales, qui Spiritu ducuntur 1 Cor: II. Rom. VIII. inſpirationes, afflatus perſentiſcere ordinariò, negabit, niſi qui eos à Spiritu duci, regi ordinariò negaverit?

3. Non credis autem ſed rides, *quod Spiritus oraculo credatur quodam pronunciare, ita hæc verba intelligenda &c.* ſed ride quantum lubet; imò Spiritus hoc dictat, Spiritus hoc *immediate* dictat & niſi tibi immediate id dictet, carnalis es, nunquam vel unicam veritatem ritè vides, ſicuti immediatè, hoc eſt, actione ad ipſam uſque mentem pertendente, efficaciter non excitatus, nunquam boni quid præſtabis. Imo *immediatè*, nec tamen abſque medio, omni reſpectu, ſed morali ſed inſtrumentali, cauſa principali, medium (ut ita loquar) penetrante & ſic hyperphyſica vi ad ipſam mentem pertendente. Nec eſt quod Oraculi vox, nobis piaculum ſit, audiunt certè, ſi ita vis, Dei, non idolorum oracula Chriſti oves, interne, immediatè, audiunt & externè: & tandem quid ſi & in ipſis ſomniis obtingere, etiam poſt Apoſtolorum longè tempora, inſpirationes, afflatus, piis poſſe, quid ſi quotidie id evenire dixerint Theologi? In explicatione Decimi præcepti inſomniis etiam peccari

p.63.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

cari probatur, quid ni ex principio illo ſupernaturali etiam de nocte & in ſomniis optimæ cogitationes, inſpirationeſque, hoc agente Spiritu, ſuboriri queant? Practicos conſule & videbis non fruſtra hæc dici. Ego, ut inclinationes peccaminoſas, præſertim quæ peccata in deliciis vocant, ſic & ſpiritualis internique hominis magìs aut minùs vividum in his aut illis ſtatum hinc dignoſci ſæpe poſſe nullus dubito.
Cant. v. 1. Hoc etiam ſenſu aliquando pia anima, ſponſa Chriſti, dormit animo interim vigilante. Pios roga quanti faciant γνωρίσματα diſpoſitionis tam naturalis quam ſpiritualis, quæ inde deſumere ſe poſſe ſciunt: peccaminoſa ſomnia, (ut viſcidi humores talis unde prodeunt, fundi) cordis indices ſæpe ſunt: ſic è contra gaudere ſolent pii, quando evigilantes & quæ vel ſomniarunt examinantes, bonorum motuum copiam in corde ſuo fuiſſe vident. Quid ni & ſic Davidem renes docuerunt? non decet autem Paſtores illius incertos eſſe, quod piis omnibus, quotquot aliquo vitæ Spiritualis majori tanguntur ſenſu, expertum eſt, tam ſæpe tam certò. Applica huc Analogicè quæ alibi de ſomnio Zuinglii Spanhemius, qui extraordinariam in eo ſuggeſtionem agnoſcens, nihil minùs tamen quam Enthuſiaſtis favet, refutat eos ſolidè & perſpicue vir ſummus. Ex inſpiratione extraordinaria, immediata, probari putabant ſuos Enthuſiaſmos, ſic autem reſpondet Spanhemius. I. *Peccari falſa ſuppoſitione, omnes inſpirationes extraordinarias à nobis damnari. At* NB *nemo verè pius eſt, qui tales non perſentiſcat ſæpe in corde ſuo.* Scrutemur jam coram Domino, excutiamus nos Wolzogi, II. *Peccatur elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον *& partium. Bona fuit ſuggeſtio extraordinaria loci Exod: xij. quæ obtigit Zuinglio in ſomno: Ergo inſpirationes, quas jactant Enthuſiaſtæ, ſunt vel bonæ vel licitæ. Ratio diſparitatis eſt,* NB *quia nec novum Dogma Zuinglio ſuggeſtum fuit,*

ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſed probatio dogmatis jam ab ipſo traditi & propugnati ex Scriptura. Enthuſiaſtæ verò & nova dogmata tradunt, & extra Scripturam ſibi credi volunt. Somnium iſtud Zuinglii θεόπεμπτον *fuiſſe patet, & ex occaſione, & ex materia ſuggeſta, & ex ſancta ejus applicatione ad dogma veriſſimum adſtruendum.*

Superpondium ſi velit, Walæus & plures optimæ notæ Theologi, nullam rationem eſſe putant, etiam omnes extraordinarias de rerum eventibus Propheticas revelationes negandi, è contrà, ſalva modo & intacta ſi maneat, quam ex Scriptura habemus, fidei morumque doctrina, illi nihil addatur, nihil detrahatur; *quod ad particularia facta, aut eventus futuros attinet*, ſic loquitur, *non velimus planè negare, quin tale quid quibuſdam poſt Apoſtolorum tempora contigerit, aut adhuc contingere poſſit: nam multarum prædictionum complementum videtur id confirmare, & nullus quod ſciam Scripturæ locus in contrarium produci poteſt.* Idem alibi Spanheim. Tantum abeſt ut immediatas omnes Spiritus operationes, revelationes negaverit Reformatorum Schola. Walæus Loc. Com. Loc. 1. p. 120.a.

4. Nec ſic victas dabit manus, imo facile ſe evaſurum fortaſſis cogitabit, modo excipiat, nihil tamen noſtris magìs familiare eſſe & tritum, quam negare, quas & ille negat, immediatas revelationes. Obj 4. Reſp. probationem non peto; jam dudum Heidanum & alios vidi immediatas revelationes afflatus &c communes negare ſimul & ponere, cum negant Verbo uſum inſtrumentalem, normalem vindicant & tales immediatas negant inſpirationes, quarum veritates, non ex Sacris petitæ & primùm doctæ, nec cum iis conſentientes, quarum modus & conditio non congruit iis, qnæ de Sp. operatione norma iſta tradit & amuſſis. Concedunt autem & ponunt dari immediatas inſpirationes & revelationes non ſolum, ſed & abſolutè neceſſarias eſſe, ut jam paulo ante vidimus, tum ob

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ob ſubjecti conditionem, tum, ne inſtrumento morali verbo tranſcribatur quod efficienti principali Spiritui vindicandum, tum, ne Spiritus in ſuis operationibus quicquam præjudicii patiatur. Maneat dictatorum modique dictandi norma S. Scriptura. Quæ autem poſterioris ſunt generis, tu aut negas, aut intelligi non potes. *Omnem* dixiſti: hoc viſus es velle, operationem Spiritus non afficere niſi mediatè ipſam mentem, quod, hoc ſenſu, totum reponit Pelagianiſmum. Per medium operatur, ita tamen ut ipſe Sp. intellectu (novo nunc vitæ Spiritualis principio informato, elevato,) immediatè, hyperphyſice & irreſiſtibiliter, ipſa illa penetret præcordia, & penetralia ſuis vibret radiis, idque in prima mentis illuminatione non ſolum, ſed & in ſingulis regeniti intellectus actibus; Præter *lucem objectivam*, diſtinctio eſt Spanhemii, requiritur *lux ſubjectiva*, ut in prima novæ vitæ infuſione, ſic in ſingulis ejus, circa veritates revelatas, actibus ſpiritualibus. Nec aliter eſſe poteſt, quin tota de Providentiâ, gratiâ & concurſu Theologia deſtruatur: cui adde, quod Spiritus mentem jam ita diſpoſitam ſæpius immediatè, & quidem de verbo aut ullo medio nihil cogitantem (hæc ſoluta, libera actio quid ni, contra id, quod tu p. 58. dici poteſt?) attingat, moveat, afflet tam quoad intellectum, quam quoad voluntatem &c. imo tota vita Spiritualis & quilibet ejus motus aliquod, licet interveniente medio externo, immediatum Spiritus attactum requirit, afflatum, operationem, inſpirationem: *nam omnes motus ſanctos, homini ſuborientes, dicimus eſſe ſanctas inſpirationes.* Quid de hiſce ſentias, ſi Orthodoxus ſis, eloquere ut intelligi queas, nec enim te gravare ultra culpam velim, publicè potius Palinodiam canerem, ſed juxta ſcriptum illud tuum judico: de eo enim jam quæſtio eſt, an verum, an tam perſpicue verum dicat.

Tuiſſus loco ante citato.

5. Quin-

5. Quintum quod pro Wolzogio facere videtur & multis in ore eſt argumentum, habet p. 63. quod *ſemel hac via aperta, præterquam quod res ipſa non patiatur hanc inſaniam, jam actum ſit de religione, nec ullam habituri ſimus aliam, quam quæ libidine malitioſorum hominum, vel melancholicorum imaginatione fuerit obtruſa. Pronum eſt enim cuique Spiritum crepare, nec quiſquam poteſt ulla oratione obſtinatum confutare.* Quo ruis Wolzogi? quibuſcum tibi res ſit ſcire aveo, modò ipſe ſcias. Enthuſiaſtas petis, ſed an non de Interpretatione Scripturæ agis & quidem cum iis, qui ejus Interpretationem quærunt? eorum autem neminem novi, qui tam periculosè de Spiritu ſentiat, ut inde tanta rerum confuſio metuenda ſit; Enthuſiaſtæ Scripturam ſpernunt, ubi ipſis obeſſe videtur rident, de Interpretatione non multum laborant, Scripturam enim Alphabetariis committentes, hanc vitæ fideique normam non ſic agnoſcunt. Tu autem adverſus illos diſputas, qui tecum, de Scripturarum Interpretatione anxii, hanc regulam admittunt, quo facto impoſſibile eſt ut eo eatur, ut tota vertatur religionis facies. *Quod autem pronum ſit unicuique Sp. crepare.* ad id Reſpondeo 1. idem eſſe quod omnes veritatis adverſarii in hoc negotio objicere ſolent, ut ad objectionem primam notatum eſt, 2. Quod eadem difficultas ſit in iſta Philoſophiæ tuæ Regula, pronum eſt enim unicuique, claram crepare & diſtinctam perceptionem, quis enim Philoſophorum, ſibi idem, quod Carteſius, non imaginatus eſt? arroganter quamvis ſatis, ſuam certitudinem, imo omnis erroris evitandi potentiam jactet: non putem tamen omnes ab ipſo immodeſtia ſuperari, ſed eadem qua ille ſuperbia repletos fere fuiſſe. Non minus certus ſibi viſus eſt & tutus Ariſtoteles, quam Carteſius. Hic clare & diſtinctè ſua percipit, idem & dicet prior: nonne igitur eadem hic tuæ Philoſophiæ

[Margin: Object. 5 — p 63. — Cartes 1 Princip.]

objici poſſent? cogitas autem fortaſſis, rationis normâ adhibita, litem iſtam finiri poſſe, modo homines, quibuſcum rem habeo, rationem non exuant; optime, ſed an hic non agis cum iis quos præſupponis Scripturam ut normam recipere: cur hic iſtas, quas nectis, non ſolvis tricas ut in tua Philoſophia, ſic & in Theologia? utroſque ad normale ſuum mittens principium. 3, Scriptura, quippe Deus ſeducentes Spiritus exorituros noverat, nobis media ſuppeditavit, quibus fit ut fruſtra id crepent omnes, qui non verè Spiritum intus habent, prædixit enim non ſolum venturos tales Spiritus, ſed & ſeſe ut normam unicam fidei & morum commendavit, & unicuique Spiri-
1. Theſſ. tui non credere, ſed probare juſſit omnes; regulam
v. inſuper, ad quam omnia cujuſcunque Sp. dictamina,
1. Joh & operandi modus, tutò exigi poſſit, ſuppeditans.
IV. 1. Nec iſta nihili ſunt, etiamſi forſan de Scripturæ Interprete nondum conſtare & proinde Sp. ad eam exigi nondum poſſe dixeris. Vel enim, cum quo res eſt, Scripturam ut divinitùs nobis datum Canonem agnoſcit, vel rejicit: ſi iſtud, alio plane modo cum ipſo agendum, Scriptura enim donec ab ipſo admittatur, fruſtra de ejus Interprete diſputas, adverſario de eo nullo modo ſollicito; ſi autem illud, jam cogitur, quod ambo præſupponimus, fateri Scripturam intelligibiliter nec contradictoriè ſcriptam eſſe & quidem hominibus. Dicat jam Spiritum ſuum Interpretem eſſe, facilè talis retundetur ſuperbia, ni contradictoriam & Barbaram, id eſt non intelligibilem, faciat Scr. quod foret contra hypotheſin. Sed loquantur Venerandi ſenes, qui pro ſapienti & ſpirituali ſua perſpicacia hanc viderunt, & ſuſtulerunt difficultatem. Unus pro omnibus erit Calvinus, ſic loquitur Vir Dei. *Ergo cum Dei nomen obtendunt Spiritus fallaces, ex Scripturis inquirere convenit, an res ita habeat. Modo pium a nobis ſtudium adhibeatur cum humilitate & modeſtia,*

aderit

aderit Spiritus diſcretionis, qui ſeipſum in Scripturis loquentem, tanquam fidus interpres, exponat. Adſcribam quædam huic facem accendentia, quæ habet ibidem ad verſum. 1. *Qui reſpondent, verbum Dei regulam eſſe ad quam exigi oporteat quicquid in medium proferunt homines, neque illi nihil dicunt, neque totum. Concedo probandas eſſe verbo Dei doctrinas: verum niſi adſit Spiritus prudentiæ, nihil aut parum proderit verbum Dei habere ad manum, cujus interpretatio nobis non conſtabit. Quemadmodum, exempli gratia, aurum igne aut lydio lapide probatur: ſed ab iis qui artem tenent. Nam imperitis, nec lapis Lydius, neque ignis uſui eſſe poterit. Ergo ut ſimus idonei judices neceſſe eſt nos Spiritu diſcretionis donari & dirigi.* Quod ad eos qui Sp. Sancto aguntur *ii poſſunt Dei vocem agnoſcere*, ait Whitakerus, *ut quis amicum quicum familiariſſime & diutiſſimè vixerit ex voce ſolet agnoſcere. Nulli enim notior eſt amici quantumvis chariſſimi ac familiariſſimi ſermo, quam Dei eſt ſanctis ſervis ſuis, quibus familiariſſime utitur, quoſque pro amicis ſuis habet. -- Quibus hæc peregrina vox eſt aut incognita, eorum non ſunt illuminatæ mentes à Spiritu, quibuſcunque ineſt,* ait Polanus, *iis certum & notum eſſe poteſt, ſi & divinitus afficiat eos intus in cordibus ipſorum & divinis teſtimoniis externis, id eſt, Scr. S. conſentiat.* Eodemque modo & aliis, hunc aut illum Spiritum habere, innoteſcere poſſe docet. *Unde ſe mutuo agnoſcunt veri Diſcipuli Chriſti, unde alii de aliis colligunt quod Spiritu S. ſint illuminati, quod ab illo gratioſè regantur, inde etiam teſtimonium illud internum aliis innoteſcit.* Ut autem videas & objectam eſſe noſtris ſæpe, & ſolutam difficultatem, quam moves, Amyraldum audiamus, hæc accuratiſſime expedientem. *Ideone* inquit *quia obſtinata & cedere neſcia ingenia ex opinione ſemel conceptâ nulla ratione deduci poſſunt, ſequetur inter eos & verè ſapientes, qui ratione freti permanent immoti in propoſito,*

Calvin. ad 1. Joh. IV. 6.

Whitaker. Op. Tom. 2. p. 167.

Polan. Synt. L. 1. Cap. XVI.

Amyrald. Theſes Salmur. Tom. I.

nullum diſcrimen intereſſe? Non idcirco ſapiens ſe ratione duci certo ſentiet, quia capitones illi, ſuas etiam ſe rationes habere arbitrantur? & alibi. *Nec tamen hic deficimur, Scriptura etenim illa deſcripſit accuratiſſimè vim Spiritus, qui doctrinæ ac veritatis interventu in cordibus humanis operatur. Si quis igitur eſt qui vim eam perſentiſcat (perſentiſcunt autem omnes verè Chriſtiani) abſolutiſſima quadam conformitate cum Scriptura congruentem (nam quod in aliis languidior & remiſſior Paulo, in aliis vividior apparet, conformitatis veluti ductus & lineamenta haud abolet) eſtne qui dubitare poſſit eundem illum eſſe Doctorem qui mentem intus aperit, & docet extrinſecus?* Si Tenebrioni, multum de inexplicabili hujus Spiritus, harum operationum natura & modo, aliquid regerendum putat Wolzogius: Sciat Manna iſtud abſconditum eſſe, & ne in mentem quidem veniſſe homini. Naturalis autem, quod cæcutiens hic multa garriat, mirum non eſt. Nec facile cæcum inſtrues de coloribus. Et quid ſi ipſe, qui eo Spiritu donatus eſt, explicare id minime queat, quid ſit & quomodo operetur? Eſt tamen quod etiam pro minimis Chriſti Diſcipulis, hæc ſentientibus quidem, explicare tamen non valentibus, reponi poteſt. Egregie hac de re idem Amyraldus: fateor, quod in anteceſſum removeri debet, illum, de illa operatione Sp. qua de Scripturæ divinitate ut mens perſuadeatur opus eſt, loqui; verum & in reliquis, de quibus diſputari poſſet, eadem ratio eſt, ab inexplicabilitate ſi probationem quis velit deſumere; quapropter huc optime quadrant, quæ hunc in modum diſſerit Vir Doctiſſimus.

§. XXXIII XXXIV. & XXXVI. *Sane ſi reſpiciamus ad ſubjectum & conſtitutionem ipſius facultatis, proportione multo minus eſt hominum qui poſſint ea ponere dilucidè, quibus argumentis commoti credant ſe eſſe ratione præditos, ſeſeque mente complecti quæ cum ratione conſentanea ſunt, quam qui poſſint inter verè Chriſtianos fidei ſuæ rationes dicendo explanare. Ideone*

ergo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ergo deſtituti ſunt à ratione & inter beſtias relegandi? ideone mente non utuntur ad vitæ munia obeunda? ideone minus boni cives ſunt aut quod boni ſunt minus eſt bonæ eorum menti rectæque rationi imputandum? haud magis meritò ſanè quam ſi quis idcirco peſſima valetudine uti dicatur, quia neſcit enucleare diſertè, poſitane ſit ratio bonæ valetudinis in exquiſita humorum corporis temperie, an omnino ſit ulla humorum in corpore temperies. Quemadmodum igitur uſus bonæ valetudinis ſatis eſt ad vita ſuaviter fruendum & ejus muneribus rite fungendum: quod ſupra eſt, pertinet ad Phyſicorum & Medicorum accuratiorem diſciplinam. Sunt ergo cum in animo tum in corpore plurimæ ſeu facultates, ſeu facultatum conſtitutiones, quarum uſus eſſe poteſt expeditiſſimus atque valentiſſimus, tametſi quæ ſit earum natura, qui motus & agendi ratio, plane qui iis feliciſſimè utuntur, verbis declarare non poſſit, -- imo ita, de qua loquitur Scripturæ ſpiritualis cognitio, etiam quæ paulo confuſior movet, ut & magna voluptate perfundat, & ita penitus inſideat animo nulla ut ratione revelli poſſit. Unde fit ut cum vaferrimus inſidiator diabolus - verè credentibus etiamnum ubique laqueos tendat; nec non homines profani, quantum poſſunt, ſimulato Numinis contemtu, & neſcio quam vim vel ingenii vel animi inuſitatam jactantes - laceſſiverint diſputationibus - magna Philoſophorum nomina venditaverint; nihil tamen promovere potuerint adverſus eos qui verè & ex animo Deo in verbo ſuo loquenti crediderunt. Ingens enim & plane inſuperabilis eſt ea vis quæ eos ſemel è regno tenebrarum in regnum D. N. J. C, tranſtulit. Poſſunt quidem iſti luci interdum offuciæ quædam offundi: at eas ſplendore ſuo diſcutit. Poteſt mens ſic affecta in Sophiſtarum ſtrophis, tanquam in vinculo hæſitare: at eas vel ſua vi diſrumpit, vel diſſolvit ſolo contentu, hæc eſt victoria quæ vicit mundum, nempe fides noſtra. Quoniam major eſt, ait Johannes Spiritum habentibus, qui eſt in vobis quam qui in mundo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Obj. 6. 6. Procul omni dubio, cum nihil à ſe magis alienum eſſe videri velit, quam ab Ecelefia Reformata palam diſſentire, injuriam ſibi a me factam eſſe conqueretur Wolzogius, imo ſe ne latum quidem unguem à noſtris diſceſſiſſe teſtabitur. Quod quam nulla ſpecie, niſi actui contraria proteſtetur, quod ad primariam de Interprete controverſiam, fieri queat, in ſequentibus videre dabitur. Hanc vero quæſtionem quod attinet, ſentiat quid velit, hoc aſſevero, nullibi ita apertè, ita clare, in toto illo perſpicuo tractatu, exſtare quidpiam, quod ſatisfacere juſtæ ſuſpicioni poſſit. Sæpiſſimè enim phraſes culpat, ſententias rejicit, vel ſaltem rejicere videtur, Reformatis uſitatiſſimas, indubitatas, ut luce clarius jam demonſtravimus, Quid autem erit quapropter ſic agens, dum argumenta interim, dum ſententiam Reformatorum, in cauſa principali turpiter deſerit, dum *nondum enucleatè ſatis hactenus* tractata aggreditur novamque promittit lucem, quid inquam erit, quod ab omni ſuſpicione ipſum liberet? dum tam intricatè ſaltem, & languide loquitur; ut, ſi omnia quæ paulo ἐμφατικώτερα videri poſſent & veritati propinquiora ex toto libello congeſſeris, nihil dictum ab eo ſtatim pateat, quin ſimilia, modo non plauſibiliora, hinc inde à Pontificiis, Remonſtrantibus, imò Socinianis dicta, abſque anxia inquiſitione, offendas. Jmo ſi ex terminis & dicendi modis judicari debeat, quid dicet ſi multos ex ipſo Pelagio didiciſſe videri poſſe convincatur. *Corruptionem quan-*
p. 64. *dam mentis* ſtatuit *& depravationem. Nec rectè ducitur mentis oculus; nec ſi vel duceretur recta via multis impedimentis præpeditus, videre tamen acutè poſſet*, tanta autem hæc calamitas vel exaggeratâ oratione propoſita demum reperitur; *ut neque per ſe excitentur mentes noſtræ ſegnes & languore peccati demiſſæ; neque ubi agere incipiunt, quo debeant tendere perſpiciant; neque ſi vel*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſi vel hoc viderint, qua via pergere debeant, tenent. Quid hic ſodes, quo non magis emphaticum quid proferant Pelagiani? nec tam parum lectoris judicio fido, ut, me non explicante, eum hoc videre imò palpare non poſſe putem. Quicquid ſubjectum concernit, eſt languor, ſegnities, quâ per ſe excitari nequeat, quo autem tendere, qua via pergere debeat, ut perſpicere detur, verbum ſanè per ſe ſufficit. Illuſtratio autem, quæ ſequitur, talis eſt, ut non principii in ſubjecto, ſed viæ ſed normæ diverſitas, omne diſcrimen, inter naturalem & à Spiritu ductum, penitus exhauriat. *Et ſicut*, hæc ſunt verba, *in percipiendis ſcientiis, quanquam bona mens credatur,* p. 65. *æqualiter inter mortales diſtributa, tamen quia* NB *diverſa via ac ratione utuntur, videas alios aliis multum præcellentes ſapientia: ita licet homines ſint ſuis animi facultatibus æque prædili omnes, aliter proficit qui Spiritu Dei ducitur, aliter qui eo deſtituitur -- qui non eos facit progreſſus nec ſemper aſſequi veritatem poteſt. Hanc ergo vim hic tribuimus Spiritui S. ut excitet inertem animum.* Quis hinc aliud quid extunderet, quam, ſicut ſcientiarum humanarum ſic & divinarum reſpectu, æqualem eſſe ſubjectivam aptitudinem, & unum ſi alter ſuperet, id à diverſitate viæ quam ingreditur ortum ducere omnem, niſi quod in ſpiritualibus, *iners* præterea *excitetur animus. Impedimenta* (quatuor forſan illa, quæ numerat Epiſcopius, Epiſc. *Negligentiam, Præjudicia, affectum, & malitiam,) enim* Oper. *cum removet Sp. hoc* NB *tantum facit ut diſcuſſis nebulis* Tom: II. parte *poſſim clarè animadvertere &c.* dat igitur, & ſic dat, 2. p. 391. *poſſe.* Pelagium video plura concedere & tribuere a. gratiæ; quanquam enim antea omne *virtutis* divinæ Morus *auxilium* ſpreverat, poſteà tamen paulatim gratiam Victor. quoque interiorem adjunxit, *per quam intellectus illu-* Grat. *minaretur*, addo & per quam voluntas nonnihil affi- Diſput. III. ceretur, *unde*, referente Auguſtino, qui certè ſupra §. VIII.

 verum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

verum non laudavit adverſam ſententiam, quam, & ſpecioſſimè propoſitam, refutare intenderat, *non in lege*, ſic vocant externam omnem revelationem, *tantum gratiam*, quippe immeritis patefactam, *ſed in Dei eſſe adjutorio & adjuvare nos Deum per revelationem ſuam, dum* NB *cordis noſtri oculos aperit, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat*, neque id modò profitetur, verum etiam *ipſam poſſibilitatem voluntatis & operis Deum gratiæ ſuæ adjuvare ſemper auxilio & Deum operari velle in nobis dum revelatione ſapientiæ in deſiderium Dei ſtupentem ſuſcitat voluntatem, dum nobis ſuadet omne quod bonum eſt.* Nec abludunt hodierni Pelagiani aut Semipelagiani, Bellarminus non magis parcè quam Pelagius, modo ne ſuperet omnia quæ ſcripſit hic, (de ſenſu enim ejus & ſequuturis forſan retractatione, aut correctione, jam nihil,) Wolzogius.

Auguſtin. L. I. de Grat. Chr. c. Pelag. & Cæleſt. Cap. VII. & IV. & VIII.

Concedit *non poſſe hominem ſine ſpeciali illuſtratione credere Myſteria fidei, nec poſſe hominem ſolis naturæ viribus ad gratiam recipiendam ullo modo ſe præparare. Poſſe* dum à Deo eſſe dicit Wolzogen, dubium relinquit an actione quadam ſolum morali (quando morale dico, Remonſtrantium ſenſu iſtam vocem ſumo, ſcio enim longe aliter & meliùs eam uſurpari à Camerone) an alia à morali toto genere diverſa id fiat. Impedimentorum remotionem unicè requirere videtur. At nihil notius quam ſemper à Pelagianis conceſſum eſſe, à Deo *poſſe* dari; ſed quale auxilium & an ad *ſingulos actus* neceſſe ſit, diſputatum eſt. *poſſe donavit, qui hoc poſſe adjuvat* ait Pelagius. Plura autem dicit Wolzogius *Sp. facit ut iis argumentis perſuadeamur, quia mentem ad id apte diſponit. excitat enim non ſolum inertem animum ſed & ad verum ſcopum ducit & per illas ſemitas, quibus tandem perveniat ad ſalutarem interpretationis veritatem, faciatque omnia illa quæ requiruntur ad hanc veluti actionem animæ.*

Bellarm. de Grat. & Lib. Arb. L. VI. c 2. & IV.

Auguſtin. l. cit.

p. 256.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

animæ. Hæc nondum ſufficiunt, non enim dicis an moralem, objectivum, an verò Hyperphyſicum, ſubjectum reali influxu actuque attingentem & immediatum ducendi modum intelligas nec ne. Jmo necdum poſt te relinquis Pelagianos. *Cordis enim,* inquiunt illi, *noſtri oculos aperit, dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum Diaboli pandit inſidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cæleſtis illuminat. Qui hoc dicit gratiam tibi videtur negare?* Remonſtrantes, ſic de mente, *mens hominis ſc. irregeniti eſt, ſalutiferâ cognitione deſtituta, impotens ex ſe ad concipienda ea quæ Euangelio ſpecialiter, revelantur. Hominem,* dicunt, *ſalvificam fidem non habere à ſe, neque ex viribus liberi arbitrii, quandoquidem in ſtatu apoſtaſiæ & peccati nihil boni, quod quidem verè bonum ſit, à ſe & ex ſe cogitare poteſt: hanc Dei gratiam,* (Wolzogen omnia putat dicta, dum omnia illa, quæ requiruntur *ad hanc,* ſed ſolum, *veluti actionem animæ,* Deum ſuo ductu facere largitur) *eſſe principium progreſſum & complementum omnis boni, eò uſque ut ne homo quidem regenitus abſque præcedente iſta, ſive præveniente, proſequente & cooperante gratia bonum cogitare, velle aut peragere poſſit.* Et quod magis eſt irreſiſtibiliter intellectum illuminari volunt. Cunctis Wolzogianis iſta ſunt ſpecioſiora. Nec corrigit in calce libri primi, dicit enim, *poſſe quem verè interpretari Scripturam in multis, qui nulla ſit ſingulari Spiritus efficacia adjutus. Fidelium autem hoc ſpeciale privilegium eſt, ut auxilio divino, ſicubi opus eſt, nunquam deſtituantur.* Nondum quale putet, aut cujus naturæ, quantæque efficaciæ auxilium explicans: deinde addit, *quando opus eſt,* quod non levem ſuſpicandi rationem ſuppeditat, quaſi non ſemper, ſed aliquando, auxilio iſto pium egere velit. Cum ipſe Pelagius ultro largiatur *nos pro ineffabili Dei benignitate quotidiano muniri auxilio.* Remonſtrantes etiam re-

Synodal. Art. III. & IV. Cap. I. Th. I.

Collat. Hag. p. 213.

p. 88.

Auguſtin. l. cit. Cap. XXVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

genitos, abſque præexcitante &c. gratia, *nihil* poſſe ſtatuunt. Caſu vero factum neſcio quo, ut hæc ultima verba, quibus quam efficaciſſimè potuiſti, ſententiam tuam propoſuiſti, ferè coincidant, cum iis, modo ne ſuperentur ab iis, quæ alibi Socinianus in ſimili cauſa. ſic Smalcius: *Poteſt igitur homo planè multum præſtare abſque iſta Spiritus S. ſingulari opera. Utitur autem Deus auxilio iſto ſuo ſingulari ad juvandum fideles: - Sic etiam quotieſcunque opus eſt fidelibus, toties iſtud auxilium Deus habet paratiſſimum: & eo, ſi quid deſit hominibus vere probis, illud totum ſupplet.* Nollem igitur Reformatos omnes accuſaſſe obſcuritatis, antequam Pelagium & Socinianos veritate dictorum, ſaltem puritate, ſuperaſſem. Quod ſi poſthac præſtiteris, habebis me candoris tui amatorem, imo præconem. Utinam ita ſcripſiſſes, ut licet Scripturam ſe explicare ipſam neges, ſcriptum tuum ſua ſe explicatione ab omnis Heterodoxias ſaltem ſuſpicione immune præſtare potuiſſet! intricatam tuam obſcuritatem lubens prætermiſiſſem.

Smalc. de Divinitate Chriſti Cap. VIII.

Coronidis loco, ut, quod ventilamus controverſiæ caput, finiam, notandum eſt, omnia quibus Enthuſiaſmum & Fanaticiſmum impetivit dicteria Wolzogius, ſi res penitius paulo conſideretur, in Reformatos revera dicta eſſe, niſi quid Reformati, quid Enthuſiaſtæ doceant, ignoraſſe ſe fateatur. Agit cum iis, ut antea poſuit, qui Scripturam fidei colunt morumque normam, & adverſus eos qui Scripturæ Interpretem omni labore & induſtria genuinum quæri & audiri volunt, utpote à cujus deciſione controverſiæ, tota pendeat religio. Inter illos vero, qui Spiritum ita crepent, ſic Wolzogen pro dictionis nitore, nulli ſunt, niſi Reformati cum Lutheranis purioribus. Nam qui Enthuſiaſtæ hactenus audiunt & Fanatici, aut Scripturam rejectant omnem, aut ſaltem alphabetariis ſolum relinquunt. *Hi omne*

ſuum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſuum odium, ſic de minus turbulento iſtorum genere Hoornbeek, *in S. Script. evomunt, eam ſimplicem literam, elementum, Alphabetum criminantur, ſolis pueris, non adultis & ſpiritualibus, quales ipſi ſint ſcilicet, imperandum & præſcribendum, Spiritum ſuum ajunt verum Dei verbum, normam Scripturæ, imo apertis frontibus in Scripturam incurrunt, eam petulanter repudiant, contemnunt.* Denique *verbum ſcriptum non ſimpliciter ſequendum, ſed Spiritum ejuſque afflatus etiam contra Scripturam* volunt. Hinc de Schwenkfeldo, quem Lutherus & Melanchton Stenkfeld vocant, teſtatur Hiſtoricus, eum *novam religionis ideam, ſed verbo Dei ſepoſito, venditaſſe*, ut, referente Calvino, *ſoliti fuerint blaſphemare Scr. S. & Scriptores ejus ſacros. Apud eos Paulus vas confractum erat; Petrus abnegator Dei; Johannes adoleſcens ſtolidulus; Matthæus fænerator.* Si quis plura velit conſulat Crocii Antiweig Clariſſ. Viros Hoornbeek in Sum. Controv. & Georgium Hornium, per anagrammatiſmum, Honorium Reggium de ſtatu Eccleſiæ Anglicanæ alioſque; & primo intuitu, quanti Scripturam faciant, quantopere quam prolixè eam ſpernant ſimul & eos qui Scripturæ adhærent & judicium normale indeaccerſunt, videri poterit. Quis jam non certus ſit, eos tanti Scripturam non facere, ut, anxiè de Interprete ſolliciti, de eo diſputent? Reformati ergo ſuperſunt unicè, qui Spiritu S. tantopere egent, ei tam multa deferunt. Hos oppugnavit Wolzogen. Quod ſi neget, probet præter illos alios dari, qui Scr. ut dictum eſt, admittentes, de Interprete diſputantes, Spiritum crepent. Non inficior de Scripturæ vera clavi, de Myſtica, ſpirituali ſua interpretatione, etiam Weigelium, Jacobum Böhme, alioſque quandoque hæc & illa profudiſſe, ſed & certum eſt. 1. Eos hoc dicis cauſa agere. 2. In Scripturâ normæ & regulæ eminentiam minime ag-

Hoornb Summ. Controverſ. L. VI. p. 381. 382. 313.

Micræl. Hiſt L. III. p. 513.

Calvin. c. Libertinos.

agnoſcere, quod tamen in ſuis, quibuſcum agit Wolzogen, poſuit. 3. Scripturam ferè ab ipſis ſolum uſurpari καθ' ἄνθρωπον adverſus literaliſtas, Pſychicos, Scripturarios, & ad amoliendum univerſale odium, cui ſe Scr. contemtu omni expoſitos experiebantur. Quandoquidem autem de Enthuſiaſtis & Fanaticis benè multa ſcripſit & quidem concitatiore animo Wolzogen, exponam ipſi quid de Enthuſiaſtis didicerim, ut inde innoteſcat quinam Enthuſiaſtis propiores haberi debeant, præ illis qui ab Enthuſiaſtis longiſſimè & toto cælo diverſi, tantum Scripturæ normali uſui tribuunt, ut omnis Spiritus, ſive naturalia doceat, ſive quæ religionem concernunt, qui Scripturæ aut contrariatur, aut amuſſim declinat, ipſis impurus ſit & Fanaticus; optimè horum mentem explicuit Vir Clariſſimus & Doctiſſimus, D. Johannes Valkenier, cujus judicio, *quiſquis Moſis aut Davidis & Sanctorum Prophetarum oracula in dubiâ & indeciſâ Philoſophorum lite circa rerum primordia, cælorum ſpatia, ſiderum motus, humanæ mentis operationes, brutorumque vitam non conſulit, artis ſuæ hoſtis æſtimatur.* Novi alios, qui, ſi non in ſupernaturalibus, ſaltem in naturalibus, Spiritus ſui, Gaſſendi phraſin reſpicio, dictamina tantopere efferunt, ut Scriptura potius, non dogmatizare in naturalibus, ſecundum erroneam vulgi opinionem loqui, imò *verbale mendacium* ſubinde proferre dici debeat, quam ut Spiritus illius dictamina vel tantillum flectantur. Quid? ipſum Wolzogium mox Rationi in multis, imò fere in omnibus, Ducis Normæque in Scripturæ Interpretatione faſces & ſceptrum deferentem videbimus. Quis jam in Scripturæ reverentia, aut juxta dictamina ſui Spiritus detorſione, longius abeſt à Fanaticis? Si plura velis? Enthuſiaſtas, Fanaticos novi, qui *omnia ante docta & cognita oblivioni tradenda* diſcipulos docent, ſic de iis Bohemus. Novi, qui *de omnium rerum veritate*, priuſquam ad certam cognitio-

Orat. Inaugur. Leidæ Habit. p. 26.

Euſeb. Bohem. in Epitom. Hiſt. Eccl.

nitionem ullam venire queant, *dubitandum* ſuis inculcant, donec *ita certi* evadant, *ut nihil dubitationis vel diffidentiæ reliquum ſit.* Hanc unam ex primariis Nicolai Stork, Thomæ Munceri &c. regulis fuiſſe author eſt Chemnitius. Enthuſiaſtas novi, qui Methodum, quâ res omnes, *ita ut in iis nunquam errent,* diſci poſſe, jactitant. Scripſit Weigelius, homo inſanus, librum, cui titulus, *Captura aurea, hoc eſt, ad res omnes abſque ullo errore agnoſcendas, multis doctiſſimis incognita, attamen omnibus ſcitu neceſſaria.* Enthuſiaſtas novi, qui omnia antehac ſcripta contemnunt, rident, qui ex inſita luce meditando cuncta deduci volunt. Quakeris nihil uſitatius eſt, quam libros ſpernere, vituperare ſcripta, introverſionem, ut vocant, ad lucem quam intus habent, attentionem clamare, in homine omnium rerum ſpecies, omnium artium & ſcientiarum ſemina fingere. Hinc omnem ex ſe ipſo cognitionem excitandam, excutiendam. Fratres Roſeæ Crucis erant, qui omnes ſcientias, omnes diſciplinas reſtituendas ſua methodo ſomniabant. Enthuſiaſtas novi, qui omnium argumenta rident, exſibilant, interim meliora non ſubſtituentes hominem ſibi committunt. Enthuſiaſtas denique novi, qui *ſe filios lucis* eſſe gloriantur, qui quoſcunque abſque ullâ reverentiâ ſuſque deque habent. Dum interim ne unicum ex tota ſecta ſua proferre queant, qui diſciplinas reſtitutas jam, aut multum in melius mutatas oſtenderit. Velim id etiam ex hodiernis doceri novaturientibus, qui ſane ab Enthuſiaſtarum pollicitationibus non longe abſunt, quænam ex diſciplinis primariis tantam lucem adepta ſit, ut novæ huic luci quicquam debeat hactenus: tantum abeſt *ut alia diſciplinarum* orta *facies* appareat, Thraſonicè licet jactata à Velthuſio: non ſine magna totius orbis literariæ & manifeſta contumelia dicam an injuria, nimirum *ſapientiæ ſtudium jejunis & minutis ingeniis hacte-*

Chemnitius Loc. Com. part. I. de Lib. Arb. Cap. VIII.

Weigel. Captura aurea.

Quakeri.

Weigel.

Præfat. ad Init. primæ Philos.

hactenus relictum fuiſſe. Theologiam tantopere ab ipſis correctam non video. Iuriſprudentes, Medicos rogo & idem de ſuis teſtantur. Sed Philoſophiam nunc alio ſplendore coruſcantem mundus adſpicit. Fateor, nullum fere ſeculum fuiſſe, niſi forſan ferrea illa excipias, quo non ab ingenioſis aliquid excogitatum novi ſit. Nec Carteſio laudem ſuam detractam velim, multa in illius ſcriptis, ingenioſè inventa, aut ab aliis dicta, ad ſuas hypotheſes tranſlata eſſe, negari non poteſt. Philoſophicam amo libertatem, nec majoris facio, qui Ariſtotelem, quam qui Carteſium cæco amplexantur impetu. Hoc velim, Scripturæ & Theologiæ ſuam manere præeminentiam. Dogmata Philoſophica, in hanc normam infallibilem incurrentia, rejici, aliorum ſcripta & inventa manibus noſtris non extorqueri, non contemni. Diſplicet item, aliquos, quod tamen Philoſophiæ huic, quam non intelligunt, impactum nolim, poſtquam in iſtam lucis ſcholam delati fuerunt, eo veniſſe arrogantiæ, ut, dum veterem Logicam exſcribunt maximam partem, eo ineptiorem ad diſciplinas omnes eſſe unumquemque dixerint, quo in Logica hactenus uſitata doctior evaſerit; niſi forſan ſuam ſtupiditatem nimiæ priſtinæ Logices cognitioni imputare velint, fluctuantes & dubitantii fratres. Imo ut inhumanis dicteriis erga Venerandos & pientiſſimos Præceptores non pepercerint miſeri, qui, abſque contradictionum addito nitore, vix diſputationem ſcribere docti ſunt. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

Secunda ex Wolzogiano Scripto eruta Theſis & rejecta.

2. Hactenus de prima iſta Wolzogiana theſi diximus. Sequitur ſecunda, primæ vicina & connexa: ita enim, ut in toto religionis negotio, ſic præſertim in iis quæ Pelagianas controverſias ſpectant, comparata res eſt, ut plura ſibi invicem connexa ſemper incedant juncta ſimul pari paſſu nexuque, & unum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

& unum eorum rejici non poſſit, aut ſtabiliri, quin mox ſecundum & tertium ſimul & rejiciatur aut ſtabiliatur, non mirum igitur erit, poſtquam ita titubantem in veritatis doctrina, imo labentem vidimus Wolzogium, eundem ſæpius inpingentem offendere. Immediatas, illo quo dictum ſenſu, Spiritus ſancti operationes afflatuſque quanti faciat, prout ex illo libro noſſe datur, jam novimus. Omnem etiam novi luminis infuſionem negat, nullumque, præter id quod in Scriptura radiat, lumen dari aſſerit. Sic ſonant verba, de mentis conſtitutione dixerat, *& hic vim ſuam exerit Dei Spiritus qui illuminare mentes noſtras dicitur, non quod novum lumen iis infundat, quod omne in ipſa radiat Scriptura.* Idem plane Velthuiſen de Uſu Rat. p. 70 *nobis gratia novum lumen non inſerit.* Jam ſupra monuimus, verum hoc eſſe, ſi de veritatibus loquereris, quas omnes in Scriptura agnoſco collocatas, nec alias à novo quodam lumine expectandas, ſed falſum, quoniam de ipſius mentis conſtitutione, illiuſque corrigendæ modo agis: Sic enim dixeras, paulo ante, *mentis noſtræ conſtitutio talis eſt à natura, ut multa cernere non poſſit ſæpiſſimè quibus opus habet ut perſuadeatur.* Et hîc, in conſtitutionis nimirum correctione, *vim ſuam*, dicis, *exerit Dei Spiritus, qui &c.* mentis igitur conſtitutio corrigitur, *ſed non per infuſionem novi luminis. Affici* concedis, *ſed non per novi luminis infuſionem.* Nec crimen heterodoxias amolieris, etiam ſi omnia, quæ alibi veritati propiora, hac de re, hinc inde, dicta collegeris. Quod ne abſque gravi ratione à me dici videatur, aut immeritò, ſequentia mecum conſidera paulo penſiculatius. 1. Hic propriam ſedem fuiſſe rotunde & candidè dicendi quid res ſit, verſatur enim in examine eorum quæ de lumine & illuminatione Spiritus S. Reformatos ſtatuere dixerat Paradoxus Cap. XIV. hic dicendum

Margin notes: p. 254. (beside "rit. Sic ſonant verba…"); p. 254. (beside "mentis igitur conſtitutio corrigitur…")

dum erat, hic explicandum, quid ipſi hæreret animo. Non illa igitur reſpicienda quæ alibi in tranſitu ponunutur, cum ex profeſſo hic de iſto negotio agens, omne infuſum in mentem lumen neget. 2. Priori libro de eadem re, & quidem in propria ſede, non meliora inveniri p. 63. 64. 65. 3. Nullibi ita clarè aſſerit, ac quidem hic rejicit, de quo loquimur, lumen & illuminationem. 4. Nullibi ita emphaticè, ut Heterodoxos ſuperet. 5. Adde quod hoc ipſo loco, qui Wolzogio præ manibus, Reformatæ Eccleſiæ ſententiam rejiciendam, ut Enthuſiaſticam, dixerat Paradoxus, Wolzogio interim eam nec vindicante, nec explicante, imo ne quidem ejus vindicias ab Enthuſiaſmo tentante; quapropter eundem ipſi cum Reformatis ſenſum eſſe quis credat? noverat procul dubio, qui Heterodoxias crimen impactum ſibi quæritur, compendioſiori via, quam Orthodoxæ doctrinæ amplexu, candidâque & aperta vindicatione, ita receptæ veritatis, iri non poſſe. Quod tantum abeſt ut egerit, ut potius, nihil dicendo, ſi non vadimonium turpiter deſeruerit, divinandum ſaltem quid ſentiat reliquerit. Refert quædam à Paradoxo ad eruendam quaſi mentem noſtram dicta, p. 255. & ſic reſpondet. *Equidem hanc veniam lubens do Exercitatori ut inquirat in ſenſus noſtros, qui ſanè etſi ſint omnium Reformatorum iidem, non iiſdem tamen verbis aut eadem orationis claritate exprimuntur.* Tu autem, an, non impetrata venia, quid Reformati ſentiant, quid tu, eloqui clarè non audes? Quorſum enim neutrum eorum quæ dixerat Paradoxus eligis? aut quod tertium detur, non explicas? Quorſum, quid tu Reformatorum putes eſſe, non profers? & eorum ſenſa ab Enthuſiaſmi calumnioſe ſimul & ignoranter à tenebrione impacto crimine non liberas, imo ne verbo quidem? Hoc omne eſt quod prodis. *Sed omnes tamen & Scripturam*

agno-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

agnoſcunt ſui Interpretem, & Spiritum auxilium imperant ut confundi minimè cum Scriptura Sp. oporteat ex eorum ſententia. Quam frigide? ite deferbuiſti Wolzogi, qui tam alta voce Clementiſſimis tuis Dominis, qui tibi perſonam quam ſuſtines impoſuerunt, ob Eccleſiam Walonicam injuria affectam teſtabundus advocabas in capite, ut in calce Eccleſiæ Reformatæ, quaſi ab illa diverſam tibi commiſiſſent Reformati proceres, cauſam ita turpiter deſerere debueris? Jmo ſic proponis ipſorum ſententiam, ut nec à Socinianis, nec ab ipſo tuo Paradoxo diſſentiat Eccleſia Reformata: illi enim & Scripturam agnoſcunt & Spiritus auxilium implorandum non negabunt, nec etiam cum Scriptura confundent Spiritum, ut notum eſt, vel ex Exercitatore, intelligat enim claram & diſtinctam perceptionem per Sp. internam revelationem, necdum idem cum ipſa Scriptura, ſed diverſum quid intelligit. Quid jam Reformati? nihil præter id quod Sociniani, quod ipſe paradoxus? Non poſſum, quin ſemper mihi ſuſpicionem ſuboriri patiar, quotieſcunque ita titubantes, ita latebras quærentes, offendo veritatis quaſi defenſores, ut te nunc deprehenſum teneo, Wolzogi, quanquam ſatis glorioſè te jactantem. 6. Plura habeo, negat noſter omnem afflatum internum, immediatam operationem Sp. omnem, quod fieri non poteſt, quin ſponte ſequatur, quod hic ponit, *non per infuſionem novi luminis illuminari mentes.* Hoc autem 7. non prætereundum, quod hic error in terminis doceatur à Velthuſio, Seniore non ſolum Eccleſiæ, cujus Wolzogen Paſtor eſt, *ſed viro qui orthodoxias tenacem gerit animum ita ut ſua ſatis innocentia tutus ſit*, ex judicio Wolzogii. Jlle autem tam craſſè, tam turpiter hic, Pelagianizat, ut ne quidem ipſe Pelagius magis rotunde, ſic ille: *unum tantum genus luminis mente concipere licet.* *Regeniti & non regeniti cognitio de rebus & myſteriis fidei non*

Velth. de uſu Rat. p. 8. p. 9.

non differt luminis ratione, neque illius cognitio eſt diverſum cognitionis genus. Sic Senior Eccleſiæ Reformatæ. *Gratia*, quæ ad cognitionem ſalutarem prodeſt, NB *non eſt lumen, neque nobis, neque Scripturæ novum lumen inſerit.* [p. 70. & 71.] *Item homines non poſſunt cognoſcere Myſteria fidei, quia nolunt, & quia nunquam ſine gratia Dei volent: non quod in ſe non habeant ea cognitionis principia, eamque cognoſcendi facultatem, qua ea, quæ in Script. traduntur, tantum capiuntur & intelliguntur, ita ut novis principiis aut nova facultate indigeant, ſed quia homo animalis ita carnis affectibus ducitur, &c.* [p. 66.] Sit igitur iſta ſecunda Theſis quam examinare neceſſe duxi & refutare: *Novum lumen in mentes noſtras non infundi, ſed omne in Scriptura radiare, idque dicendum quando non de veritate revelanda, ſed mentis, veritatem recepturæ, conſtitutione, ſermo eſt.* Ego eam falſam eſſe, Heterorodoxam, Pelagianam dico & Socinianam, conferantur Romonſtrantes & Sociniani eademque † ab ipſis doceri videbis. Dixerat Walæus Sp. lumine opus eſſe, ridet ea Epiſcopius, & ſalſis ſarcaſmis exſibilat. Sic alicubi Joh. Stoinski Cætus Racovienſis miniſter *auxilium cæleſte accedere* fatetur, quo intelligantur ritè S. Scr. *novas autem qualitates creari, ſeu produci, non eſt neceſſe* inquit. Jam ſupra audivimus, quid Amyraldus de hac Theſi, quid Ameſius: quorum ille iſtâ poſitâ Pelagianos viciſſe, alter de ea unicè diſceptari aſſerit. Quid ego ſententiam, exponant, quibuſcum mihi eadem eſt ſententia, Reformatorum Theologi.

[† Apol. Rem. p. 34. & Diſp. pars 1. diſp. III. §. 3. Oſtorod. Inſtit. L. 1. Cap. 5. Stoinski ad Crell. & Schlighting. Comment. Epiſt. Liminari.]

[Reformatorum Sententia Theſibus complexa.]

[Theſis 1.] Et 1. novum lumen infuſum ab ipſis agnitum videbis. Sic Hoorenbeekius *Neceſſario requiritur interna Sp. S. illuminatio & inſtitutio Act.* VIII. 31. XVI. 14. *nempe, Deus cum verbo ſuo ulterius penetrat in hominis animum; & Spiritus ſui efficacia creat ibi, in mediis adeo tenebris* (2. *Cor.* IV. 6. 1. *Cor* IV 5. *Joh.* 1. 5.) *principium cæleſte novi ac ſalutaris luminis. Quod eſt quaſi*

[Hoornb. Theol. Pract. Tom. 1. Libro VI. Cap. III.]

quaſi ſpiritualem facem introducere, qua divinam lucem animus concipit & calorem, quo cælitus inardeſcat. Luc. XXIV. 32. *Rident iſta Remonſtrantes, & quotquot converſionem ex nobis, ſolo verbo adjutis, derivant, non ex Deo & ſingulari operatione Spiritus: ſed male. Epiſcopius, in judicio de controverſia Anabaptiſtarum, de ordinario medio converſionis* Oper. Part. II. *Calviniſticum dicit pag.* 375. *ſtatuere quod homo ſit ineptus ad ſenſum verbi intellectu capiendum, & propterea peculiarem etiam internam inſpirationem & operationem Dei accedere oportere, quæ hominem ad id idoneum reddat & in hominis intellectu & voluntate ſenſum illum efficaciter exprimat, infundat aut inſpiret. adde pag.* 372. & paulo poſt ait Hoornbeek. *Auctor & cauſa illuminationis, quemadmodum jam indicavimus, ſolus eſt Deus Pſ.* CXIX. 8. *Jeſ. L.* 4. 5. *per Verbum Act.* XXVI. 17. 18. *Rom.* I. 17. X. 15. *Eph.* III. 9. 2. *Tim.* I. 19. 2. *Cor.* IV. 4. *&c. & per Spiritum Joh.* XVI. 13. *Eph.* I. 17. *Hebr.* VI. 4. *etenim ab eo ſolo eſt veritas credenda; &* NB *lumen internum, quo videri ac percipi illa poteſt.* 1. *Tim.* III. 16. *imo talis eſt illuminatio, ut non ſolis gradibus, ſed,* contrarium licet docente Velthuiſen, *tota ſpecie differat ab ea quæ unquam eſt in non electis, in reprobis.* De uſu Rat. p. 8. *Elevari poſſunt,* ſic Tuiſſus, *potentiæ naturales ad objectum aliquod ſupernaturale per habitus quoſdam ſupernaturales, verum potentiarum novarum, quæ ipſis inhæreant, capaces omnino non ſunt. Habitus ſupernaturalis intellectum afficiens habet ſe per modum luminis ſupernaturalis. Hos autem habitus ſupernaturales vereor ut admittant adverſarii.* Tuiſſus c. Corvinum Cap. XIV. Sect. III. Splendide & magnificè quidem de ea loquuntur, imò non minori apparatu, quam ipſe Wolzogius, eo tamen non contentus Subtiliſſimus diſputator, ſic pergit, *Gratiam iſtam ſupernaturalem quam prædicant, & ſupra Paradiſum efferunt, negant haberi per modum* NB *infuſionis, ut ante hac accepimus ex Arminio, ſuffragante Cor-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

vino; eundem in modum noſter Wolzogius, prædicat alibi magnifica de Spiritus operatione, ſed hic *novum in mentem lumen* NB *infundi* negat; pergat jam Tuiſſus, *unde fit, ut infra naturam eam abjiciant, ſi negant nobis eſſe inhærentem; ſin inhærere velint, nec tamen infundi; ſequitur nihil omnino eo notari præter potentiam aliquam naturalem.* Nec aliter removeri poſſunt, quæ removenda concedunt impedimenta, niſi per infuſum lumen novum; ſi enim quis impedimenta dixerit, quæ mortuum à vitæ operationibus, aut cæcum à videndo impediant, non aliter ſanè quam novæ vitæ infuſione & videndi facultatis reſtitutione, medicinam parari poſſe ultro largiri debet. Talis autem naturalis homo eſt & cæcus & mortuus ſpiritualiter: Nec à mortis labe immunis intellectus ſomniari poteſt, niſi ab eo qui moribundum ſed vivum tamen & vitam alicubi palam demonſtrantem mortuum finxerit. Non ita ludit Sacra Pagina. Jmo tanta hujus veritatis vis eſt, ut & Pontificiis excidat aliquando, ſic Bellarminus Jeſuita, *Omnes noſtræ conciones, ſed omnia alia noſtra ſigna & prodigia non ſufficiunt, ut fidem noſtram Ethnicis & hæreticis perſuadeamus; niſi Deus ipſe Doctor accedat, & mentem eorum hoc divino lumine illuſtret -- Pelagiani affirmare non dubitabunt, nos iſto lumime non indigere uſque adeo. Hoc eſt lumen illud,* ait Rivetus, *quod requirebat Lutherus, ſine quo ne jota quidem unum videri poſſit in Scripturis, id eſt ea perſpicientia quæ ſalutaris eſt, merito cenſuit: & Spiritum Sanctum,* qui lumen illud indat, inditumque eliciat, excitet, applicetque, eſſe neceſſarium docuit, ad totam Scripturam & quamlibet ejus partem intelligendam. Stapletonus, qui alibi dictum Lutheri calumniatur, Relect. Princip. fid. controv. 4. Q. 1. Art. 2. *Intellectus*, inquit, *ut propoſitæ veritati ex fide aſſentiatur, induci non poteſt abſque fidei dono, & lumine divinitus*

Bellarm. Cit. Riveto Jſagoge ad Scr. S. Cap. XXII. §. 23. 24. 25.

nitus infuſo, eſt concluſio de fide, non ſolum contra Pe-
lagianos veteres, ſed & contra quoſdam Scholaſticos re-
centiores Durand. Biel. &c.

Quid attinet huc multa congerere? eouſque pro-
grediuntur noſtri ut 2. abſque aliquali lumine Sub- Theſis 2.
jecto infuſo, ex ipſorum ſententia, ne divinitas qui-
dem Scripturæ videri queat ritè & agnoſci. Ridet
id, ut ante notavimus, Epiſcopius. Sic autem Clop-
penburgius, *Fides qua Scripturis creditur (quam Pon-* Clop-
tificiis lubet vocare authoritatem quoad nos) eſt convictio penb.
illa mentis & conſcientiæ, qua agnoſcitur Scripturæ au- Diſput. Theol.
thoritas, nos obligans ad obſequium & obedientiam in- II. §. 1.
tellectus & voluntatis; Fides illa non exiſtit abſque in- 2 3.
terna illuminatione intellectus, quod confirmat Scrip-
turæ locis & addit, *hæc quidem loqui de regenitis eo-*
rumque fide ſalvifica, attamen quadam analogia, con-
firmant etiam, illuminationem irregenitorum ad fidem
illam, qua Scripturis creditur. Res ſpirituales, ſic Zanch.
Zanchius, *non poſſunt niſi lumine ſupernaturali percipi* Op.
& verè cognoſci: illud autem donare non eſt, niſi illius Tom.
qui eſt ſupra naturam, Dei. Non eſt igitur cujuſpiam VIII.
hominis, neque etiam totius Eccleſiæ, ſed ſolius Dei, Loc. Comm.
efficere ut quis certò agnoſcat hanc de qua loquimur Scrip- de Sacra
turam eſſe θεόπνευστον. *Non eſt etiam Scripturæ Sanctæ,* Scr. Q. 2.
per ſe ſolius, hoc efficere: ſed opus eſt Sp. S. mentem ho- propoſ.
minis legentis aut audientis Scripturam ita illuſtrante, 1. 2. 3.
ut videat, ac ſentiat, Deum loqui in Scripturis, non ho-
minem. Etſi igitur Scriptura in ſe lumen eſt lucernaque
accenſa, imo Sol ſplendidiſſimus: tamen ſicut Sol non po-
teſt ſeſe cæco homini quis & qualis ſit patefacere, niſi
cæcus aliunde illuminetur: Ita Scriptura non poteſt ſeſe
agnoſcendam reipſa præbere cuipiam homini, niſi Sp. S.
mens hominis ad videndam Scripturæ dignitatem illuſtre-
tur. NB *Pelagiani tamen hoc non admittebant: quia*
non concedebant, tantam eſſe naturæ noſtræ corruptio-
nem, ut mens non poſſit diſcernere inter ea quæ Dei ſunt,

Tuiſſus de gratia p. 410. 2. d.
Bucer. ad Rom. p. 19.
Morus Cauſa Dei p. 24.
Camero Prælect. de Eccleſ. Controv. 1. p. 299.
Whitak. c. Staplet. Op. Tom. 2. p. 101. a. 102 b.

& quæ non Dei: inter doctrinas hominum, modo ei offerantur. Nullis etiam rationibus, ſive ab antiquitate, ſive à conſonantia Scripturarum, ſive à miraculis, quibus fuit Scriptura S. confirmata, ſive à complemento vaticiniorum ejus, ſive ab alio quovis loco deductis, perſuaderi ulli hominum poteſt, hos libros eſſe θεοπνεύςους, *alios nequaquam, ſine Sp. S. Majeſtatem verò*, ſunt verba Tuiſſi, *& cæleſtem verbi naturam lumine Spiritus deſtituti, non dico nequicquam, ſed nequaquam advertunt. Authoritas Scripturæ*, ait Bucerus, *ne agnoſcitur quidem niſi per Chriſti Spiritum. Jmo illud nemo quiſquam negat*, addit, ſed largiter ſatis, Morus. *Lucem, quæ mentem leniter perfundat, quaque oculi mentis aperiuntur*, dicit Camero. *Nam ne Solis quidem lucem cæci adſpiciunt*, ſic Whitakerus, *nec ſcripturarum ſplendorem quorum mentes non ſunt divinitus illuminatæ.... Nemo quidem tam cæcus eſt quin lucis hujus in Scr. emicantis ſcintillas aliquas vel invitus adſpiciat. Sed hoc parum eſt, & non niſi ad interitum valet, niſi mentis oculos Deus aperiat &* NB *novam quandam in nobis lucem accendat.*

Theſis 3.
Jſagoge ad Scr. S. Loc. Cit.

3. Addunt ne unicum quiden Jota ſalutariter, verè ſpiritualiter intelligi poſſe, ſine infuſo illo lumine. Hoc de Luthero refert & probat Rivetus. Et revera, ſi actus omnes verè ſpirituales provenire aliunde, quam ex principio infuſo ſpirituali & ſupernaturali non poſſunt, procul omni dubio, omnis illa, quæ ab intellectu producitur operatio, intellectio verè ſpiritualis, oriri etiam non poteſt, niſi ex habituali illo, quod in intellectu eſt, eumque ſpiritualiter quaſi vivificat, lumine, eliciatur: ſed hac de re poſtea latius.

Theſis 4.

4. Hinc eſt, quod, non tam pro naturalis ſcientiæ, quam Spiritus ejuſque luminis, majori aut minori copia, majores aut minores in Scripturæ vera intellectione profectus fieri ſtatuant. *Homo vetus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

(verba ſunt Polani) *ſeu animalis non poteſt, capere ea quæ ſunt Sp. Dei: Novus in tantum capit, in quantum renovatus eſt. Nemo prophetias*, ſic Paræus, *intelligere poteſt abſque Spiritu, quo ſunt conſcriptæ. Hinc* NB *tantum quiſque de ſenſu Scripturarum aſſequitur, quantum de Spiritu qui eas inſpiravit participat.* Neſcio igitur quem genium ſapiant Pelagianumne, an pure naturalem, & mundanum, quæ alibi Medicus, verè ſutor ultra crepidam, ſic ille, *Philoſophia in plurimis tantum talemque uſum præſtat ad aſſequendum quid Spiritus S. loquatur & doceat in Scriptura, ut quo quis magis artibus & diſciplinis ratione & uſu repertis inſtructior accedat ad Scripturæ lectionem, eo paratior eſt, ad capiendos maximos fructus ex illius lectione: & fruſtra ſe fatigabit -- qui omnia ex Scripturæ revelatione eruere nititur.* Nec abludit Wolzogius. *Nam quos limites*, ſic ille p. 202 de ſuo adverſario, *ponit Interpreti ſuo, quem pro rerum tantum cognitione quam eſt adeptus plus minuſve in interpretando poſſe ſtatuit, non moveo.* Verum eſt, tam ſignorum quam rerum notitia multum conducit ad feliciorem Scripturæ ſcrutationem, nec tamen ad Philoſophos ea proprie pertinet, aut ex Philoſophia arceſſenda, ut ſomniat Medicus, longè aliter ſummus Philoſophus ſimul & Theologus Biſterfeldius. *Utraque*, ait ille, *rerum puta & verborum notitia, diligenti ac judicioſa collatione ex ipſiſmet ſacris literis ſufficienter hauriri poteſt* Pſ. XIX. 8. CXIX. 30. Proverb. I. 4. Mat. XI. 26. I. Cor. I. 26. Nec contrarium evincunt, quæ profert Medicus, furtum enim & odium, vindicta publica quid ſit & privata ex ſacris diſci non poſſe quis credat? Sed talia habet, *quæ tractant res momentoſas & forte neceſſarias ad ſalutem, tamen obſcuriſſima ſunt, & ex Scriptura lumen accipere non poſſunt.* Quam imprudenter dixit Apoſtolus Scripturas ſapientes reddere nos poſſe ad ſalutem I. Tim. iii. Quare David, Philo-

Synt. L. I. Cap. XLIV. p. 309. d. Paræus in Proœm. ad I. Cor. I. Velthuiſen de uſu Rat. in Theol. p. 132. Biſterfeld. L. cit. §. XXIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Philoſophia inſalutatâ, inſipientes ſapientes ex Scriptura evadere poſſe dixerit, rogetur Medicus. Egregiam vero Theologiam! *etiam ad ſalutem neceſſaria obſcuriſſima ſunt & ex Scriptura lumen accipere non poſſunt*, refragantibus licet Theologis & Confeſſionibus quotquot ſunt Reformatis. Deinde conducat quantum poteſt rerum & verborum prærequiſita cognitio, præterquam, quod ex ipſa Scriptura ſufficienter hauriatur, etiam ea applicari non poteſt, niſi poſtquam, & in quantum dicto quis illuſtratus eſt lumine. Optimè iſta exequitur Amyraldus, *ut in Spiritus*, ſic ille, *æquali menſura, qui Hebraici Græcique ſermonis ita peritus eſt, ut ex ipſis fontibus, quod dici ſolet, haurire poſſit; aliquanto certior ſuæ cognitionis erit, quam qui cogitur uti tranſlatione quantumvis accurata. Item in pari copia Spiritus qui utitur tranſlatione accuratiore quam qui minus accurata. Vice verſa, in objecti propoſitione pari & impari conſtitutione facultatis, firmitas aſſenſus non omnino par eſſe poteſt.* Nam NB *qui majorem Spiritus copiam eſt adeptus, rem clarius videbit, quam qui minorem, tametſi uterque pari linguarum peritia præditus ſit. Quin tanta eſt in conſtitutione facultatis poſita vis, ut qui tranſlatione uti cogitur, etſi minus accurata, multo majore illuſtrabitur divinitatis illius*, tam in tota Scripturâ, quam in cujuſvis enunciationis ſenſu, *evidentia, quam qui linguarum intelligentia pollet, multis vero præ altero partibus deficitur à Spiritu facultatem ipſam illumante.*

§. XXIV. *Utique cum tanta ſimus ab ortu noſtro caligine circumfuſi, ut præſtantiſſimi oculatiſſimique viri ſint apertè* ὥσπερ τὰ τῶν

Arist. L. 2. Metaph. νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ καθ' ἡμέραν, οὕτω καὶ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς ἔχει πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων: *eam laudem nobis*, ſeu noſtræ ſignorum rerumque ex natura acquiſitæ cognitioni, *arrogare*

§. XXV. *falſo nec Deo ejuſque* illuminationi *adimere niſi per ſummum nefas nequimus. Eſt enim objectum ita ſubli-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

me ut à mente noſtra perfectè comprehendi nequeat, non etiamſi illa careret omni labe. Tantæ ſc. rei, creaturæ modus capax non eſt. Ideo præclarè Petrus de myſteriis Religionis Chriſtianæ verba faciens εἰς ἃ, *inquit,* ἐπιθυμοῦσιν οἱ ἄγγελοι παρακύψαι *Quapropter priuſquam lux illa Spiritus affulſerit, in ſumma noſtri & rerum quæ ad ſalutem noſtram ſpectant ignoratione verſantibus, vis illa ab ipſo Deo defluxiſſe cenſenda eſt, cujus ope ea comprehendimus quæ ſublimitate & excellentia* τὸ αὐτὸν θριγκὸν τῶν μαθημάτων *infinito intervallo ſupereminent. Denique ad eam notitiam acceſſio magna fieri debet ex noſtri comparatione cum iis qui adhuc in nativa omnium ignorantia jacent. Hic enim valet quod Apoſtolus ait;* τίς σε διακρίνει τί ἔχεις ὃ οὐκ ἔλαβες. *Quum natura nos omnes ex eodem luto corrupto cruentoque finxerit, quæ res labes iſtas penitus inhærentes eluiſſe ac novam* NB *quandam forman in nos introduxiſſe potis eſt, niſi ſupra naturam ipſam conſtituta? Id vero multo fiet apertius ſi reputemus animo quam præſtanti ingenio in omni alio rerum genere, quam ſagaci prudentia, quam acribus oculis præditi ſint in rebus humanis cernendis, plerique eorum quos in tanta luce Euangelii non caligare modo, ſed prorſus cæcutire videmus. Divinam vim qua tam certo perſpeximus quæ ne per nebulam quidem à viris cæteroquin maximis perſpiciuntur, auxilio divino ſuppeditatam eſſe arbitrari par eſt. Scriptura etiam fidem appellat donum Dei: & teſtatur nobis gratuito datum eſſe, ut credamus: & oculos mentis illuminatos nobis obtingere ait a Spiritu revelationis: & quod credimus id tribuit* τῇ δυνάμει τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος τοῦ θεοῦ: *& credentes appellat* τοὺς θεοῦ διδάκτους, *& quid non?* Quod neceſſaria etiam ad ſalutem obſcuriſſima dicat, verum eſt, reſpectu eorum qui pereunt, nam ſi Euangelium noſtrum tectum eſt, iis qui pereunt tectum eſt, non autem propterea, quod, uti Medicus ſomniat, ex Philoſophia ſolum ſignorum rerumque notitiam ſibi non acquiſiverit, ſed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

quod, omni licet naturali ſapientia imbuti & onuſti, Spirituali iſto careant lumine & à Spiritu intus revelante & docente non ducantur; quo non illuminante, in tenebris verſatur cæcus & excæcatus peccator, & per ſuam iſtam cæcitatem, cum voluntatis naturali etiam perverſitate junctam, non poteſt non errare. Dicam potius verbis graviſſimi Theologi, Pelagianorum Mallei, *Lucerna*, inquit ille, *fateor eſt pedibus noſtris verbum Dei & quotquot ad ſalutem promovendam conducunt apertè ſatis in Scripturis traduntur: quorum tamen omnium ſalutaris agnitio atque interpretatio non tam hominis ingenio (adde quæ hominis ingenio ex natura eliciuntur) quam Sancti Spiritus illuminatione deputanda eſt, pro cujus*, NB non pro majori aut minori Philoſophiæ notitia, Spiritus ſc. *varia diſpenſatione aut denegatione nunc infirmitati hominis ſuccurritur, ut diſcernat ea quæ Dei ſunt, nunc in tenebris & mentis ſuæ caligine fædum in modum errare permittitur*. Vides, Spiritus lumine non diſpenſato & in quantum non diſpenſato, errat neceſſario quicunque ſit, ſit licet Philoſophus. Philoſophiæ operam miniſterialem nullo modo ſperno, nec ſpernere à præceptoribus doctus ſum, acuat illa facultatem naturalem, Hagaris inſtar, ſic Lutherus ejus opem jam dudum conſideraſſe tritum eſt, ſerviat Sacræ Theologiæ: verum omnem aut primam in explicanda Scriptura provinciam ſuſtinendo impar eſt, in ſubjecto, ſit licet caput Philoſophotaton, Spiritus lumen ductuſque ita requiruntur, ut abſque iis omnis humana ſapientia nihil valeat, Scripturas ſcrutetur licet, qui iis imbutus eſt. Loquantur venerandi ſenes. ſic Bucerus, alias Philoſophiam tantopere laudans alibi, *Quid jam poſſit ſatis magnificum de ea*, Scripturæ ſc. *doctrina dici, qua hæc*, beata ſc. in Dei agnitione veroque cultu conſiſtens, *vita* traditur? *Omnes Philoſophi id conati quidem ſunt, at ſolæ arcanæ literæ præſtite-*

Tuiſſ. Contra Corv. p. 9, a.

Bucer Præfat. in Ep. ad Rom. Bucer in Pſ. XIX. 10.

ſtiterunt: Sed ſunt & hæ mortuæ, nihilque docere poſſunt quum deeſt Spiritus Chriſti, qui unus in omnem veritatem inducit. Quare quod hic Pſaltes de divina lege encomium cecinit, de ea, ut a mentibus Spiritu ſuperno donatis percipitur, intelligendum eſt, non ut ſcripto tantum comprehenditur. Hic autem ubi Spiritus adeſt, effari non poteſt, quantum frugis optimæ adferat diligens & ſedula Scripturarum & lectio & excuſſio: ut non injuria Paulus ſuum Timotheum tantopere incumbere illi voluerit, tantumque fructuum promiſerit. At vero NB *nullis id rationibus ita ut experimento percipi poteſt: quanquam pio homini, vel præſens Pſaltis encomium, aut Pauli elogium quod adduximus, vel Moſcheh teſtimonium Deut.* IV. 6. *ſatis probent nullum eſſe ſcripti genus quod vel dignitate, vel fructu ulla ex parte divinæ Scripturæ, quam jure vocamus, conferri queat. Sed, ut dixi,* NB *experientia hic omni ratione potior eſt: ea pios animos ita Scripturæ arcanæ de Deo noſtro ubique præclare teſtanti, & de ejus nos voluntate erudienti addicit, ſic reddit affectos, ut planè comparatos ſe ſentiant uti de ſe Vates in ſequentibus canit. Deſiderabilia præ auro &c. verſ.* 11 *&* 12. *Sentiunt ſiquidem hi quam adverſetur huic felicitati omnis naturæ noſtræ ſenſus & conatus. Nihil ſiquidem eſt quod Dei apertius & potentius admoneat, judiciorum & operum ejus rationem plenius explicet, quam Sacræ Scripturæ: non tamen quibuſvis, ſed timentibus Deum, & Spiritu cæleſti præditis. Expertus ſum &c.* Finge tibi aliquos, qui ratione naturali utuntur tanquam principio, ad maximam, quæ per naturam acquiri poteſt, veniſſe verborum rerumque cognitionem, & quid in Scripturæ intellectione præſtituri ſint, *quoniam Theologi,* te ſcilicet autocratorice id dictante, *admodum falluntur & nimium ſibi aſſumunt, cum hujuſmodi controverſias, quomodo ſc. in Adamo omnes peccaſſe, concupiſcentia peccatum dici queat,* determinare volunt quamvis ſi ullum, hoc

Velthuiſen de Uſu Rat. in Theol. 132.

ſaltem

ſaltem ex ſacris, à Theologis unicè expediendum negotium judicaturus ſit omnis cui ſanum ſinciput non deerit, quoniam *autem Theologi nimium ſibi aſſumunt*, (Medico Theologos inter & Philoſophos judice) audiatur aliquis non ex fæce Theologorum aut ex gregariis Philoſophis, ſed vir qui ſummus audiit hactenus & incomparabilis Philoſophus, qui etiam præjudicia deponere, rationes ponderare didicerat & docuit Baco Verulamius, qui quantus Heereboorbio aliiſque fuerit, longum foret enarrare, ſic ille ad calcem Tractatus, quem de Augmentatione Scientiarum inſcripſit, ad Jacobum Regem. *Reſtat adhuc Theologia Sacra, ſive inſpirata. Veruntamen ſi eam tractare pergamus, exeundum nobis*, intrandum putat Medicus pro ſua ſc. Philoſophica aut Medica religione, *è navicula rationis humanæ. Neque enim ſufficient amplius Stellæ Philoſophiæ, quæ hactenus præcipue nobis affulſerunt. Itaque par foret*, ſic modeſtè ſummus Philoſophus, *ſilentium quoque in hac re colere.* Et, tantummodo de modo informationis dum tractat, *exempla ſubjungere, præcepta dare* detrectat. *Id Theologis relinquemus.* Qui noſtro Palæmone judice nimium ſibi aſſumunt, etiam, quomodo in Adamo omnes peccaſſe, quomodo concupiſcentia peccatum dici queat, determinare cum volunt; fungi ſc. iſti Theologi. Pudeat te immodeſtum, ſuperbum caput! pergat Verulamius, *Prærogativa Dei totum hominem complectitur: nec minus ad rationem, quam ad voluntatem humanam extenditur: ut homo ſcilicet in univerſum ſe abneget & accedat Deo. Quare, ſicut legi divinæ obedire tenemur, licet reluctetur voluntas, ita & verbo Dei fidem habere, licet reluctetur ratio. Etenim, ſi ea duntaxat credamus, quæ ſunt rationi noſtræ conſentanea, rebus aſſentimur non auctori.* Quæ verba ita placuere Heidano, ut ea adoptaverit & ſua fecerit. Et quamvis Theologos ſpernat Medicus, producam eorum verba

[Margin: Baco Verulamius de Augment. Scient. L. IX.]

[Margin: Heidan. Faſcic. Diſput. de Socin. Diſp. II. §. 15.]

verba ut videat Aphiloſophos non eſſe quos contumelia afficit. Heidanus docet *fidei eſſe rationi præſcribere, & id facere, ut ne ſit opus ratione. Atqui tantum abeſt ut rationi aliqua prærogativa hic debeatur, ut contra Chriſtus gratias agat Patri, quod abſconderit hæc ab intelligentibus & ſapientibus, & revelarit* νηπίοις *infantibus.* Matth. XI. 25. *Unde & Diſcipulis ſuis dixit* ἐὰν μὴ ϛραφῆτε, καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν θεοῦ Matth. XVIII. 3. *Vult planè hos inſtar infantium ſuſcipere Regnum Dei. Quin Deus præteritis ſapientibus, potentibus & nobilibus ſecundum carnem, quæ ſtulta ſunt mundi & infirma, & ignobilia & contemtibilia, & ea quæ non ſunt, elegit, ut ea quæ ſunt aboleret, uti ne gloriatur ulla caro coram eo* 1. Cor. 1. 27. 28. *Neque tantum injuria fit Deo, ſed & homini ipſi, cum talis illi* ἱκανότης *adſcribitur, cui nullo modo par eſt, & quam ſuſtinere non poteſt. Cum enim ipſa ratio per peccatum obtenebrata ſit, quod horrenda illa ignorantiæ profunditas, cum qua mundum iſtum ingredimur, teſtatur, & quæ nos à pueritia obſidet, certe ſi lumen quod in nobis eſt tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Mat. VI. 23. *Ex iſta denſiſſima tenebrarum caligine omnis error humanæ vitæ proficiſcitur, qui omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipit: unde cum multis præjudiciis à veri cognitione avertamur, nunquam iis liberari poſſimus, niſi ab illo illuminemur, qui eſt lux Mundi, & via & veritas & vita,* Joh. XIV *At quomodo tenebræ judicent de luce & lumine? Et quomodo ſapientiam Dei poſſet juſtificare homo, cui illa eſt ſtultitia? Et quomodo verbo crucis ædificari ad ſalutem poſſet, qui ad illud impingit & offendiculum patitur? Quis* NB *à tam ſtulto Judice rectam ſententiam expectet. Unde quo quis majorem,* audi Medice, *ſapientiam præfert, & majore ratione niti videtur, eo iniquior Euangelio reperitur, nimirum non capit animalis homo ea quæ ſunt* Sp. *Dei: ſtultitia ſiquidem illi ſunt, nec poteſt cognoſcere, eo quod ſpiritua-*

§. 4.
§. 17.

ſpiritualiter dijudicantur. I. Cor. II. 14. *Quare monet Apoſtolus* I. *Cor.* III. 18. *ut ne quis ſe ipſum fallat : ſi quis videtur ſibi ſapiens eſſe inter vos in ſeculo hoc, ſtultus fiat, ut reddatur ſapiens. Etenim ſapientia hujus Mundi ſtultitia eſt apud Deum. Quid circa Myſteria & à mero beneplacito pendentia ratio ſibi arrogare poſſit? nonne planè intellectus noſter captivandus & ſubjiciendus Deo? An forte quæ aliter homini videtur, & ratio ſecus de iis quæ revelata ſunt judicat, alium ſibi Deum & aliam voluntatem ejus finget?* Et tu bone vir tantum rationi, tantum Philoſophiæ tuæ tribues? ut etiam *res momentoſas & forte ad ſalutem neceſſarias etiam obſcuriſſimas dicas & ex Scriptura lumen accipere non poſſe.* Divam Philoſophiam de iis conſulendam: tibi forſan evenit, quod Boëthius fingit, hæc tecum immediatè egit & dictavit iſta oracula. Hæc feres Wolzogi, hunc Virum Orthodoxias tenacem animum gerere ſcribes, ipſe plane contrarium ſentire videris, ita te de fundamentalibus loquentem audivimus, ut abſque omni cura & induſtria (quippe tanta perſpicuitate tradita quæ omnem legenti dubitationem, primo ſtatim intuitu, eximat) percipi poſſe putes, ſicuti vidimus Libro priori hæc jam concilia ſi potes: Quid ego velim pro me dicat Nobiliſſimus

Sadeel Præfat de Meth Theol. Diſput.

Sadeel, ſic ille *at nos de Theologia ex principiis Thologicis diſputandum eſſe, ex ipſa Theologia didicimus, & ita faciendum eſſe, vel ex ipſa analytica diſciplina affirmamus, qua vetat* μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος *& vagari extra orbem illius ſcientiæ de qua diſſerendum ſuſceperis. Porro cum Theologia ſit ſupra omnes ſcientias, eam ſubjici principiis Philoſophicis non ineptum modo verum etiam iniquiſſimum eſt atque indigniſſimum.* Tantum abeſt ut

Chryſoſt. in Pſ. XI. & in Geneſ. Hom. XXI.

ex Scriptura etiam quæ neceſſaria ſunt, lumen non accipere non ſolum non poſſint ſed & ex Philoſophia illud expectare debeant. *Nec enim opus habere divinam Scripturam humana ſapientia rectè*, ex Sadeelis judicio, *dixit Chryſoſtomus, qui etiam ait Magnum eſſe periculum*

res

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

res fidei committere humanis rationibus. In Scriptura Sacra enim, Auguſtino teſte, *quid tenendum & quid fugiendum ſit, plenè invenitur.* Ut autem agnoſcat Medicus quantum differat à viris Theologis, unum adhuc audiat Muſculum graviter hoc negotium & pie pertractantem. *Quid ergo, ait, hic relinquitur viribus rationis in cognoſcendis rebus Chriſtianæ fidei? ſcilicet duobus verbis, velut fulminibus, proſternitur omnis conatus ſapientum hujus mundi in rebus Dei. Nec poteſt, inquit, cognoſcere. Ergo ubi animalis homo conatur ad cognitionem pertingere regni Chriſti, fruſtra laborat, ubi de rebus Spiritus diſputat, garrit, ubi pronunciat, mentitur, ubi in religione ſtatuit, temerarius èſt, ubi docet, ſeducit, ubi ſectatores reperit, perdit. Quare? quia non poteſt cognoſcere. Quid igitur expectabimus in fidei Chriſtianæ negotio deciſionem animalium?* Hæc in Velthuſio vera eſſe, vereor ne nimis aperte videat lector, qui pius eſt. *Quia ergo intellectus noſter natura ſua ſicci luminis non eſt: & præterea tot præjudiciis & erroribus ex ſingulari diſpoſitione eſt irretitus; quid aliud eſt rationis naturalis* (& illa, in tam multis, juxta Velthuſium *principii* vices obtinet) *niſus, in religionis negotio, quam religioſa quædam inſania, imò verius irreligioſa ſtultitia, & rationale delirium. Et quoniam hic de cognitione eorum quæ ſunt Spiritus Dei loquitur, ſpiritaliter res divinas cognoſcere, eſt eas cognoſcere judicio, ductu, & illuminatione Sp. ſicut animaliter cognoſcere, eſt NB ex judicio rationis cognoſcere. Idem ergo eſt ac ſi diceret, animalis homo non poteſt cognoſcere ea quæ ſunt Sp. Dei, quoniam non animaliter NB & cum judicio rationis dijudicantur, ſed ex inſtinctu, judicio, ductuque Spiritus. Et hoc verbo in loco utitur, ut indagationes & ſcrutinia Philoſophorum traducat & rejiciat, doceatque impoſſibile eſſe ut hac via perveniatur ad cognitionem eorum quæ ſunt Spiritus Dei, eo quod illa non rationis ſed Sp. Dei judicio & ſcrutinio cognoſcantur.* Video ex Socinianorum lacunis hauſtam exceptionem nobis obtrudi à Medico, ut ſic vis iſtorum locorum enervetur & Reformatorum tela irrita ſint adverſus Peſtilentiſſimam

Muſcul. ad 1 Cor. 11. p. 73.

Heidanus L. c. Diſp. III. §. 8.

Muſcul. L. c.

mam

mam Hæreſin Socini & Pelagii. Objicit ſibi locum 1. Cor. 1. 19. 26. & Reſpondet, *id intelligendum tantum de præjudiciis, non de vera cognitione*, notandum autem 1. hominem hic ex profeſſo agere adverſus Reformatos, qui paſſim, juxta alia, etiam hoc loco, adverſus Socinianos pugnant & Pelagianos, videſis Epiſcopium aliosque, ipſe Paradoxus, quem refutare videri vult Medicus, agit cum adverſariis adverſus Orthodoxos, hi enim ſoli ex hiſce & ſimilibus rationis humanæ naturæ probant ineptitudinem ad percipienda dijudicandaque ea quæ religionem Chriſtianam ſpectant. 2. Subdolè agit, dum, reticens optima noſtrorum argumenta ex locis magis emphaticis deſumta, hoc unicè vellicat. 3. Re ipſa idem ſtatuit cum adverſariis, imo cum Paradoxo exercitatore, eo enim utriuſque redit evaſio, ut negent, hic in veræ ſapientiæ præjudicium ſtatui quicquam. Sic Paradoxus, *Apoſtolum non ſapientiam veram, ſed apparentem deſignare patet ex ſcopo. de Præjudiciis, non de vera cognitione*, dixit Velthuiſen, ſic bene inter ipſos convenit dum rixari videri volunt. 4. Nullo modo probat quod dicit; verum eſt, prejudiciis multos tranſverſos agi, veram ſapientiam nullibi rejectam eſſe in ſacris: propterea & magni eam facimus, ſed in ſuo genere, præterquam enim, quod fruſtra plerumque vera prætexatur & jactetur ſapientia, *non poſſumus non præjudiciis à veri cognitione*, Heidano judice, *averti, donec ab illo illuminemur qui eſt lux mundi.* Sapiat, quantum poteſt homo, naturaliter, aptus nondum eſt, imo ineptus, qui ſalutis doctrinam ritè percipiat, niſi intus facultas ipſius, indito novo lumine, relevetur & ad percipienda quæ ſunt Spiritus Dei adaptetur, hoc volunt noſtri, hoc docet Apoſtolus. *Hic per ſapientiam intelligit Apoſtolus quicquid comprehendere poteſt homo tam naturali ingenii facultate quam uſu & literis atque artium ſcientia adjutus: nam mundi ſapientiam Spiritus ſapientiæ opponit, proinde quicquid intel-*

[Margin: Epiſcop. Not. in Matth. XI. 25. Op. T. II. part. I. p. 66. & adv. Camer. Reſp. Cap. VII. Parad. Cap. VII. §. 3.]

[Margin: Calvin. in 1 Cor. 1. 20.]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

intelligentiæ in hominem cadit abſque Spiritus ſancti illuſtratione, id ſub mundi ſapientia continetur. Eam totam dicit infatuatam eſſe à Deo, hoc eſt damnatam ſtultitiæ. Interim tamen notandum eſt quod non ſimpliciter damnat Paulus aut naturalem perſpicaciam hominis, aut prudentiam uſu & experientia collectam, aut cultum ingenii literis comparatum, ſed hoc totum NB *ad percipiendam ſpiritualem ſapientiam nullius momenti eſſe aſſerit.* Sic Calvinus, ita ut merito & hunc locum non Theologaſtris tantum, ſed etiam graviſſimis Theologis paſſim in ore eſſe dicere potuiſſet Paradoxus, nec facilè eorum vim Medicaſter quis evitabit aut Philoſophaſter. Nec eſt quod miremur, *Carnis enim ſapientia, inquit Paulus,* ſic notæ, quæ in Bibliis Junii & Tremellii, *nihil certi, ne in ſuis quidem rebus conſtituit, nedum ut aliena id eſt ſpiritualia diſcernat. Homines etiam in ſuis naturalibus, non ſunt præditi ea facultate, qua res ſpirituales dignoſcuntur (quæ facultas eſt adventitia) perinde eſt ac ſi diceret, mirum non eſſe cæcos non judicare de coloribus, quum oculorum luce careant, ac proinde lux ſit illis pro tenebris.* Bezæ ſunt verba. Et revera non multum eſt quod ex natura diſcimus, ut eo ad tanta percipienda capaces reddi poſſe nos ullo modo credendum putem, *Humana ſapientia enim, quod, ad cognoſcendum Deum, etiam per creaturas, ob vitiatam naturam, parum idonea ſit, citra controverſiam eſt,* teſte Muſculo. Exultet in Utopia, noſter Medico Philoſophus, & multa de imaginaria veræ ſapientiæ ubertate, cui & ipſa Scriptura tantum debeat, ut ne quidem in neceſſariis ad ſalutem clare ſatis inſtruat, niſi adjutrice Diva Philoſophia. O craſſum Socinianiſmum! Mitto blaſphemiam, nec enim refutatione eget, ſic Medicus: *Philoſophia in multis principium eſt, & tantum talemque uſum præſtat ad aſſequendum quid Spiritus S. loquatur & doceat in Scriptura, ut quo quis*

Cap. VII §. 4.

Beza ad 1 Cor. II.

ad 1. Cor. 1. 21. cit. Marlorato.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

quis magis artibus &c. Multoque is felicior erit in Scripturæ interpretatione, compendioſioremque inibit rationem, quam is qui deſtitutus talium artium & diſciplinarum idonea cognitione, omnia ex Scripturæ revelatione eruere nititur. Idque etiam in neceſſariis & fundamentalibus, ſunt enim loca quæ *tractant res momentoſas & forte neceſſarias ad ſalutem, tamen obſcuriſſima ſunt, & ex Scriptura* (en craſſiſſimum Papiſtam!) *lumen accipere non poſſunt.* Quos tandem in ſinu fovebit errores Eccleſia, quas feret blaſphemias? ô tempora! Utinam videant quibus cordi veritas & expergiſcant.

Theſis 5. 5. Quintum, quod Reformatorum mentem emphatice explicat, eſt, quod ne quidem piis & qui jam à Spiritu S. illuminati ſunt & lumine interno donati, vel ad minimum verè ſpiritualis intellectionis actum ſufficere doceant, niſi, præter continuam, habitualis illius gratiæ potentem & gratioſam conſervationem, novo ad ſingulos actus influxu ſeu afflatu excitentur, quo actum intellectionis eliciant. Nihil, ſi de providentia, de gratia, de hominis dependentia Reformatorum ſententiam ritè perpenderis, magis indubitatum eſſe poteſt. Sed antea hac de re ſufficienter egimus. *Notandum,* inquit Cartwrightus, inter recentiorum Interpretum principes à Polyandro collocatus, cui conſentiebat Heereboordius, qui exactum ejus ingenium, ſubactum judicium, & ſingularem in S. S. ſenſu eruendo dexteritatem magnis laudibus efferendam cenſuit, *Notandum,* inquit ille, *non tantum cæcos & infideles myſteria regni non percipere ſine Sp. operatione, ſed ne pios quidem ipſos, quamtumvis Spiritu Sancto imbutos, eoque opus habere Dei Spiritum ſuppliciter petere, niſi velint inanes à concionibus redire: quod ut hoc loco, ſic etiam ſæpe in Apoſtolis experti ſumus: nam niſi adſit Spriritus, Scripturæ utcunque explicatæ veluti clauſus & obſignatus liber ſunt. Sic & Apoſtoli ab optimo quidem magi-*

Polyander in Præfat Comment. Cartwr. in Proverb. in Dedicat. Harmon. Harmon. Euang. ad Luc XXIV 45. Calvin. Inſtit. L. II. C. 2. §. 21.

magiſtro ritè & abundè docti fuerant: niſi tamen indigerent Spiritu veritatis qui eorum mentes hac ipſa doctrina, quam ante audierant, erudiret, non ullum expectare juberentur. Si quod petimus à Deo: deeſſe nobis confitemur, & ipſe in eo quod promittit, noſtram arguit inopiam: nemo jam fateri dubitet ſe tantum ad intelligenda Dei myſteria valere, quantum ejus gratia fuerit illuminatus. Qui ſibi plus intelligentiæ tribuit, eo cæcior eſt &c.

6. Inde eſt quod tam prolixè in hoc negotio commendent preces & ſuſpiria ad implorandam Sp. S. illuminationem & revelationem. *Duo* quidem *ad rectè intelligendas S. S. ſummè ſunt neceſſaria: Oratio & Meditatio: & magis tamen oratio valet quam ſtudium. Nemo enim prophetias intelligere poteſt abſque Spiritu quo ſunt inſpiratæ. Hinc tantum quiſque de ſenſu ſcript. S. aſſequitur, quantum de Spiritu, qui eas inſpiravit, participat. Tantum vero de Sp. participat, quantum ejus à Deo impetrat. Tantum vero ejus à Deo impetrat, quantum precibus ad Deum ardenter invigilat. Hæc unica hodie tot diſſenſionum,* (audiat hæc Velthuiſen, cum ſuis Philoſophaſtris) *eſt cauſa circa Scripturarum ſenſus, quod plerique interpretes vel orando vel meditando vel utroque deficiunt. Huc facit, quod cum Deus ipſe ſit interpres verborum ſuorum, non poteſt quis ad eorum ſenſum attingere, quem ille non manu ducit. Proinde neceſſarium eſt, ut qui huic ſtudio ſe applicat per orationem ad Deum accedat. Si ergo à Dei Spiritu propriè diſcere debemus, quæ ſit mens Domini, maxima erit temeritas, ſi quis lege & voluntate Dei contemta, putet ſibi diligentiam & induſtriam ſuam ſufficere.* Sic omnes Reformati. Quid autem Wolzogium moverit, ut, ubi preces præcipuè commendandæ erant, earum nullam ferè mentionem faciat ullibi, conjectu difficil'e videtur, niſi Spiritus auxilio non ſemper, non tantopere nos egere putet, aut forſan nimis tritum

Theſis 6.

Paræus in Proœm. ad 1 Cor.

Rivetus Iſagoge ad Scr. S. Cap. XVIII. §. 3

preces commendare & pietatis exercitia Quia eo jam delabimur, non poſſum non exſcribere, quæ alibi habet Biſterfeldius. *Oratio*, ait ille, (*hic*) *eſt religioſa voluntatis noſtræ coram Deo repræſentatio, ut nobis Spiritum ſuum ſanctum largiatur.* Matt. VII. 7. *Luc.* XI. 9. *Jac.* I. 5. *Pſ.* LI. 12. 13. CXLIII. 10. *Hæc eſt certiſſima panacea & panchreſtum, quo omnes animi morbi curantur: inſtructiſſimum armamentarium, quo omnia impedimenta removentur, omniaque inſtrumenta ac media procurantur; accommodatiſſimum vas quo Aqua illa viva, Spiritus S. hauritur ac retinetur. Joh.* IV. 10. 14. *Unde pius ſacrarum literarum ſtudioſus* NB *plus orando quam meditando proficit. Complectitur autem hæc oratio deprecationem, ut Sp. S. ineptitudinem noſtram tollat & facultates noſtras reformet ac transformet; petitionem, ut eaſdem conformet, informet ac præformet: ac gratiarum actionem, ut pro ſenſu uſuque nobis conceſſo Deum laudemus. Eph.* VI. 18. *Huic orationi opponitur precum neglectus, quo quis vel plane non orat, vel non eo modo graduque quo oportebat; quod peccatum eſt fons omnis incogitantiæ, ignorantiæ, nequitiæ & inertiæ. Tentatio, quæ eſt hominis fidelis externarum internarumque afflictionum Spiritus igne, facta probatio.* I. *Petr.* I. 6. *Jac.* I. 2. *inſignem vim habet in germano Scripturæ ſenſu, vivoque ejus uſu eruendo. Congruus etiam requiritur interpretantis ſtatus, qui eſt religioſa, adeoque omnimoda & omnigena, totius hominis ad ſacrarum literarum ſtudium, applicatio.* Joh. Hulſemannus Theologus Lutheranus, tanti, in hoc negotio, hoc exercitium pietatis fecit, ut de ſtudio Theologico agens, ex profeſſo doceat, quid Oratia iſta, quanta ejus neceſſitas, quodnam ei tempus commodum. Optimam precandi rationem eſſe quam hic & nunc Sp. S. ex verbo Dei homini in memoriam revocat, aut indit. Statam autem ſi quis deſideret, refert, inter alias formulas, hanc Thomæ Aquin. ex Caſſandro, cujus

[Margin: Biſterfeld. de Script. Emin. §. XVIII.]

[Margin: §. XIX.]

[Margin: Joh. Hulſemann. de Studio Theol. p. 274 & ſeqq.]

cujus hic majorem partem inſerere lubuit. O *Benigniſſime Pater, Creator ineffabilis, qui verus fons & luminis & ſapientiæ, ego indigus peccator tibi ſupplico devotus digneris diffundere ſuper intellectus mei tenebras claritatis tuæ radium, & duplicem in qua nati ſumus removere privationem, peccatum ſc. & ignorantiam* ---- O *Sp. Sancte Deus, dator munerum, da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, introſpectandi ſubtilitatem, addiſcendi facultatem &c.* imo inquit in margine Hulſemannus *Oratio eſt ipſum ſtudium Theologicum.* Pientiſſimam hac de re qui velit inſtructionem, Zanchium adeat, Polanum, alioſque, imo vix ullus, qui, etſi in tranſitu ſolum & breviſſimè Script. tractet interpretationem, preces non laudet & efferat, vide inter alios Venerandum Præceptorem meum Eſſenium; Wolzogen nihilominus, in earum commendatione ita parcus eſt, ut, dum integrum de ea materia tractatum ſcribit, earum vix ullam mentionem injiciat. Quantopere, huic labori intentus dum erat, orationi incubuerit, ſi quis hinc colligat, næ ille parum de Wolzogiana præſumet pietate.

Hactenus, me non tam rationes quam quidem authoritates adhibuiſſe lubens fateor, nec etiam unicè de veritate diſceptamus ſed & cum veritate, Reformatorum genuinus ſenſus inveſtigandus erat, ſimulque quam parum Wolzogio cum iis conveniat, quam perſpicuè omnia, quæ hanc cauſam ſpectant, à Viris Doctiſſimis jam ante nos pertractata fuerint demonſtrandum; eorum præcipue gratia, qui dum authorum lectionem vituperari audiunt, poſtquam ſuis aut præceptorum ſuorum meditationibus & inſtitutionibus nimium indulſerunt, ſe ſolos ſapere & jam demum exortam lucem eſſe, ſuaviter ſomniant, ſupina interim ignorantiâ, eorum quæ ſummi viri tradiderunt ſcriptorum monumenta, fædum in modum laborantes. Argumenta autem, quæ in- Rationes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Ameſ. Aſſert. de Lum. Nat. & Grat.

fuſum illud probent novum lumen, multa ſatis habent & ſolida noſtri. *Lumen hoc ſpirituale neceſſarium eſſe contendimus* 1. *quia nihil agit ultra ſuum genus; atque adeo naturale lumen intellectus, nullam proportionem idoneam habet ad ſpirituale objectum. Ratio enim humana*, aut intellectus humanus, verba ſunt Muſculi, *in cauſa regni Dei non eſt id, quod in oculis corporis eſt facultas videndi: cui ſatis eſt ſi lux externa offeratur... At ratio in cauſa religionis cæca eſt ut ad objecta Euangelicæ lucis magis ſtupeat, niſi per operationem Spiritus Sancti aperiatur, hinc eſt quod nemo* NB *minus eſt lucis Chriſti capax, quam qui ſunt in hoc mundo ſapientes ac prudentes. Hic autem Spiritus*, ſic Mareſius, *qui lumen illud fidei accendit in mentibus noſtris, abſque quo tam impoſſibile eſt nos aſſentiri principiis fidei ſupernaturalibus, quam impoſſibile eſt bruta ratione deſtituta aſſentiri principiis naturalibus (quo ſimili etiam utitur Bellarm. Conc. de Lum. fidei) non eſt privatus Sp. ſed communis omnium fidelium Rom.* VIII. 8. 1 *Cor.* II, 12. 1 *Joh.* II. 20..... *nominatim* 1 *Cor.* II. 15. *ubi Tirinus per ſpiritualem hominem intelligit eum, qui per internum lumen fidei à Sp. S. ſibi infuſum, capit, intelligit, judicat, dijudicat omnia.* Accurate illa explicat Strangius, ſic ille *Cæcitas & excæcatio propriè dicuntur de oculis corporeis, & metaphoricè tranſferuntur ad mentem ſeu facultatem intellectivam quæ eſt quaſi oculus animæ. Ad viſum requiritur & lumen internum oculis inſitum, & externum à lucido corpore promanans. Cæcitas eſt privatio luminis interni. Cui lumen deeſt externum, privatur quidem actu videndi, cui vero internum deeſt, privatur potentia videndi, quantum ad organum ſpectat.* Sic ex naturali cæcitate & ineptitudine infuſi luminis neceſſitatem probat vir Doctiſſimus. 2. Alterum ex adventitia deducitur excæcatione, quam probè à naturali diſtinguendam docet Strangius loco citato, ſic autem Ameſius: ſecundo inquit, *quia obſcuritas magna-*

Muſcul. in Jeſ. XLII. p. 597. & 598.

Mareſ. Anti-Tirin. Tom. I. Contiov. II. ad n. 14.

Strangius de Volunt. & Action. Dei L IV. Cap. VIII.

na tam privationis, quam perverſitatis acceſſit ad naturalem illum defectum, ἐσκοτισμένοι ἐν τῇ διανοίᾳ, ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ διὰ τὴν ἄγνοιαν τὴν οὖσαν ἐν αὐτοῖς. *Eph.* IV. 18. & V. 8. 3. *quia Scriptura apertis verbis teſtatur, apertionem cordis* (τότε διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν τοῦ συνιέναι τὰς γραφάς. *Luc.* XXIV. 25.) *ſpiritum revelationis Eph.* I. 17. *& novum quendam intellectum à Deo donatum* (νόει ἃ λέγω, inquit Paulus Timotheo 2. Eph. II. 7. δώῃ γὰρ σοὶ ὁ κύριος σύνεσιν ἐν πᾶσι) *omnino neceſſaria eſſe, etiam* NB *præter & ultra patefactionem illam* Calvin.
objecti quæ in verbo fit. Huc reſpicit Calvinus quando ad 2 Cor.
duplicem illuminationem ab Apoſtolo poni dicit, IV. 6.
unam Euangelii, alteram arcanam. Ideoque recta ad Hebr.
Dei cognitio, ſapientia, ipſi eſt, *quæ humani ingenii* VIII. 11.
captum longè ſuperat: quamque ideo adipiſci nemo poteſt Confer
niſi arcana Spiritus revelatione. Non vult ſolum men- ad Jeſ.
tem noſtram novi infuſione luminis elevari, ſed & XXIX. 24.
intellectui ſic capaci, rem iſtam à Spiritu indi, idem, L. IX. 21.
quod in Scriptura eſt, objectum immediatè repræſen- Inſtit.
tari, quod probè notandum, & ad præcedentem quæ- L. II.
ſtionem ſpectat. Huc ea quæ Muſculus alibi: *Dei cognitio,* Cap. II.
inquit, *quæ per exercitium Scripturarum eſt tantum, ſine* §. 20.
ſingulari revelatione magis opinio eſt quam ſcientia. Muſculus ad
4. Quia hoc Sanctos obteſtari & ſupplicare Deum 1 Cor. II.
videmus Pſ. CXIX. 18. 27. 73. &c. *Quas preces nefa-* p. 65.
riè illi abrogant, qui luminis hujus interni abolent neceſſitatem, multo magis, qui omnem ejus negat exiſtentiam. 5. *Huc accedit etiam, quod contra-ſentientes, tam fidei quam reſipiſcentiæ, & obedientiæ originem in ipſa natura, neceſſe eſt ut collocent: Nam objecti lumen nihil huc adferre poteſt, priuſquam recipiatur &*
actu fiat ἔμφυλον, *receptionem vero naturæ acceptam* Rhetorfort.
referre neceſſe habent, ſi (quod faciunt) naturalem in- Examen
tellectum harum rerum capaces ſatis ſtatuant. 6. *Si non* Armi-
opus ſit ſuperinfuſo lumine facultati intellectivæ, ſed nianiſmi
ſufficeret tantum clara veritatis propoſitio, ut ajunt in p. 86.

 ſcript.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſcript. Synod. Art. 3 & 4. p. 164. Remonſtrantes, ad intelligendas Scripturas; non magis animalis homo cæcutiret in capiendis myſteriis Regni Dei, quam rudis diſcipulus in capiendis Acroamaticis, & diſputationibus Metaphyſicis & Logicis Ariſtotelis; & ad diſcendum Organon Ariſtotelis opus eſſet unctione Chriſti, & collyrio Sp S. & Spiritu ſapientiæ & revelationis. Nam in his maximè opus eſt clara veritatis propoſitione. 7. *Quia tota corruptio in voluntate eſt à mentis obſcuratione; & ſi hæc obſcuratio non ſit tanta, ut opus ſit ſuperinfuſo lumine Dei; jam animalis homo poterit non tantum capere; ſed etiam rectè dijudicare, probare, velle & facere, quæ ſunt Spiritus Dei.* 8. Conſideretur modo mortis & cæcitatis ſpiritualis natura. Mors certè & cæcitas abſque indito lumine non pelluntur. 9. Et revera vis illa Dei qua regeneratio perficitur & nova creatio, fruſtra tantopere à ſacris ſcriptoribus prædicaretur, imo fruſtra regenerationis, ſtruſtra creationis nomine exprimeretur, niſi novæ cujuſdam vitæ novi motus, principii, includeret productionem, quæ reſpectu intellectus infuſum merito appellamus lumen, & inditum : ------- 10. Denique nullum lumen, qualitas, potentia, *facultas, ut ita loquar, nulla in intellectum ſi infundatur, neceſſe eſt, ſuperſit potentia credendi in homine naturali, modo adſit Gratia Pelagii, objecti propoſitio: Quaſcunque enim excitationes aut incitationes tandem fingas, niſi infuſam gratiam lumenque ſtatuas, credendi, ut intelligendi potentiam, homini corrupto, reliquam fingis neceſcariò.* Non video quid dictis objici queat à Wolzogio niſi palam noſtra caſtra deſerens, ad gratiæ ſimul & Eccleſiæ Orthodoxæ tranſeat adverſarios. Quod ſcrupulum aliquem injicere lectori poſſet hiſce tribus complectar.

Objectiones Wolzogii. Obj, 1.

1. Primum erit, Wolzogium Heterodoxias non ſatis prægnantes ob rationes accuſari in hoc negotio, eum diverſis locis ſimile quid docere. Verum Re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſpondeo 1. Me Wolzogio de profeſſa orthodoxia libenter gratulaturum, ſi aliquando palam eam profiteatur & explicatè, tantum enim ad minimum, jam ſuperius dicta, efficient, ut, niſi manifeſtiſſimè ſeſe explicet & ſententiam ſumma cum claritate proponat, merito ſuſpicione gravandus ſit porro. 2. Nego ex Wolzogii iſto ſcripto quicquam produci poſſe, cui non ſimile quid, imo quo non magis, ſaltem æque, emphaticum quid invenias, apud profeſſos Eccleſiæ ſimul & gratiæ hoſtes. Ipſi Sociniani proteſtantur injuriam ſibi fieri, *rationis abſque divina illuſtratione ineptitudinem* non agnoſcere ſi dicantur. Nullibi Wolzogius tam exertè, tam ſignatè precibus commendandis incumbit, toto hæc tractatu, ac quidem ſupra nominatus Joh. Stoinſki, qui peſtilentiſſimo, Socianorum Crelli & Schlightingii commentariorum operi binis voluminibus in folio edito, Epiſtolam præmiſit Liminarem; ſic ille, poſtquam plurima in Scripturam interpretaturo requiſiverat, ſubdit, ſpecioſè ſatis, *niſi aſſiduis & ardentibus precibus auxilium cælitus impetret, vix eſt, cur ſibi eam, de qua loquimur, dexteritatem, pollicere audeat. Nec plus ſibi tribuat, quam ei divina benignitas largita eſt.* & pag. ſeq. de *Spiritu* loquitur *qui penetralia S. paginæ introſpicit.* Crellius explicans quid ſit homo ſpiritualis, *eſt*, inquit, *qui non ſolum Spiritu Dei præditus eſt, ſed etiam ejus ductum ſequitur, & à Spiritu iſto totus pendet*, & alibi, *Spiritus Dei ab ipſo promanat & influit in homines.* Quorum unum tamen infundi nobis & indi qualitates quaſdam negantem audivimus antea, alter *peculiare aliquod donum infundi* negat. De Jona Schlightingio refertur, eum ad calcem Comment. in Epiſt. ad Philemona, hæc verba ſcripſiſſe. *Finivi per eandem Domini noſtri Jeſu Chriſti gratiam, quæ cum Spiritu meo fuit. Ardentiſſimas etiam preces* requirit Brenius homo Socinianus, *& men-*

Smalc. Refut. Frantz. in Præfat. Joh. Stoinſki Epiſt. Liminari ad Crell. & Schlighting. Comment. Crellius ad 1 Cor. 11. 15. operis Citati Tom. 1. fol. 258. a. ad verſ. 10. fol. 256. b. ad Eph. 1. 17. fol 476. a Lubienecius in Epiſt. de Vita & morte Schlighting. & Operis Citati Tom. 2. fol. 294. b Brenius in Intreduct.

 men-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ad Annot. in V. & N. T. ad 1 Cor. 11.14 ad Eph. 1.17

mentem à Spiritu illuſtratam demum *approbare ſpiritualem Chriſti doctrinam.* Jmo *Spiritum qui impertitur* nobis, *revelatorem vocat cæleſtis ſapientiæ.* Velthuſius, qui infuſum iſtud lumen negat non ſolum, ſed tanto molimine oppugnat, nihilominus alicubi etiam Spiritui aliquid defert. Quapropter juſta ſuſpicio, ſic nondum prudentiorum animis eximetur, præſertim cum Velthuſii Orthodoxiam predicet tantopere Wolzogen. 3. repetantur ea quæ ante ad ſimilem exceptionem dixi.

Obj. 2.

2. Secundum quod obtendi poſſet, eſt, providam adverſus Enthuſiaſmum curam anxios reddidiſſe Wolzogium & Velthuſium, ſc. ne Enthuſiaſtæ etiam audiant, quos tam longe à ſuperſtitione animi & animarum tyrannide abeſſe audivimus. Evenit noſtro Medico quod ſæpius Circumforaneis erronibus & artis Medicæ ignaris agyrtis, qui humores expellere dum ſatagunt, nimis vehemente purgatione, cum fæcibus ſimul vitam abigunt: aut venæſectione pletoræ aut corruptioni aut nimiæ fermentationi ſanguinis quaſi opem laturi, nimia exinanitione ſpiritus ſimul omnes vireſque ægroto ſubtrahunt, eumque placida quidem at certa necant morte. Hinc nullibi aut in Paſtore aut in Seniore concitatiorem offendas animum, affectus vehementiores quam ubi ad Enthuſiaſtas ventum eſt, confer quæ ea de re dixi antea. Hypochondriacos autem ita excipit Medicus ut contagio neſcio quo præ nimio calore & particularum motu caput ipſi affectum & lolliginis ſuccum, jam non in Hypochondriis ſubſidentem, ſed cerebrum verſus præ nimia crebraque minimarum particularum agitatione & affectuum quaſi vortice quodam, raptos & delatos verear. Quotieſcunque Paſtores eorumque *de docendi munere ſpeciali prærogativâ ſibi demandato jactantiam* videt, parum à rabie abeſſe videtur, gratulor mihi quod tam longè remotus ab

Velth. lib. Cit. p. 72. Wolz. p. p. 72. p. 73. p. 137.

ipſius

ipſius vivam morſibus. Eadem cura jam dudum vexavit Remonſtrantium, Socinianorum, Mundanorum, etiam Prophanorum & Libertinorum animos, antea jam id probatum dedimus. Appoſitè Tuiſſus. *Hactenus obſtupui ad dilutam illam aſſiſtentiæ Spiritus explicationem quam verbo tribuunt iſti Theologi; nunc tandem aliquando myſteria ſua recondita produnt; nempe ne motus aliquos Enthuſiaſticos introducant, ideo ſibi cavent, & lectoribus ſuis cautum eſſe volunt, ne aliam aſſiſtenti Spiritui operationem tribuant, quam quod ſenſum verbi mentibus hominum imprimat; quod tamen ſi Spiritu tribuendum ſit, etiam in omnibus Gentilium declamationibus Panegyricis locum habebit, etiam in ipſis Diaboli ſuggeſtionibus; ut videas lector (quod & diligenter advertas velim) quam ſplendidè ſe gerant & magnificè; dum aſſiſtentiam Spiritus amplificant, nihilo tamen efficacius ſeſe exerentem in Euangelio, quam in moralibus Ethnicorum inſtitutis, in orationibus Panegyricis, in ipſis Diaboli ſuggeſtionibus. --- Ne ſcilicet alias Enthuſiaſtici neſcio qui motus introducantur. Nec tamen cooperationem Spiritus ad actum fidei puto pro motu habent Enthuſiaſtico. Et cur quæſo determinationem Sp. ad actum fidei*, addo ego illuminationem internam & determinationem ad intellectionis unumquemque actum, *& converſionem motum aliquem Enthuſiaſticum eſſe volunt, potius quam cooperationem?* Sed de Enthuſiaſmo antea actum eſt.

Tuiſſ. c. Corv. p. 386. a.

3. Tertium eſt, argumentorum illa, tam ſolide & firmiter concatenata ſeries & copia, quam ita largitur profudit Medicus. Verè de eo dicitur, quod in Paradoxo notat Celeberr. Mareſius, *pari loco habet ſcientiam Philoſophicam & fidem, lumen naturale & revelatum.* Hæc Theſis eſt: *neque illa cognitio*, loquitur de naturali, *eſt aliud genus luminis, quam illius cujus eſt cognitio rerum ſpiritualium,* Vis rationem? ſic pro ſua nova Methodo Medicus *nulla ratione aliter*

Obj. 3. Mareſ. Diſp. c. Parad. 1. §. XVI.

Velthuiſ. de uſu Rat. p. 8 9.

con-

concipere licet. Ita ſolet plerumque argumentari, & fungi tales dantur, qui nec Philoſophos nec Theologos genuinos unquam legerunt, quibus interim oracula fundere videtur iſte, magnus ſc. Philoſophus. Sed pergat. *Nam quandoquidem hic ſermo eſt de cognitione vera, nulla ratione concipere licet; quomodo cognitio alicujus rei vera, poſſit eſſe tenebræ:* at bone vir quis unquam ullam cognitionem veram, aut abſolute, aut in quantum vera eſt, tenebras dixit? nemo tam bardus eſt, quanquam tacitè aliis tantam ſtupiditatem imputare ſtudeas. An neſcis diſtinguere genus à genere, ſpirituale à naturali, regenitum ab irregenito? an non poteſt eſſe, vera rerum naturalium, terrenorum, quædam cognitio, qua non obſtante, reſpectu ſpiritualium, ſpiritualis quo ea concipiuntur modi homo ejuſque intel-
Eph.v.4. lectus dicantur tenebræ? & mente excæcati? quaſi
IV.18. naturaliter vivens, ſpiritualiter mortuus & à vita Dei alienatus dici, nequeat? quaſi quædam naturalia, terrena dicit Velthuiſen, verè per naturam cognoſcentes, mentè excæcati dici non poſſint? Verum falleris vehementer, aut Epheſii omni modo mortui, eorumque Doctiſſimi omni modo amentes, ex tua ſententia fuerunt ante converſionem: erant enim, Apoſtolo judice, non obſtante vita naturali mortui ſpiritualiter, & non obſtante etiam vera quorundam terrenorum cognitione, olim mente excæcati, imo tenebræ. Quorſum igitur hæc verba, ſc. ut ne alia, præter τὸ, non licet concipere, deſit ratio: *cum utraque cognitio tam ſpiritualium quam rerum terrenarum ſit à Deo, ſit veritas, ſit regula ad quam homines rectè vitam ſuam componunt &c.* quid inde? nihil aliud, quam, quod naturaliter verum eſt illud revera verum eſſe & merito pro vero haberi. At longe aliud quid hinc extundet Medicus. *Propter eaſdem,* inquit, *rationes unum tantum luminis genus*

mente

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

mente concipere licet. Niſi lapidem Philoſophorum inveniſſes, procul dubio fugerent te iſtiuſmodi proceſſus. Quis vortex te circumagit? an forſan Saturni ſit, an alterius erratici ſyderis, dicant, qui vorticum tuorum norunt gyros, *Utraque cognitio à Deo eſt*, in quantum vera eſt, concedo; *utraque veritas*, in quantum a Deo, concedo; *utraque vitæ regula*, in quantum vera & juſta, concedo; quid autem jam porro? *ergo tantum unum genus luminis*, utrumque à Deo ergo utrumque idem: Weigelium legiſti procul dubio. Homo eſt à Deo, beſtia eſt à Deo, ergo unum & idem &c. ſic fere inſanus ille Enthuſiaſta. Sumamus *objecta* ſcientiæ humanæ, tam terrena, quam celeſtia, & videamus quid ex tuis fundamentis de iis concludendum ſit, utraque à Deo, utraque vera &c. ergo tantum *unum genus objectorum*: egregie! ſic omnia idem, quia à Deo, modo vera. Conveniunt fateor in aliquo tertio, ſc. quod utrumque lumen, lumen ſit. Sic forſan aliquo reſpectu, ejuſdem generis, dici poſſent. At quæ in aliquo ſuperiori genere, quodam reſpectu, conveniunt, ea nihilominus, ſi deſcendamus paulò inferius, toto genere differre poſſunt. In genere entis conveniunt Deus & homo, vermis & Angelus, quæ tamen genere differre, non negabit niſi inſanus. Vel ſi ita placet, ſufficiet dixiſſe quod ſpecie differat à naturali, de quo diſputamus, habituale, infuſum lumen. Candide profiteris D. Doctor te ne tanti quidem facere Logicam Peripateticam aut Ramæam, quæ alias, genus ſummum & ſubalternum, aut ſpecies quid ſint, te docuiſſet facili negotio. Reſtat adhuc nodus ſatis durus, ſic pergit, *quibus etiam hoc argumentum addere lubet. Quod, cum cognitio vera ſit adæquatio conceptus, ſive judicii conformitas cum re, de qua conceptus formatur, aut de qua judicatur, tam ineptum & frivolum eſt docere diverſitatem & multitudinem lu-*

mi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

minum, quam diverſitatem adæquationum, aut diverſam, judiciorum confirmitatem cum re, de qua judicium formatum eſt. *Hæc* ſc. *argumenta* iſta ſunt *Apodictica quæ à Theologia aliena eſſe arbitrantur* te Judice Theologi, *quapropter & fruſtra evidentia argumentorum cum iis pugnes.* Rem habet cum Theologis, ideoque argumenta etiam profert non Apodictica, ſic iis morem gerit vir modeſtus & ab argumentis Apodicticis ſibi magno molimine temperat. Et quia fruſtra cum iis evidentibus pugnatur, obſcuris eos aggreditur, ut mirari ſubiret lucis filium, tam denſa caligine circumfuſum, in prælium tanquam in ſcenam prodiiſſe, niſi cum Theologis ipſi rem eſſe, aut potius *ſpiritualibus* quibuſdam *Paſtorculis*, iterato inculcaſſet. Ex ungue Leonem. Hic ſaltem ita clare & diſtinctè ſcribis, ut quid ipſe velis ignoraſſe te putem. *Cognitio vera eſt adæquatio conceptus cum re*, in conceptu autem, ſive apprehenſione ſimplici quoniam etiam rei adæquatio eſſe poſſit, vel non adæquatio, ut ita loquiar, hoc eſt rem per eam repræſentari uti eſt, vel aliter quam eſt, neceſſe eſt etiam in ſimplicem apprehenſionem veritatem cadere & falſitatem, ſi *verum* ſit, quicquid *rei adæquatum* eſt: quod, quo modo rationi congruat nec ne, nunc non determino, ſodalis autem tuus & amicus Joh. de Bruin cum plurimis aliis *in ſimplicium apprehenſione nullum errorem locum habere poſſe*, docet, ergo & nulla veritas, quod tibi adverſatur. Ut autem clare loquaris, duo dicis *adæquationem* ſc. *conceptus, ſive judicii*; quæ ſi diverſa tibi ſignificent, ſequitur, aut apprehenſionem ſimplicem conceptum dici non poſſe, aut in apprehenſionem ſimplicem veritatem cadere & falſitatem, illud contra Etymologiam, hoc contra amicum tuum. Si vero declarativè ſumas pro eodem, tum omnis conceptus adæquatus etiam ſimplex, nam & ille conceptus eſt, actus judicii ſtatuitur, quod abſurdum. Aliud eſt, & magis generale *con-*

[Margin notes: p. 73. — beside "dicticа quæ à Theologia"; Diſp. de Cauſa Erroris §. 2. — beside "docet, ergo & nulla veritas"]

cep-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ceptus, quam judicium, multa enim concipiuntur, de quibus non judicamus. Ut ex hypotheſibus tuis clarè loquaris, dic potius, *adæquatio conceptus complexi & judicii cum re eſt cognitio vera*, hoc eſt vera cognitio eſt vera. Sed tranſeat. Hæc argumenti vis eſt: *ineptum & frivolum eſſe, docere diverſitatem & multitudinem adæquationum, ergo & luminum*. Notandum eſt. 1. Te actualem cognitionem, ipſam intellectionem, mentis iſtum actum, confundere cum ſuo principio. conf. p. 14. Aliud enim eſt mens ab ejus actione; aliud mentis lumen, quod principii qualitatiſve inſtar mentem evehit, elevat &c. aliud actio, intellectio, cognitio, à mente ſive illuminata ſive non illuminatâ elicita. 2. Eandem rem, idem objectum, à diverſis, pro diverſitate recipientium & concipientium, aut potius pro diverſitate principii quo unum eſt receptivum alterius, id eſt, aptitudinem habet rem illam recipiendi ſibique de hac aut illa re conceptum formandi, unde oritur cognitio, diverſas fieri ejuſdem rei repræſentationes ſeu adæquationes & quidem neceſſario. Sic autem ſeſe res habet in hoc negotio, deeſt in uno aptitudo ſubjecti, deeſt qualitas illa ſpiritualis, quæ adeſt in altero, quo poſito, aliter fieri non poteſt, quin alia ſit & alia ejuſdem rei repræſentatio, prout aliter ſubjectum diſpoſitum & aptum vel ineptum eſt, tam quoad aptitudinem & recipiendi principium, quam, exinde reſultantem, diverſum percipiendi modum. Hoc oppugnare debuiſſet, non præterire, non diſſimulare. Quoniam autem Philoſophari lubet Velthuſio, videamus an hanc ſapientiæ Velthuſianæ abyſſum perveſtigare detur. Nunc autem ut ſpecimen habeas tuæ ſoliditatis, videaſque, vires tuæ & molimina quo ſubvertantur, novas machinas non requiri, exſcribam quædam ex Philoſophia Prima Biſterfeldii, quæ ſufficient ad diſpellendas haſce, *de multiplicitate*, ut ita loquar, *adæquationum*, nobis objectas nebulas. Verbi reprehenſionem

Biſterfeld. prima Philoſ. Cap. VI. Reg. V.

ſionem prætermitto, adæquati enim multi non ſunt conceptus, licet veri. Sic ille *omne ens eſt perceptivum, id eſt, omne ens eſt aptum natum, entis ſimilitudinem in ſe habere. Sic quælibet ſubſtantia, etiam inanimata & ſimplex, eſt perceptiva. Quodlibet enim corpus recipit radios ſeu efficacias cujuſlibet corporis, in proportionali ſphæra activitatis ſiti, & quidem tum ſuæ,*
Cap. VI. Reg. II. §.2. & 6. *tum recepti naturæ convenienter --- Quia cognitio, eſt perceptio, & quidem vitalis, neceſſum eſt ut ſit rei, & cognoſcenti & cognoſcendæ, & mutuæ ipſarum habitudini & ſtatui proportionalis, & quia in cognoſcente requiritur proportio, utique entia, in quibus non eſt iſta capacitas, non poſſunt cognoſcere illa quæ vim ſuam excedunt. Ergo ſenſus non cognoſcit ſpirituale; Facultas naturalis non elevata non cognoſcit ſupernaturalia*, nec ſupernaturaliter. Diverſitatem ſubjectivæ diſpoſitionis & principii, quo apti ſumus percipere, docuimus, quam, modi percipiendi, neceſſe eſt, ut ſequatur diverſitas; nec tamen diverſitatem aut multiplicitatem adæquationis videt
p. 9. Medicus. Subdit vero hæc ſequentia. *Et in die quo judicabit Dominus de rebus occultis hominum ex Evangelio ſuo, tunc improbos non alio lumine ſuæ impietatis convincet quam quo ſancti in vita æſtimarunt quid ſui eſſet officii*: 2. Cor. v. 21. Rom. ii. 15. Non percipio ſane quid velis, viſne Deum juxta aliam normam tunc non judicaturum, quam quæ nunc vivendi regula data & aliquatenus conſcientiæ à natura inſculpta eſt? bene habet, concedo: ſed quid hoc ad rhombum, de lumine & diſpoſitione & aptitudine ſubjecti loquimur. Vel an hoc vis, idem lumen, eadem inſita juſti rectique cognitio naturalis, quæ impios tum convincet, piis jam officii index eſt? hoc quidem in tantum verum eſt, in quantum naturalis Synteresis piis æque ac impiis communis eſt. At qui hæc ferient hunc ſcopum? Revera principium petis turpiſſime, hoc enim eſt quod quæritur, an non aliud

ſit in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſit in fidelibus ac in infidelibus lumen, quo hic illuminati illic judicandi erunt. Quod Scripturæ iſta loca attinet, dicis cauſa ea addita videntur, ego ſaltem neſcio quid ex iis extundere velis, unus enim juxta opera, alter ex conſcientiæ teſtimonio, utroſque judicandos aſſerit. Dum autem locum Rom. II. 15. huc pertrahis, præter conſcientiam ut à natura omnibus ineſt gentibus & id quod ea per ſe dictat, nihil admittere videris. Hæ ſunt præmiſſæ, ſic ſonat concluſio. *Propriè itaque loquendo, lumen non eſt varium*, ſc. diſpoſitio, habitus, qualitas ſubjecti, non eſt varia, *licet res, quæ cognoſcuntur, ſint diverſæ, ſpirituales & terrenæ.* Multum largiris, *res ſunt diverſæ*, quis autem ex rerum, quæ menti objiciuntur, diverſitate, unicè aut præcique argumentatus eſt? ſubjecti, diſpoſitionis qualitatiſve diverſitas bene conſiderata, & inde percipiendi varius modus, ea ſunt, quæ luminis diverſitatem requirant & arguant præcipuè, *manente licet eadem formali cognitionis ratione*, quam in convenientia conceptus cum re poſitam dixeras. Eandem angeli ſpeciem recipiebat Aſinus, eandem Bileam, utriuſque receptionis veritas conſiſtebat in convenientia ſpeciei viſibilis cum objecto, nec tamen non differebant ſpecie, utriuſque viſionis & principium & modus. Alias vero, quid ni lumen Diaboli, à lumine fidelium, ab Angelorum, non differet? ubivis enim manet eadem formalis ratio, ſc. conceptus iſta adæquatio &c. *Pariter*, inquis, *non ideo luminis diſcrimen eſt introducendum, quia facultas mediorum eſt diverſa.* Quid audio, media cognitionis acquirendæ, ea & ſuas facultates habent? Quis etiam inde rurſus aut unicè aut præcipuè rationes deducit? Revelari procul dubio quædam potuiſſent, quæ mera naturali, qualem nunc habemus, potentia, abſque ullo ſuperindito principio capere potuiſſet homo pecca- p. 10.

 tor,

tor, non igitur quod revelata ſunt quæ capienda, ſed quod talia revelata quæ abſque eo infuſo habitu recipi nequeant, hoc eſt quod ſtatuunt Reformati, quodque, tam ex ſubjecti, quam objecti conſideratione, abundè probant. Hinc non *mediorum facultas*, quod nihil eſt dicere, ſed recipientis cognoſcentis facultas diverſa eſt, cujus diverſitatem ſequitur modi perceptionis diverſitas: quæ neceſſario luminis habitualis inferunt diverſitatem, imo per ſe ponunt. Nec inficias eo ex propoſitionis diverſitate primario hanc diverſitatem non inferri. *Revelationis* vero *veritatem non aliter quam per artificialia argumenta conſtare poſſe*, ita laxè, falſo dicitur; etenim Deus immediatè aliquid ita revelare poſſet, ut ſtatim, uno obtutu quaſi, conſtaret, iſtud Deum loqui, à Deo dictari. An viſionibus inſpirationibus fidem non niſi artificialibus argumentis permotos adhibuiſſe credis prophetas? Sicuti ſenſibus ſua ſe objecta ita ſæpe ingerunt, ut ex illo attactu ſtatim percipiantur, non implorato artificialium argumentorum ſubſidio, ſic etiam mens aliquando, quid ni affici poſſit, explicet diſputator: ſi verba & quidem ſcripta adhibeantur, medium intervenit quidem artificiale, ſed percepto, per illud medium, eo, quod ſignificare Deus inſtituerat, fides jam non in ſigna ſed authoritatem reſolvitur Dei: obſignatio etiam Spiritus interna, teſtimonium illud de quo Rom. VIII. quibus argumentis artificialibus totum nitatur docere velim. Simile quod fingis non probat, ut notum eſt. Quoniam autem ipſe alibi te refutas; te cum te
p. 42. ipſo committere ſatis erit, ſic enim *Deus multis modis ſuam voluntatem manifeſtavit: --- unus eſt quo* ἀμέσως *mentem hominis inſtruit, & quidem aliquando abſque loquela & ſignis; per ſe in mente hominis excitat cognitionem.* Necdum ſatis argumentorum; pergis, *neque diverſitatam luminis introducit, quod nos aliter*

atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

atque aliter afficimur ex cognitione alicus rei, ſi modo cognitio rei ſit æque clara & evidens. Quid ni addis, modo cognitio ſit eadem? ſic enim poneres quod in quæſtione eſt, à qua abſurditate non longe abes. Deinde aliter & aliter affici ab eadem re duo poſſent, ut toto genere differat ejuſdem rei in uno ab eâ quæ in alio eſt receptio, & ſubjecti recipientis conditio. Lumen profers Solis, ſed radios & calorem emittat in vividam ſimul & aridam, mortuam quam dicimus, arborem, nonne ſpecie differet ejuſdem luminis in hac & in illa receptio. Cæcum ſimul & videndi facultate præditum, idem offendat Solis lumen, cadaver & vivum corpus idem calor, & vide, quanta, ſubjecti recipientis, receptioniſque, apparitura ſit diverſitas. *Cognitio*, ais, *Euangelica eadem eſt, ſive unus ea cognitione imbutus, idem quo ad mores maneat, qui erat ante fidem, & alter eo lumine ita afficiatur, ut in imaginem Dei tranſformetur.* Quod verba, tot hæreſes, judicet Eccleſia Reformata ex Dei verbo, idem fateor cognitionis objectum, ſed *eadem cognitio*, quanta inſania! ergo cui Euangelium ſtultitia eſt, illi, eadem erit cognitio cum eo cui eſt potentia Dei ad ſalutem. Diabolus ſic eandem nobiſcum Euangelii cognitionem habet, Animalis cum Spirituali, cui non eſt datum noſſe, cum eo cui datum, occæcato cum illuminatis, omnibus quippe aliquo modo innotuit Euangelium. Quo ruis dementiæ homo animalis? (ſpirituales enim contemtim alios appellitas) ſed aliud adhuc virus in his verbis detegendum, *homines* fingis *eoſdem quo ad mores, qui erant ante fidem*: qualem fingis fidem? putaſne veram fidem non purificare corda Act. xv. 1. Joh. III. Chriſtum ut Sanctificatorem non apprehendere? ſed quorſum iſta tibi? non intelligis ſat ſcio. Niſi forſan fides etiam eadem tibi ſit, quæ temporalis dicitur, quæ Hiſtorica, cum ea, quam ſalvificam vocamus. Et certe ſi,

p. 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

quæ de cognitionis luminiſque eadem natura ſomnias, ſive pios ſive impios, regenitos aut irregenitos tibi objiciant, ſi ea, inquam, ritè ad animum revocentur, neceſſario idem de fide concludendum patebit ſtatim, quod tu de cognitione fingis, eandem ſpecie omnibus eſſe, quid ni & Diabolis quoniam & credere dicuntur, nec video quid ex tua hypotheſi in contrarium dici poſſit. Hæc tu concoquere potes Wolzogi, in Eccleſiæ membro, in Seniore. O veritatis! O pietatis! o Eccleſiæ ſortem deplorandam! Sic ſuperba mundi ſapientia dominabitur, obteſtor omnes quotquot ſuperſunt veritatis amatores & vindices, ut legant, ut videant, quid à Velthuſio & aliis ejuſdem farinæ hominibus, Eccleſiæ, pietati, veritati expectandum ſit, oppreſſio, contumelia, devaſtatio. Et anſeres aliquando Capitolio profuerunt maximè. Utinam per me minimum Chriſti ſervum & in Eccleſiæ excubiis poſitum vigilem expergiſcant viri Docti, Pii; quò prece, quò calamo, quò ore & tota armatura ſpirituali ſe hiſce objiciant periculis! Neceſſe erit, ut & plebs Chriſtiana, malorum conſcia, non ignoret, quanti fiat veritas. Præcipuè autem id fieri poſſet, ſi Belgico idiomate exponerentur, hujus, ſimiliumque, fætidi & perniciosiſſimi errores. Tales enim alit qui Socinianos ſuperent, quod vel ex iis, quæ diximus, probari poteſt. Illi enim de cognitione de fide vix talia, de Spiritus operatione longè ſpecioſiora, tradunt.

Tertium Errorum Wolzog. Caput de Scripturæ intelligibilitate, & de ea Reformati quid ſentiant.

Tertium ſequitur errorum Wolzogianorum caput, quod eſt de Scripturæ, liceat ſic Barbarè loqui, intelligibilitate. Reformati ita Scripturam divino juſſu inſtinctuque exaratam eſſe docent, ut clarè & perſpicue menti illuminatæ, quæ creditu factuve neceſſaria ſunt, offerat Nec opus eſt id multis probare. Locorum communium ſcriptores, inter perfectiones, perſpicuitatem referent, ad unum omnes.

Scrip-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Scripturam itaque volunt, ejuſque in neceſſariis ſenſum, rite intelligi poſſe, diverſo quamvis modo: aliter enim homo naturalis videt, ſpiritualis aliter, vel eandem licet veritatem videat uterque. Recipiens quippe unumquodque recipit pro ſuo modulo. Principio diverſo, potentia diverſa, quæ prædita ſunt, diverſo etiam modo agere debent neceſſario. Sic & hic ſeſe res habet, idem quando repræſentatur homini naturali objectum, ac ſpirituali, uterque idem neceſſario recipit, at pro ſuo quiſque modulo; ſpiritualis, qua talis, ſpiritualiter; naturalis è contra naturaliter. Hoc volunt Orthodoxi, quando ſenſum Grammaticum & literalem ſolum, non vero vero ſpiritualem percipere ſtatuunt hominem animalem. Eundem licet ſenſum, veritatem eandum percipiant, quippe diverſo tamen modo, atque ex diverſo agunt principio. Regenitum vero ac illuminatum, potentiæ naturali infuſo habitu gaudentem, ſicque in aliam, ut ita loquar, activitatis ſphæram tranſlatum, eum recipere ſpiritualiter. Non enim, quod in tranſcurſu notandum, eventum, Reformati quando ita phraſin inſtituunt, eos unicè vel præcipue reſpicere putandum eſt, ac ſi ſalutaris perceptio, quæ & quia ſolummodo cum ſalute nexum habet, dicatur, ſpecie quamvis ab alia illa, quæ non ſalutaris evadit, non diverſa: quemadmodum Remonſtrantes de ſalvifica & ſalutari fide perperam philoſophantur; principium agens, agendique diverſum plane modum reſpiciunt. Ut, licet cum irregenito idem videat regenitus, ut talis, (poteſt enim ſubinde, partim adhuc corrupto intellectu, Spiritus gratia actuali tantiſper ipſum non excitante, minus bene ac ſpiritualiter agere, aut quidquam recipere) ex alio tamen & diverſo agens principio, modo etiam plane diverſo, ſpirituali ac ſalutari, id videat, quod irregenitus modo naturali, non ſalu-

tari videt. Jmo, vel pauciora intelligat quam naturalis, ſpiritualiter tamen ea intelligit ac ſalutariter. Cumque ſenſu quoque & guſtu quodam ſpirituali, in res ipſas quaſi intromittatur, eæque ipſi viciſſim quaſi ingerantur, hinc experimentalis illa oritur & ſuaviſſima cognitio. Jta ut, res omnis ſi penitius ponderetur, diverſa plane appareat quæ nobis, cum Pontificiis ſigillatim, ab ea, quæ cum Pelagianis in univerſum omnibus intercedit controverſia. Cum illis etenim ſeorſim conſideratis, (in poſteriori controverſia idem quippe cum reliquis Pelagianis faciunt) in loco de Scriptura quando diſputatur, de ejus perſpicuitate diſcrimen eſt, & quidem objectiva propriè. Nimirum, an in ſe talis ſit, ut intelligibiliter piis & regenitis proponat, ea, quæ ſciri ab ipſis aut peragi debent. Adverſus Pelagianos autem, de ſalutari Scripturæ perceptione quando diſputamus, ſubjecti, hominis vires, aptitudo, facultas propriè in diſquiſitionem veniunt. Quare & ii qui ſubjecti, ſeu mentis ineptitudinem naturalem, ejuſque, per infuſum lumen, gratiam, vireſque ſupernaturales, elevationem, vivificationemque non ritè concipiunt, neceſſario cæſpitare ac errare in iſto negotio deprehenduntur. Optimè hanc Reformatorum mentem & diſtinctè exprimit Triglandius.
Antapolog. p. 15. *Non, inquit Epiſcopius, ſatiſfaciet, ſc. Cenſor Walæus, ſi dicat, Scripturam claram quidem eſſe, ſed non niſi iis, qui ſpeciali efficacis gratiæ lumine à Spiritu Dei colluſtrantur, ut eam poſſint intelligere. Quod id tantundem ſit atque haſtam abjicere, & in caſtra Pontificiorum, jam olim ſolenniter ac ſponte deſerta, redire.* Sic iſta confundit Apologiſta. Reſpondet Triglandius. *Pudeat arrogantem illum ac faſtuoſum magiſtrum tam craſſæ ignorantiæ. An illa fuit de perſpicuitate Scripturæ inter Pontificios & Reformatos controverſia, quod Pontificii ſtatuerint tenebras mentis noſtræ tantas eſſe,*

ut,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ut, propter eas, homo naturalis S. Scripturam intelligere non queat, ſed opus habeat interna & ſupernaturali illuminatione Sp. Sancti, cujus contrarium ſtatuerint Reformati? Pontificii docent, Scripturam per ſe, & ſua ratione loquendi, obſcuram eſſe: quod negant Reformati, dicentes eam perſpicuè & clare tradere ea quæ &c. Præclare iſta antehac tractavit Heidanus. Sed Catechumenis notum eſt, quantum iſta diſtent. Congeramus jam, & conferamus, qnæ hac de re Wolzogius.

Cauſa Dei L. I. Cap. VII.

Wolzogii ſententia IV. Theſibus explicatur.

1. Errat in eo, quod Reformatorum, de perſpicuitate Scripturæ objectiva, immerito culpet ſententiam. Ne quiſquam ante Wolzogium ad iſtam materiam ritè ſatis & accuratè ſcripſiſſe crederetur, quicquid dictum à deceſſoribus erat, aut ſcriptum, rejicere neceſſe fuit, ſaltem corrigere. *Theologi, de Scripturis ſtatuunt, quod in ſe ſint perſpicuæ in iis quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria.* Bene, ſic Theologi, ſic Optimi & quidem omnium ſeculorum, *cum Auguſtino* enim *aſſerimus Deum ita attemperaſſe ſtilum & Phraſin ſcripturæ ſanctæ, ut quæcunque continent fidem & mores vivendi, ſpem ſcilicet & charitatem, aperte in ſcripturis poſita inveniantur &c. Non eſt abſcondita in Scripturis veritas, ſed obſcura iis qui quærere nolunt,* inquit Chryſoſtomus, & alibi. *Quod lumen eſt oculo, id eſt lex Dei menti noſtræ.* Luculentiſſimè autem in Poſter. ad Theſſ. II. Hom. III. Cap. 4. *Omnia clara ſunt & plana ex ſcripturis divinis, quæcunque neceſſaria ſunt, manifeſta ſunt.* De objecto loqui Patrem conſtat, ſubjecti aptudinem alibi requirens. *Myſteria,* inquit in Matth. Hom. XXII. *ſacræ Scripturæ non cognoſcunt perverſa corda, in quibus non requieſcit Spiritus veritatis.* Hæc Calvinus, Zanchius, Martyr. Hæc omnes Eccleſiæ Orthodoxæ profitentur. Tanti autem iſta non ſunt Wolzogio, ut in eorum gratiam, vel unicum verbum, non caſtigatum dimittat. Sic enim

Theſis 1. p. 104.

Synopſ. Purior. Theol. Diſp. V. §. IX.

Chryſoſt. in Matth. Hom 44.

Citat Syntag. Confeſſ. Part. 3. Art 1. in Jeſ. II. ibidem Cit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

enim pro ſua authoritate & perſpicacia. *Verbum minus commodum videtur, quia perſpicuitatem vocant eam &c.* Quid ſi vocula magis *commoda*, *verbum* magis *commodum* uſurpari potuiſſet, an res cum recta eſt & ſenſus verus, imo divinus, ne tanti quidem tantorum virorum valet authoritas, ut vel unum jota impunitum per te maneat? O inexorabilem Catonem dicam an Ariſtarchum! Non debebat ignorare Eccleſia, quantum Wolzogiano deberet acumini & accurationi. Scriptura tandem tribunal criticum forumque Philoſophorum non declinabit. Quid garris? *verbum minus commodum* dicis, quo ſcriptura perſpicua eſſe prædicatur. Lumen eſt Scriptura, lux eſt, lucerna & quid non Davidi. Et tamen verbum minus *commodum* videtur? *ſplendet propheticum verbum, illuminat cæcos lex Dei*, perſpicuitas tamen ei *commode* non tribuitur. Sic propriis conceptibus ſuaviter irretitum, Scripturæ univerſæ cepit oblivio. Majoris momenti cauſa eſt, quam ut caſtra prodere, quam ut prævaricari debueris. Pontificii, in caſſum hactenus & minus accuratè de Scripturæ perſpicuitate diſputaſſe noſtros, ſi dixerint; quid tandem regereret Wolzogius? Nihil, niſi, fateor, *verbum minus commodum*, in hunc uſque diem adhibuerunt noſtri. At anguis in herba latet, videri vult verbo minus addictus & phraſi, ſed abſque veritatis,
p. 104. abſque ſenſus præjudicio. Sic enim exertè. *Neque hic video quid in ſenſu reprehendi poſſit.* In verbo reprehendendum ſaltem aliquid. *Verbum minus commodum.* Neque vel in verba tenemur jurare doctorum aut deceſſorum. Sed Reſp. 1. Verbum ſcripturarium eſt, imo ἐμφατικώτερα, in iſto negotio, & magis perſpicuitatem exprimentia, ſcriptura ipſa adhibet. Sic imprudenter in Sp. S. criſin exerces tuam, *Lux enim, lumen, lucerna*, & quidem *ſplendens*, amplius quid quam perſpicuum ſonant. 2. Poſito commo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

modiorem forſan vocem excogitari potuiſſe, an non debita tot tantorumque nominum veneratio, aliud quid, quam intempeſtivam ſuggerere poterat reprehenſionem? 3. Et falſiſſimè imò ineptiſſimè dicitur, *Verbum* illud *minus commodum*, non ſolum, quod Scriptura ſimilia & efficaciora in iſto negotio adhibeat, ſed & res ipſa id poſcere certum ſit, ut paulo poſt videbimus. 4. Fucum facis ſi phraſin ſolum diſplicere dicas, niſi, quod facilè crediderim, ipſe quid ſentias nondum certus ſis. Altius paulo verba tua repetamus. 1. Non verbum ſolummodo, ſed rem ipſam, ipſam Reformatorum ſententiam apertè rejicis, vel hoc ipſo, quem citavi, paragrapho. *Verbum*, inquis, *minus commodum videtur*: ratio autem quam addis, in re ipſa te diſſentire, ſufficienter evincit, non enim vocem commodiorem ſubſtituis, quod faciendum, ſi *verbum* unicè diſpliceret, fuiſſet procul dubio; ſed rem ipſam corrigis, *quia*, dicis, *perſpicuitatem vocant eam, quæ primam tantum habet perfectionem*, tres tu neceſſarias dixeras, ut aliquid perſpicuum merito diceretur, unam ſolum habet Scriptura, non igitur verbum minus commodum, ſed ipſa ſententia minus vera, ſaltem minus commoda declaratur. Et tantum abeſt, tuo judicio, rectè rem ipſam expoſuiſſe hactenus Reformatos, ut perſpicuum dixerint, id, quod per rerum naturam perſpicuum eſſe, imo vel concipi non poteſt, niſi duo ultro addantur, quarum rationem non habuerunt. *Non enim intelligis*, quæ phraſis ſtylo ac ſenſu Carteſiano vehementer negat & removet id, quod intelligi negatur, *perſpicuitatem*, *niſi eum ſimul intelligas*, *qui percipiat*. Imo omnis *in ſenſu* hæc perſpicuitas *poſita eſt*, *quem ſenſum concipere ne quidem potes*, *niſi ſit qui ſentiat*: Fateris autem Theologos de eo, quod in objecto eſt, loqui; neceſſe igitur eſt, ſtatuas, illos perſpicuum dixiſſe, quod perſpicuum non eſt, hoc eſt, in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

re ipſa eſſe palam hallucinatos. *Imo vere dicam*, inquis, *hæc quæ de re cognoſcenda*, quam unice à Reformatis reſpici in capite hujus pag. dixeras, quæque de eo qui cognoſcit, *dixi*, *nil* NB *ad intimam naturam perſpicuitatis faciunt*. Sic quod Reformati, id nihil ad rem. At vide ſubtilitatem, *tria requiruntur ut perſpicuitatis naturam comprehendamus*, ait pag. ſeq. Hic autem *duo* eorum *nihil ad intimam naturam perſpicuitatis faciunt*. En, non verbum, ſed
p. 101. rem ipſam culpas maximè. 2. *Vitium*, quamvis *levius*, vitium tamen cum Paradoxo, incurriſſe dicis noſtros Theologos. 3. Quid? exertè ponis Theſin Theologis illis contrariam, *perſpicuitas omnis*, & *quidem procul dubio*, *eſt relativa*, *nullam abſolute di-*
p. 102. *ctam exhiberet ſermo perſpicuitatem*, *ſi rerum naturæ reſponderet accuratiſſimè*. Sic elenchum formas egregie, nec unquam apertiori via Paradoxum tuum aggrederis, quam hic Theologos Reformatos, tota cælo te diverſos profiteris, benè eſt, larvam detraximus, nec jam de verbo, de phraſi, lis eſt, *perſpicuitas non niſi relativa docetur. Sermo autem, qui*, licet vel ipſo fatente, Reformatorum omnium ſermo ſit, *attamen ſi*, non, (quod ſolum verbi correctionem inferret) commodior, ſed, quod rem ipſam evertit, *rerum naturæ congruus foret*, *nullam nobis abſolute dictam exhiberet perſpicuitatem*. 4. Theſin contrariam explicat & confirmat aliquot argumentis. Explicatio iſta eſt, *ſunt enim in omni hac perſpicuitatis materia minime miſcenda confuſis cogitationibus tria, res ipſa quam perſpicuam dicimus, is qui illam percipit, & rei iſtius ad mentem ejus qui illam intuetur appulſio.* Probatio occurrit p. 104. 106. quam poſtea ad partes vocabimus.

In omni illo diſcurſu ſanè nihil ſani eſt.

Primò, mentem Theologorum nondum didiciſti, vel in tritiſſima illa materia. Deinde rem ipſam

ſam confundis. Tertio falſum doces. Singula brevibus ad oculum demonſtrabo.

Theolorum noſtrorum mentem quod attinet, ac ſententiam, ea ſic ſe habet. *In ſe*, ait Mareſius, *Scriptura eſt dilucida, utpote à Patre luminum profecta, qui dici nequit vel noluiſſe vel non potuiſſe clarius loqui, unde dicitur lucerna, lux &c. Pertendimus Scripturam in ſe perſpicuam eſſe & claram.* Luculentur Coccejus. *Quandoquidem in Scripturis eſt Canon*, & μόρφωσις τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας & ἀποκάλυψις τῆς δικαιοσύνης τοῦ Θεοῦ; *neceſſe eſt, eam habere ſuam claritatem & perſpicuitatem. Nihil*, ſic paulo poſt, *enim impedit, eam eſſe claram atque perſpicuam & hominem nihilominus eſſe* τυφλὸν, ἀνόητον καὶ ἀσύνετον. *Quippe uti liber naturæ clarè &c.*

Mareſ. Syſtem. c. Tirin. Contr I. N. 12. Pſ. CXIX. 105. 2 Petr. I. 19. Coccej. Sum. Theol. Cap. VI. §. 16.7.

Et bene diſtinguunt, quæ tu confundis, objecti percipiendi & ſubjecti percipientis conſiderationem: ſic, ut ſolet, accuratè Spanhemius. *Scriptura ſe luminoſam formaliter & illuminantem effectivè profitetur. Imo dolet Sophiſtis eam nimis eſſe claram. Nec obſcuritas quæ in ſubjecto, transferanda in objectum.* Doctè & Graviter Vir ſummus M. Bucerus. *Porro ſi divinæ*, inquit, *Scripturæ integræ ſunt & ſimplices, ut doceant etiam rudiores ſapientiam, ſi rectæ & planæ ſunt, ut illuminent oculos, ſi erudiunt ad ſalutem, ſi ad omnem docendi rationem utiles ſunt, quid præterea requiras vel lucis vel certitudinis? Quid ineſſe tali Doctrinæ obſcuri & ambigui poſſit ſuſpicari?* Quamobrem, *ſi non modo alicubi, ſed multis in locis Scr. impingas; id tibi, non Deo attribuito, quo nemo poteſt docere benignius, atque adeo dilucidius & certius. Ideo ne dicamus ſolem obſcurum, quia intueri eum oculis noctuæ non valent, aut non certum tenere curſum quia imperiti eum non percipiunt.*

Spanh. Diſput. de Script. I, §. XLI. Præfat in Epiſt. ad Eph. pag. 6.

Antitheſin Wolzogianam & Velthuſianam in exemplari, Epiſcopio, ſic lego. *Statum controverſiæ*, inquit ille, *non recte ponitur ab iis qui quærunt.* I. *An Scriptura ſacra abſolute & in ſe conſiderata non ſit clara, perſpicua, ac dilucida?*

Epiſc. Inſtit. Theol. Lib. IV. Cap. XVI.

Quis

Quis enim id quærat? imo quis id aſſerat, ſi eam claram, dilucidam, ac perſpicuam eſſe non intelligat? Nemo Solem clarum, aut lucem perſpicuam adſerere poteſt, niſi claritatem ſolis & lucis perſpicuitatem viderit. Cæco Sol etiam clarus non eſt. Præter ea quæ ſuperius ex Mareſio audivimus, hæc porro ex ejuſdem adverſus Anonymum Diſput iii. Theſi vii addam, ut, quem olim magiſtrum coluit, nunc ſeſe reprehendiſſe agnoſcat. Sic ille, *peſſimè philoſophatur de orationis obſcuritate & perſpicuitate, dum utramque ſemper facit relativam*, ſed idem Wolzogius hac in re cum Paradoxo, pergat Mareſius, *ut Sol in ſe ſemper eſt lucidus, licet non luceat omnibus.* NB *Temerariæ hujus cenſuræ cauſa fuit Anonymo*, ac proinde etiam Wolzogio, eandem cum Paradoxo in Reformatos ſtringente, *quod nequirit diſtinguere inter obſcurum aut perſpicuum in ſe & abſolute ab eo quod obſcurum eſt nobis & quoad nos. Igitur perſpicuitas eſt attributum abſolutum Scripturæ.* Difficultatem à Wolzogio motam, jam dudum removerunt noſtri: primam nimirum perfectionem ſolum in Scriptura eſſe, juxta quam, binæ aliæ adhuc, ut perſpicuitas habeatur, requirantur. Quænam eſt illa perfectio, quam concedit

p. 104. Wolzogen? *ita Scr. ſcriptas eſſe ut nihil deſit orationi, eorem, quæ conferre debet ad perſpicuitatem.* At bone vir, ſic & in re ipſa ignorantiam tuam prodis egregiè. Nihil enim ultra intelligunt Theologi, quando Scripturam in ſe perſpicuam dicunt. *Spe-*

Eſſen Syſtem. part. 1. de Script. §. XLIII. XLIV. *ctanda hæc virtus* (de perſpicuitate ſic loquitur, in conſummatiſſimo illo Theologiæ Syſtemate, Eſſenius) *diſtinctè, tum objectivè in ſe; tum quo modo ſubjectivè in hominibus recipiatur. Objectivè Scripturam in ſe, aut in ſuo ſyſtemate, claram eſſe dicimus ac perſpicuam, ut Sol in ſe clarus eſt, etiamſi cæcus eum ſuo vitio videre non poſſit. Non enim agimus*, ſic adverſus

Morus Cauſa Dei p. 186. Pontificios Alexander Morus, *de obſcuritate ſubjecti*

jecti ſive ignoratione perſonarum, ſed de obſcuritate in objecto, ſeu Scripturarum. Hoc ergo demum quæritur, an modus docendi ita ſit obſcurus &c. In eo tibi hæret aqua, quod perſpicuitatem objecti, confuſa cogitatione, à perſpicientiæ, aut perſpectionis actu non diſtinxeris, quæ longe tamen diverſa ſunt, ſi rem penitius conſideres. Tria requiris ad perſpicuitatem. *Res ipſa talis eſſe debet ut cognoſci poſſit; mens oculuſve ita affecti ut cognoſcere poſſint; denique relatio id poſtu-* p. 103. *lat, ut rebus iſtis cognoſcendis applicata mens illas revera percipiat.* Erras graviſſime vel in elementis Theologiæ ac Philoſophiæ. Ac ſi, cum de objecto agitur, ad ejus perfectionem, id omne requiram, quo ſine, hujus aut illius actio, circa illud forſan exeri non poteſt. Perſpectionis, ut ita loquar, actus, iſta requirit, non autem objecti, liceat hic verba formare, perſpicibilitas, quam in hoc negotio conſiderant Theologi. Quis enim eos tam ſtupidos credat, ut iſta diſtinguere demum à Wolzogio docendi putentur. Si de perſpecta loqueremur oratione, recte tria concurriſſe diceres, perſpicuum autem hic, non perſpectum ſignificat, ſed perſpectibile. Sicque falleris plus quam perſpicuè. Non tibi autem ſoli, ſed & Seniori tuo res iſta cordi fuit. Argumenta, quibus omnis abſoluta in objecto claritas tollatur, conquiſiviſtis, à quorum viribus tamen non eſt quod mali quicquam timeat Eccleſia Orthodoxa. Alii Heroes in iſta veritate excolenda deſudarunt, quam ut ipſorum ſenſa à Velthuſio aut Wolzogio falſitatis convincantur. Sic Wolzogen. *Non ideo*, dixerat quamombrem Theologis in ſe perſpicua ſcriptura diceretur, *non ideo*, inquit, *magis per-* p. 104. *ſpicua dicenda fuerit oratio, quam rubrum diceremus fluentem in venis ſanguinem, qui nullis oculis objicitur; aut frigidam in ultimum ſeptentrionem projectam nivem, quæ neminem unquam ullo horrore percuſſit. In ſenſu*

ſunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſunt iſta omnia poſita. Ubi pudor Wolzogi? antea defenſurus videbaris, quos hic non deſeris ſolum, ſed riſu ſarcaſtico exſibilare non erubeſcis. Quid ſanguinis rubor, quid frigus nivis? ludis in re ſeria. Prodis communem cauſam apertè. Hoc vult Paradoxus, hoc negant Reformati, quod tu concludis. Et illud tandem Orthodoxum ſcriptum erit, at rationes examinemus, tanti ſane ponderis, ut eaſdem ex Paſtoris ore Echi inſtar iterum ingeminaverit graviſſimus Senior, ſed aliquantulum aucto verborum numero. Sic ille, *neque illud lumen re ipſa in rebus eſt, non magis quam ſenſus caloris, aut calor eſt in igne, & frigus in glacie. Et, ſi non darentur tales ſenſus in quibus caloris & frigoris ideæ excitantur (quæ ideæ propriè ſunt color & frigus) non eſſet calor aut frigus in naturâ: quemadmodum non eſſet dolor in natura, ſi non eſſet homo, qui doloris capax eſt. Nam quemadmodum dolor non dicitur eſſe in gladio aut cultro, quo vulnus inflictum eſt, ita nec calor, nec frigus eſt in igne & glacie. Sic in re cognoſcibili non eſt lumen, ſed eſt apta ut nobis excitet per facultatem intellectus lumen, hoc eſt cognitionem. Nihil itaquè, nec res, nec ſermo, in ſe proprie clarum aut perſpicuum dicitur, ſed ut refertur ad intellectum.* Ineptiſſima ſane argumentatio, nec meliora de hoc homine ſperet lector. Reſp. 1. Reformatæ ſententiæ ab hoc Paſtore & Seniore nuncium aperte mitti. Quam ſi iterum videre lubeat conſulatur Mareſius loc cit. 2. Paradoxam deinde ſententiam, argumentorum loco, hoc & illo ſimili illuſtrant. Nimirum, non aliter concipientibus viris ſummis, præter ſententiæ declarationem, abſque ratione petitur quicquam. 3. Quod autem dolendum, quæcunque proferunt viri Clariſſimi, tam longe à theſis ſuæ abſunt probatione, ut eam funditus potius evertant. Agedum, percurramus ſingula & retorqueamus. Rubeus non eſt ſanguis, non frigi-

Velth. de uſu Rat. in Theol. p. 15.

Mareſ. Diſp. c. Parad. VII §. VI. VII, VIII, IX.

frigida nix aut glacies. At vides concluſionem directè condradicturam exertiſſimis Scripturæ dictis, quæ Scripturam in ſe lucidam dicunt. Pono deinceps, ſanguinem hoc momento à me videri, nivem tangi, viſum deinde mihi & tactum deficere, an ſtatim ſanguis deſinet eſſe ruber & nix frigida? mirabile ſomnium. Quid tibi lux eſt, quid color, quid frigus? nonne particularum motus & modus & quies, tria iſta juxta Carteſium perficiunt? nec enim lubet cuncta tranſcribere, remoto ſenſu, an deſinit motus & preſſio globulorum æthereorum quæ lumen conſtituunt, an nulli ſi darentur ſenſus, nulla daretur iſtorum globulorum agitatio? De colore idem dici poteſt, *qui eſt luminis, ſecundum globulorum ejus æthereorum proceſſus, & circumvolutionis proportionem, modificatio.* Nemo ſit qui colorem videat, ſit rubeus e. gr. *qui ſit cum globuli multo celerius circumrotantur, quam procedunt.* Viſio iſta deſinat, an ſimul deſinet partium illa diſpoſitio, globulorum agitatio? & ſi iſta numero deſinat, an non, de Philoſophia veſtra, altera ocyus exiſtet. Quid? Scripturæ hoc directè adverſatur. Niſi enim fallat Moſes, lucem & tenebras ante ullos ſenſus fuiſſe credendum eſt. Lux erat primo die creata juxta Moſen. *At lumen in rebus non eſt, in ſenſu ſita ſunt omnia.* Nimimirum Moſes referat quomodocunque velit, ſic docet ratio, *cui*, ſi Velthuſius vera dicat, *non minus tuto quam ipſi Deo credimus.* Quis ferat ſuperbiam, quis arrogantiam iſtorum hominum? Sol non eſt lucidus, niſi videatur, ignis non eſt calidus, id eſt minimarum particularum non eſt varia agitatio, in eo enim conſiſtit calor juxta novitios, quando non ſentitur. Nugæ tantis viris indignæ. *Perſpicuitas ſcripturæ, eſt proprietas inſita, quam & ſemper retinet, homo licet illuminatus ſit nec ne: quamvis, non illuminato homine, iſtam claritatem idem non videat.*

Carteſ. Dioptr. §. III. Pr. III. §. LV. LXIV. Pr. IV. §. XXVIII. &c. Reg. Phyſiol. L. V. Cap III. Velth. Init. Prim. Philoſ. p. 251.

Planè

Exercit. Parad. Cap. III. §. 3. Heid. Cauſa Dei Libr. I. Cap. VI. Withak. Op. Tom. I. Contr. I. & IV. Cap. I. p. 336 a.

Plane quemadmodum Sol in ſeſe clarus eſt & lucidus, homo ſive claudat oculos, ſive aperiat, ſive cæcus ſit, ſive vidère poſſit: illa enim hominis diverſitas Solem nec lucidum reddit nec obſcurum. Verba ſunt Heidani, à Paradoxo cum elogio authoris citata, adverſus Epiſcopium. Rem totam ſic concipiebat Lutherus; *Ut res ipſas*, referente id Withakero, *poſitas in luce diceret, & obſcuritatem potius in nobis quærendam eſſe: idque rectiſſime probat*, ait Withakerus, *teſtimonio Pauli* 2. *Cor.* iii. 14, 15, 16. & iv. 3. *illuſtratque ſimilitudine ſolis & diei quorum utrumque et ſi clariſſimum, cæci tamen minime vident. Sole, inquit, aut die nihil illuſtrius; at cæcus ne Solem quidem adſpicit, & ſunt qui lucem etiam ipſam fugiant. At lumen*, ait Velthuiſen, *reipſa in rebus non eſt, non magis quam ſenſus caloris, aut calor eſt in igne.* Delirat Medicus, ſenſum caloris quis unquam in igne finxit, vel an in ſe calidum eſſe, Carteſiano modo loquar, an iſta agitatione particularum in aqua aliiſque excitata, idem tibi erit ac caloris ſenſum habere? Si calorem, maximam committens & craſſiſſimam abuſionem, pro ſenſu caloris ſumas, finita diſputatio eſt, ſenſus enim abſque ſenſu non eſt: at quid tandem nugari eſt, ſi hoc non eſt. Non quæritur, an ignis calidus ſit, caloris ſenſu, ita ut ignis calorem ſentiat, quis enim præter iſtum Medicum ſic unquam deliravit? ſed an accidens illud, quod Peripatetici, aut particularum talis agitatio, quam Carteſiani, calorem vocant, non inſint rebus, etiam ante & citra omnes ſenſus: illud negaſſe, illud refutaſſe debueras. Cum umbra igitur ſtrenue dimicat glorioſus miles, quando dicit, *ſi non darentur tales ſenſus in quibus caloris ideæ excitantur (quæ ideæ proprie ſunt calor & frigus) non eſſet calor & frigus in natura.* Non eſſet ullius animalis calefactio & frigefactio, non eſſet caloris ſenſus, benè, ſed de eo non diſputamus. *Ideæ*, quid audio, *ideæ in ſenſibus excitatæ proprie ſunt calor & frigus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

frigus. Ineptiorem Philoſophum unquam vidit? Fricanda iſta ſi forent, ignorantiæ Velthuſianæ fætore replerent omnia. Ideæ iſtæ unde bone vir? Ideæ iſtæ, an ſunt ipſiſſimus particularum motus quieſve? Iterum, ideæ, an ſunt ipſe calor, ipſe frigus? falleris. Nequidem receptionem caloris, ejuſve ſenſationem ſi reſpicias, verum loqueris. Idea enim ipſa ſenſatio non eſt. Sic ſolent clarè & diſtinctè philoſophari hodierni vates. *Quemadmodem*, ſic largiter ſimilia fingit, quæ per ſomnium in alembico iſto diſtillata pro argumentis vendit noſter Chymicus, *non eſſet in natura dolor, ſi non eſſet homo, qui doloris capax eſt.* Omne ſimile claudicat. Dolor apertè ſenſationem, receptionem, in ſubjecto ponit, non item calor, lux, frigus, quorum longè diverſa eſt ratio. Non ſentias tu cultri aciem, non hellebori vires, acutus tamen in ſe culter eſt, & cerebrum purgat helleborus. *Dolor non eſt in gladio*, fateor, ſed dolorem excitare, ut inſtrumentum, aptus eſt. Tandem per ambages in viam è diverticulo redit noſter. *Sic in re cognoſcibili non eſt lumen*, hoc eſt, actu non illuminat aliquem, *ſed eſt apta ut nobis per facultatem intellectus lumen excitet.* Illam aptitudinem in ſuo genere ponimus in Scriptura, nihil præterea, quid igitur eſt quod oppugnas? dicis perſpicuum, clarum, lucidum id dicendum non eſſe? rem ipſam concedis, unicum illud reſtat, quod adverſus omnem uſum, imò directè contra exertiſſima ſcripturæ dicta, phraſi & dictione abutaris. *Sed tamen in ſenſu iſta, in* p. 104.
perceptione poſita omnia, inquit Wolzogius, *ſicque tria re-* 106.
quiruntur: neque enim aliter licet concipere. Ergo, &c. Argumentum in forma juxta Methodum noviſſimam. Sive tu concipias, ſive non concipias mihi perinde eſt. Ad perſpicientiæ ad perſpectionis, ut ita loquar, actum, iſta tria requiruntur, non autem, ut objecto ſua conſtet objectiva perſpicibilitas, qua aptum eſt, à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſubjecto capace, ſic recipi. Finge Scripturam ante omnes homines exſtare, an ſic deſinet eſſe perſpicua, hoc eſt, ſcripta intelligibiliter? Sic cauſa cadimus, adverſus Pontificios de Scripturarum in ſe perſpicuitate quoties diſputamus. Saltem duræ & abſurdæ abuſionis convicti, aliter poſt hac loqui, ſcribere aliter debebimus. Strenue communem cauſam agit Walonicus concionator. Pacem init cum ſuo Paradoxo, is enim contra Magnum inter Reformatos Theologum, ſic Heidanum vocat ingratus & turpis laudator, nihil ultrò contendit, quam, quod pro ſua moderatione, invita licet tota Eccleſia, concedit noſter, Scripturam in ſe claram aut perſpicuam dicendam non eſſe. 2. Confunduntur ſubjecti & objecti conſideratio. 3. Se ipſe jugulat Wolzogius,
p. 121. *loca quædam obſcura, atque ambigua* eſſe concedit.
140. *Deum obſcuritatis aliquid in verbo ſuo reliquiſſe*, & alibi. *Quæ perſpicuitatis ratio eſt, eandem & obſcuritatis putat.* Atque inde concludit, Paradoxum in idem cum noſtris vitium incidiſſe, & abſolutam poſuiſſe Scripturæ perſpicuitatem, eadem vero illatio valet adverſus noſtrum.

Quid tandem te potuit, Wolzogi, eò perducere ſocordiæ, ut, in tanti momenti negotio, cum Velthuſio, cum Paradoxo tuo, quam cum Eccleſia Catholica conſenſum profiteri malueris?

Erronea Theſis 2. 2. Secundus ſequitur Wolzogii in iſto negotio error; dum Scripturæ perſpicuitatem vel potius humanas vires eo extendit, ut de impiis dicat; *Certum*
p. 166. *enim eſt, etiamſi aliquando videant quamcunque veritatem, quæ exhibetur in Scriptura, ſæpe tamen illos non videre ullam ſalutarem, & perinde in aliis percipiendis cæcutire.* Dicit, Impios aliquando videre quamcunque veritatem, quamcunqne ſi ſumat pro omni, profuſam liberalitatem erga ipſos probat certiſſimè: at huc redit, quam nunc reſpicio, difficultas, quomodo,

modo, quo principio acti, videant homines impii, idem enim licet videant ſubinde, eodem modo tamen non vident, neque eodem acti principio. Hinc ſenſum ſpiritualem ipſos non penetrare, Grammaticum ſolummodo percipere, docent noſtri. Salutaria quidem vident & ſpiritualia, ſed naturaliter. *At ſæpe non vident ullam ſalutarem veritatem*, inquit Wolzogen. Qui iſta cum prioribus cohæreant ego non percipio. An dum ponis quamcunque, removes omnem ſalutarem, ita ut, dum quamcunque videant, nullam tamen videant ſalutarem? Si dicas te videndi modum ac principium ſpectare, ut aliter videant, licet omne videant: tunc non debueras dicere, eos *ſæpe* nullam ſalutarem videre; ſed ſalutariter eos non videre. Uti nec eos *ſæpe* ſic non videre, ac ſi unquam ipſis ulla ſalutaris obtingeret perceptio, ſed nunquam ſalutariter videre. Hæc ſi errore careant & heterodoxia, vehementer ſaltem intricata ſunt & obſcura. Eandem limam produnt Theologicam, quæ ſequuntur. Rationes tradit, quare veræ ſignificationes non occurrant impiis. *Ignorantiam* narrat, *tenebras* vocari dicit, *obfirmatumque* de iis *in errore* prædicari *animum*. Utrum conatur evincere? impiis non occurrere unquam veros ſenſus, an verò occurrere quidem, ſed ſæpe non ſalutariter? ſi prius, deficit in probatione, poſito enim, quod ignorantiâ laborent naturali, quod ſint tenebræ, imo vel obfirmatum gerant in errore animum, nondum tamen ſequitur, eos nullam vel ſalutarem veritatem videre: quæ, omnibus iſtis non obſtantibus, videri tamen in multis poteſt, ſed pro modo, pro conditione videntis, naturaliter, animaliter &c. Qui tenebrarum princeps, & ab omni vera luce remotiſſimus, Jeſum tamen ille ſervatorem eſſe videt. Quid? homo naturalis, ſive præter naturales facultates nihil habeat, ſive aliqua, reprobis etiam com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

muni, ſpiritus illuminatione ultro gaudeat; nullamne ille veritatem in Verbo Dei videre poſſet, quidem ſalutarem? In reprobum ſenſum traditi qui ſunt, omnium illos veritatum ſtatim oblitos ſomnias, eaſque in Verbo videre poſteà non valere? Vel in ipſo inferno, in extremis tenebris demerſis, ſupererit veritatum quidem ſalutarium cognitio quædam. Peccatorum conſcientia hoc requirit, in iis, qui Dominum gloriæ ſpreverunt & rejecerunt contra conſcientiam. Nimis liquidum eſt quod dicimus, quam ut plura addere neceſſe ſit. Poſterius ſi probare animus fuit: Theſis ſaltem, quam demonſtrandam ſumis, manca & intricata eſt, modo non falſa ſit & heterodoxa. Quid enim? an ſæpe non vident ſalutariter? an igitur unquam vident ſalutariter? Priori ſenſu diſquiritur *quid* videant, hoc vero, *quo modo*, quonam principio acti: ſpirituali autem & ſupernaturali non donati, impoſſibile eſt ut ullam veritatem, eamque unquam videant, aut videre poſſint ſpiritualiter, ſalutariter &c. quamdiu novo, novæ vitæ, principio non informantur. Vel an putas, unum eundemque hominem, aliquando ſalutariter videndi facultate pollere, aliquando ea plane orbatum eſſe? actus quidem ſubinde, fateor, exerit non principium illd ſpirituale, *ſemen tamen in nobis manet*. Niſi fortaſſis apoſtaſiam doceas, ſi non finalem, ad minimum totalem.

Erronea Theſis 3. p. 172.

3. Tertium erroris, in negotio de Scripturæ perſpicuitate, ſpecimen occurrit p. 172. *Singularem quandam* iſtic loci *Scripturæ conſtitutionem* narrat, qua fit, ut, omni hominis culpa longe remota, *homo* ſæpe *relinquatur de ſenſu dubius*. Statuitque *poſito vel in ſumma ignorantia demerſo peccatore, poſſe ſanè ita loqui Deum, ut vel ab ignorantiſſimo intelligeretur.* De ſcripturæ perſpicuitate ab una, & hominis impotentia ab altera parte quid ſentiat, hæc verba clare innunt;

nunt; de illa, non ſolum, clariorem eſſe poſſe, ſed ita claram, ut ejus objectiva claritas ſufficiens futura fuiſſet, quò ignorantiſſimus peccator ad intelligentiam ſufficientem pervenire potuiſſet. Neſcio quid velit author, videat lector & ſpernat intricatiſſimas in re ſeria nugationes. Vis igitur gratiam objectivam, quam vocant, ſufficere poſſe? ac hominem non ita cæcum eſſe, quin veritatem, nunc, præ nimia Scripturæ obſcuritate, non percipiendam, ab homine percipi potuiſſe, magis perſpicuè & clarè modo ſcripſiſſet Deus. Craſſum illa & ſtupidum Pelagianiſmum olent, in quantum peccatoris cæcitatem reſpiciunt, de qua antea; Papiſmum vero, in quantum culpa nimis magna in Scripturam, ut non ſatis claram, devolvitur. *Subinde enim omnem continet obſcuritatis cauſam* ex ſenſu Wolzogii. p. 174.

4. Quartum ſupereſt, quod Pelagianiſmi ſuſpicionem merito augeat. Explicaturus ante hac totum perſpicuitatis negotium, tria requirebat author; unum à partè objecti, alterum à parte ſubjecti, denique hujus & illius debitum contactum. Quæ jam in anteceſſum notavimus; ſed ſubjectum cum depingit, ita agit jejunè ut nihil ſupra: *in intelligentibus*, inquit, *hoc ſigillatim requiritur, ut ſint gnari omnium earum legum quibus orationis univerſa compages conſtricta tenetur. Nec in eo, qui nec ſtultus ſit, nec præpeditus aliqua animi perturbatione, aliove impedimento, quicquam ultra deſiderandum putem.* Quid hinc aliter elici datur, quam unam Wolzogio, quod ad rei ſummam, cum Socinianis & Remonſtrantibus mentem eſſe? nimirum, *Lectores omnes, communi quidem ſenſu & judicio præditos, quantum ſatis eſt, mentem ſacrorum librorum aſſequi poſſe, modo præjudicio, vana confidentia, aliiſque pravis affectibus, ſeſe occæcari non ſinant.* Quibus verbis, *quoniam Spiritus S. nullam faciunt mentionem*, *D. D. Profeſſores* nihil quam Pelagianiſ-

Erronea Theſis 4. p. 105.

Apol. Remonſtr.

mum recoqui, *merito*, ait Triglandius, *cenſuerunt.* In eodem luto hæret noſter, *non* enim *decebat ita perſpicuitatem Scripturæ exponere*, tria ad perſpicuitatem requirens Wolzogius primo de perſpicuitate ejus, pro ſuo more, quid dixerat, ſecundo jam de percipiente ipſi ſermo eſt, *non decebat autem ita perſpicuitatem exponere*, ait Hoornbeekius, *ut in ſecundo capite, de modo vel medio Scripturam intelligendi, hoc omitteretur, quod ſemper Proteſtantes in hac cum Pontificiis diſputatione exigunt, gratia nempe, & illuminatio Sp. S. maxime cum, id diſtinctam hoc loco controverſiam cum Socinianis facere, non lateret illos*, de Remonſtrantibus agit, *qui de Socinianiſmo ſuſpectos ſe fecerant, niſi etiam hac ratione ſuum conſenſum clam, an apertè, declarare fuiſſet animus.* Præter iſta, quæ modo ex Wolzogio audivimus, hæc ſunt quæ ſuſpectam ejus in hac controverſia Orthodoxiam reddunt jurene an injuria, candidum lectorem penes judicium eſto. 1. Illa quæ ſuperius de Articulorum fundamentalium perſpicuitate ex ipſius libello congeſſimus. Unum repetam locum, *credimus ſemper ea quæ ſalus noſtra exigit ut ſciamus, eſſe obvia & ita clara, ut ab omnibus intelligi poſſint.* 2. Illa quæ ſuperius ab ipſo adverſus infuſum novum lumen dicta audivimus, quæ cum iſta controverſia tam arctè cohærent, ut lumen infuſum negari non poſſit, quin naturali intellectui Scriptura pervia ſtatuatur, aut plane Barbara. 3. Quæ ante hac adduximus loca p. 65. 134. &c. quorum primus expreſſe ſtatuit *ſufficere lumen naturale, ut ad ea attendat, ex quibus pendet intelligentia.* Nil equidem magis emphaticè, vel à Sociniano dici poſſet. 4. Velthuſii, cujus Orthodoxiam prædicat noſter, aperta hujus erroris profeſſio: ſic ille, *impotentia tantum morali impeditur homo, quo minus myſteria fidei cognoſcere poſſit. Non enim in ſe non habet ea cognitionis principia, eamque cognoſcendi facultatem, qua ea quæ in*

Hoornb. Socin. Confut. L. 1. Cap. v. p. 71.

p. 175.

de uſu Rat. p. 66.

in Scriptura traduntur, tantum capiuntur & intelliguntur, ita ut novis principiis aut nova facultate indigeat. &c. Vis Socinianam theſin, ſic eam proponit Maccovius. *S. Scriptura perſpicua eſt, ita ut ſolius intellectus auxilio intelligi queat.* Status igitur Controverſiæ inter Reformatos & Wolzogium idem eſt, ac Reformatos inter & Socinianos ac Remonſtrantes. Hoc volunt Orthodoxi. *Quamvis Sp. S. ea quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, apertis planiſque verbis ita exprimat, ut homo animalis intelligere interdum poſſit quid Verba iſta & phraſes indicent: Oportet tamen ut accedat Sp. S. lumen internum, quo, non tantum capiat homo quid verbis, & loquendi modo Grammaticè indicetur, verum etiam ſpiritualiter &c. Quod jam,* ſic Heidanus adverſus Epiſcopium, cum quo idem dicit Wolzogen, *ipſius ſententiam attinet, qua ſtatuit ita perſpicuam Scripturam eſſe, ut omnis, etiam irregenitus, quiſquis tandem ſit, modo ſanum ipſi ſinciput, & à præjudiciis liber, ac deſtinata malitiâ, mentem Spiritus abſque ulla S. Sancti interna illuminatione percipere poſſit; præterquam quod cum experientia, piorum praxi, ac eo quod paſſim ſcriptura inculcat, pugnet; in eodem ſtatu cum regenitis homines collocantur irregeniti. Tenebræ non capiunt lucem: neque regni Dei myſteria intelligunt niſi quibus datum eſt. Nemo verbum Dei audire, hoc eſt intelligere & credere, poteſt, niſi qui ex Deo eſt: cum ſapientia carnis inimicitia ſit adverſus Deum. Animalis homo* οὐ δέχεται: *Chryſoſtomus, intelligit quidem vocabula & aliquot ſententias: ſpiritualem vero eorum ſenſum percipere, & fidem eis habere non poteſt, ſed manet ei liber clauſus. Cum homo animalis audit, Chriſtum mortuum eſſe &c. verba quidem percipit, quid ſit mori, mori pro aliquo, quid ſuſcitari ex mortuis &c. ſed ſpiritualem ſenſum non aſſequitur, -- quia non poteſt cognoſcere: nempe ob luminis defectum in mente, & pravitatem in corde. Hanc* ἀδυναμίαν *etiam ſupra attigit.*

[Margin: Trigland. Antapol. Cap. III.]

[Margin: de Cauſa Dei Libr. I. Cap. VI.]

[Margin: Paræus ad I. Cor. II. 14.]

Cartwr. Harmon p 398.b. & 399.a. Verba ſunt Paræi. *Atque ut in notis quibuſdam*, ſic Cartwricht, *ad occultandos ſenſus excogitatis*, *iidem characteres ab iis percipiuntur*, *ab illis ne deguſtantur quidem. Aut ſi quis multos ſimul alloquens eo ſermone uteretur qui iis cognitus*, *illis ignotus eſt. Cum igitur* Deut. XXIX. *dono hoc fiat ſi quis Scripturæ & Myſterii regni particeps ſit*, *ejus intelligentiam* NB *nullo humano acumine percipi poſſe in promtu eſt: Acies enim oculorum noſtrorum eo non poteſt penetrare. Abſque Spiritu omnia vel apertiſſime dicta*, *parabolæ & ænigmata erunt; & liber ipſe tan-* Muſcul. in Jeſ. XLII. 7. *quam clauſus & ſeptem ſigillis obſignatus videbitur. Ratio humana in cauſa Regni Dei non eſt id, quod in oculis corporis eſt facultas videndi: cui ſatis eſt, ſi lux externa offeratur, per quam rerum diſcrimina pandantur. Sic enim comparata eſt ut capax ſit objectorum. At ratio in cauſâ religionis ſic eſt cæca ut ad objecta Euangelicæ lucis magis etiam ſtupeat & obſcuretur, niſi per operationem Sp S. aperiatur, Hinc eſt* NB *quod nemo minus eſt lucis Chriſti capax quam qui ſunt in hoc mundo prudentes ac ſapientes.* Lubet adſcribere pia & vere divina ad hanc rem dicta, ab incompa- Bucer. Præfat. in Epiſt. ad Eph. p. 9. rabili Viro, M. Bucero. *Quid mirum*, inquit, *ſi in divinis ſcriptis*, *quæ planè novum requirunt hominem*, *mentem illuſtratam divinitus*, *quæ præterea humanæ rationi & naturæ vitiatæ penitus adverſantur*, *labantur & hallucinentur*, *qui carne adhuc & ſanguine gravantur? Ne igitur quod vitii ineſt nobis à mentis noſtræ imbecillitate*, *à tempore precandi*, *à remiſſa noſtri adplacita Dei conſecratione*, *divinis ipſis libris*, *ipſique adeo Spiritui S. adſcribamus. Quis enim hic vivens non ſentit in ſe ſpiritum carnis ſpiritui Chriſti graviſſimè adhuc repugnare*, *ac ſæpe numero prævalere? Quis audet etiam gloriari*, *ſe ad lectionem ſanctorum Bibliorum Sp S. unicum eorum certum interpretem*, *votis invocaſſe ſatis ardentibus? Quis denique auſit gloriari ſe faciendis Dei præceptis plenè addixiſſe? At niſi tria hæc adſint tibi*, *animus faciendi quæ legeris omnino confirmatus*, *preces*

pro

pro Sp. interprete Scripturarum ardentes, & repreſſo Sp. carnis, mens Sp. S. auſcultans quam religioſiſſimè, non ex eorum numero es qui Dei ſapientiam vere diligunt Ad percipiendam Philoſophiam cæleſtem, his duabus rebus opus eſt, ingenio intelligendi & ſtudio. Ingenio, inquam, ſed novo ac cæleſti: nam quantacunque valeant homines ingenii perſpicacia naturali, NB *ſi non etiam donentur ſpiritu regenerationis, ſicut non prima principia Theologiæ, ita nihil ejus ſolidè poſſint percipere. Animalis homo, id eſt, qui Sp. novo filiorum Dei non afflatur, non poteſt percipere, quæ ſunt Sp. Dei, inquit Apoſtolus. Stultitia illi ſunt, nec poteſt cognoſcere: nam ſpiritualiter dijudicantur. Hinc Dominus Petro, finem legis ſummumque caput divinarum ſcripturarum confeſſo, ipſum ſc. Chriſtum eſſe, filium Dei vivi, dicebat: Beatus es Simon Bar-iona, quia non caro & ſanguis, id eſt* NB *naturalis luminis vis revelavit tibi, ſed pater meus qui in cælis eſt. Ex his & ſimilibus clariſſimis teſtimoniis Sp. S. evidentiſſime ſanè cognoſcitur, homines quantumvis alias ingenioſos & ſtudioſos,* NB *nihil tamen prorſus poſſe in divinis literis rectè & planè intelligere, niſi illuminati ſint mente, luce cæleſti, & donati Sp. novo, Sp. Dei, Sp. veræ ſapientiæ. Quocirca mirum non eſt, tam multos ingenio & doctrina præſtantiſſimos viros, ut olim, ita & hoc ſeculo, veram Scripturarum intelligentiam non poſſe aſſequi, adeo eſſe aliena ab illi mente, ut eam plerique eorum acerrimè oppugnent. Nituntur enim iſti* NB *ratione ſua, ſunt ſapientes in oculis ſuis, ſunt ex illis ſapientibus & prudentibus, quibus pater cæleſtis regni Myſteria abſcondit, vacant timore Dei, qui initium eſt ſapientiæ.* Alium hæc Spiritum referunt, quam profana hodie multorum ſcripta. Tales legeres Wolzogi, tales pervolveres authores. Utinam veſtigia premeremus virorum, quorum memoria Deo piiſque grata eſt & pretioſa! Longe aliter illi de Scriptura, de viribus humanis, de Spiritus denique lumine, philoſophantur. Wol-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

zogium Velthuiſium in alia plane euntes hic offendimus. Sic tandem priſtina Theologia, veritas, quæ juxta pietatem eſt, abolenda & ex recordatione hominum, per iſtos homines, delenda, novitatibus, meditationibus propriis indulgendum erit unicè.
Cartwr. *O quam in rebus cæleſtibus percipiendis ſumus ſtupidi*
Harmon *natura & bardi! Cum enim cætera omnia, tametſi cog-*
p. 946. *nitu difficillima, in intimis terræ quaſi penetralibus ab-*
& 947. *ſtruſa, infinitis ſpaciis à nobis diſſita, aut propria induſtria, aut duce magiſtro percipiamus; cum terræ, maris, cæli magnitudinem animo & diſquiſitione aſſequamur; cum ſolis, ſtellarum menſuram, cum corporum cæleſtium motus comprehenſa habeamus; naturæ ſecreta rimemur; cum in artibus inveniendis miri artifices eſſe comperiamur: tamen* NB *ne minimum regni cælorum Myſterium percipere rite poſſumus. Aminalis homo non percipit ea quæ Dei.* I Cor. II. 14. *Pſ.* XIV. 2, 3. *Rom.* III. II. I *Cor.* II. 9. *Si ſapientia & ingenio humano percipi poſſent, quis non videt plures ſapientes & nobiles ad religionem veram aggregatos iri, quam fatuos & ignobiles. Huc* I Cor. II. II, 12. *Quod quidem adeo verum eſt, ut ne improbi quidem ipſi myſteria regni percipiant ad eorum auctiorem condemnationem, niſi cælitus ea accipiant Hebr.* VI. 4. *tantum abeſt ut ſalutariter percipiant. Neque vero hoc ad illos duntaxat ſpectat, qui Sp. S. deſtituti ſunt & extranei, ſed & ad illos pertingit, qui S. S. & cognitione Script. aliquouſque imbuti ſunt.* Sic de Gregorio Thaumaturgo ſeu Neocæſarienſi, in ejus vita, Nyſſenus Gregorius. Καταλαμβάνει δὲ τὸν ἑστῶτα λόγον &c. latina exſcribam prout verſa ſunt à Voſſio
Gregor. Tungrenſi præfecto, *apprehendit autem firmum ac ſta-*
Neocæ- *bile verbum fidei. quod non redundanti aliqua verborum*
ſar. Ope- *curioſitate, & artificioſis argumentorum nexibus con-*
ra Edit. *firmatur: ſed per ſimplicitatem verborum ex æquo ad-*
Voſſia- *nunciatur omnibus: quod eo ipſo, quod ſit ſupra fidem,*
næ. *vim fidei faciendæ habet. Nam ſi id, de quo ſermo habe-*
p. 245. *tur,*

tur, ejuſmodi eſſet, ut humanarum cogitationum viribus comprehenderetur, nihil à Græcanica ſapientia differret, nam & illi quodcunque comprehendere potuerint, illud quoque eſſe opinantur. Quoniam autem ſupernam illam naturam quæ rebus præſidet univerſis, cogitationes & rationes humanæ aſſequi ac comprehendere nequeunt: ideo fides in locum rationum ſuccedit, ad ea, quæ rationem & comprehenſionem ſuperant, ſeſe extendens. Socratis authoritate permotus, hanc orationem Nyſſeni eſſe credit Scultetus. Varia licet à Voſſio laudentur, quæ ſuppoſititia probavit Perkinſus & poſt eum Rivet, Argumenta theſin Orthodoxam probantia, brevitatis cauſa omittam, hac vice Wolzogii ab Orthodoxis cum Velthuſio ſuo diſſenſum demonſtraſſe, eorumque cavillationibus iviſſe obviam, ſufficiet. Plura habet Clar. Hoornbeekius Opere adverſus Socin. Tomo Primo, Libro Primo. Prætereundum autem non eſt, quod Zanchius tam late diffuſam hominis doceat corruptionem, tantamque cæcitatem *eſſe, ut ne quidem ſcientiæ theoreticæ, & artes tam liberales, quam mechanicæ ab hominibus etiamſi velint & conentur aſſequi, ex natura, aut ex generali influxu (ut vocant) abſque ſpeciali Dei auxilio, unquam ſint conſequendæ.* Varia adverſus orthodoxam veritatem objiciuntur ab adverſariis, verum fruſtra, ut fuſe id docuit Hoornbeekius: Neque multum diverſa aut validiora ſunt, quæ ſparſim Wolzogio exciderunt. Quædam ab impiis cognoſci, veritatem illos videre ſæpiſſimè, proximùm præcedente articulo, quomodo verum & quouſque verum ſit, explicui, ita ut nihil inde pro ſua ſententia evincat. Naturaliter enim & Grammaticè ſolum capiunt, quæ percipi ab impiis Orthodoxi concedunt. Neque eo evadendi rimam Wolzogio aperiunt, licet excipiat fortaſſis, ſe etiam de nuda *loqui* καταλήψεως, *qui de Scripturæ perſpicuitate ſententiam ſuam exponit, non de fide, aut obedientia.*

Critici Sacri L. III. Cap. XXIII.

Zanch. Oper. Tom. IV. Libr. I. Cap. VI. Theſi V.

Remon-ſtr. Apolog. p. 34. *dientia.* Sic Remonſtrantes in ſua Apologia. Reſpondet autem Hoornbeekius, quid ni enim eidem nodo eundem adhiberem cuneum? *Illa diſtinctio,*
Hoornb. L. cit. p. 69. *ſive diſtinctus modus cognoſcendi, non à fide & obedientia eſt, quæ ſequitur poſt cognitionem quaſi non in ipſa quoque cognitione attendendus ſit.* Ipſa cognitio æque etiam indiget novo ſpirituali principio, ac fides & converſio. Neque vel ad minimum intellectus circa Scripturam actum benè eliciendum, magis ex nobis ipſis ſumus idonei, quam ad actus fidei & converſionis. Expertè id docet Apoſtolus. 2 Cor. III. 5. Et tandem, de percipiente loquitur Wolzogius p. 105. atque ſic in ipſa cognitione, & ratione cognoſcendi, ut ſacras Scripturas cognoſcat homo quantum ſatis eſt, requiritur, plus quam nudum percipere ſenſum Grammaticum; Ideoque & fucus patet, quem *prætendunt Remonſtrantes*, aut prætendere cum ipſis poſſet Wolzogius, *de fide & obedientia nec vola nec veſtigium in declaratione eſt, nec locus de iis agendi hic erat. Quia in declaratione jam egerant de tali intelligentia Script. quantum ſatis eſt.* Wolzogius eodem argumento convinci facile poteſt, non quidem eadem verba habet,
p. 73. ſed Synonyma: *nobis ſufficit ea firmiter tenere quæ neceſ-*
p. 175. *ſitate quadam ad ſalutem requiruntur. Quæ ita clara ſunt atque obvia ut ab omnibus intelligi poſſint.* Sic Wolzogius: certe ovum non magis ovo ſimile eſt, quam in hac cauſa Remonſtrantibus Wolzogius.

Obſcuritatis vero ſcripturam ſic argui ab Orthodoxis, ſi forſan putet cum Velthuſio. Frequens illa & trita Remonſtrantium & Socinianorum quidem
Withak. Tom. I. Contr. I. Quæſt. IV Cap. I. p. 336. cavillatio eſt, ſed nullius momenti. Dudum ex Heidano aliiſque id didicimus. Subjecti recipientis imperfectio, objecto non eſt imputanda. Celeberrimus ille Pontificiorum victor Withakerus, hanc diſtinctionem ex Luthero proponit his verbis, ſane ſcopum noſtrum exactiſſimè ferientibus. *Alia etiam di-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

diſtinctione utitur Lutherus eodem in loco. Ait enim, ſcripturarum ſive claritatem, ſive obſcuritatem, vel internam vel externam eſſe, ſubjectivam dicunt alii vel objectivam, abſolutam vel relativam, eodem enim res redit; *internam, ipſius cordis ſcilicet; externam, in ipſis verbis poſitam. Si de interna ſcripturæ obſcuritate vel perſpicuitate loquamur, ait, ne unum quidem jota iſto modo in Script. perſpicuum eſſe, ſine Sp. S. interna luce: omnia enim hac ratione & hoc reſpectu carni & acumini hominis obſcura eſſe, juxta illud quod habetur Pſ.* XIV. *Dixit inſipiens in corde ſuo non eſſe Deum. Sin autem externam Scripturæ claritatem vel obſcuritatem intelligamus, ait, omnia dogmata iſto modo clara eſſe, & in lucem producta. Atque hæc quidem diſtinctio eſt valde neceſſaria. Et hæc certe differentia eſt inter Theologiam & Philoſophiam, quandoquidem ad artes Philoſophicas perdiſcendas externum tantum naturæ lumen requiritur. Sed ut Theologiam recte teneamus, opus eſt interno lumine Sp. ſancti, quia, quæ fidei ſunt, ſub rationis humanæ diſciplinam minimè cadunt. Atque hæc interna claritas eſt, quæ tota à Sp. ſancto fluxit.*

Neque ſic fruſtra nobis aut data Scriptura, aut indita intellectus facultas eſt; uti argumentantur Pelagiani, Et cum iis Wolzog. ut videre eſt ad Libr. I. Str. 6. Non enim eo fine data eſt, ut ab intellectu naturali & mortuo perciperetur, ſed ut ii, quibus daretur principium illud cognoſcendi ſpiritualiter, myſteria inde regni cælorum addiſcerent. *Novit autem,* ait Bucerus, *Dominus ſuos, & hi illum, ejuſque hi vocem norunt, his enim Dominus, ſe, & Patrem revelat. Agnoſcunt igitur ſe in Domino invicem, ex certa doctrina verbi & Spiritus Domini: at dicit unuſquiſque, ſcio cui credidi. Obſignatur enim veritas Chriſti in uniuſcujuſque corde. Itaque certa & indubitata exiſtit divinarum Scripturarum interpretatio, ſed in veris* Bucer. L. Cit. P. 13.

Chriſti

Chriſti Eccleſiis, & apud eos qui verè vivunt in Chriſto & aguntur ejus Spiritu.

Duplicem etiam ſenſum non fingimus, uti ſplendidè mentiuntur Remonſtrantes, ſed ejuſdem ſenſus diverſos recipiendi modos, prout diverſo aguntur homines principio. Fuſe id, adverſus inſultationes Apologiſtæ, docent noſtri. Ad fidem, fateor, plura requirit quam ad Scripturæ intellectum Wolzogen, majus quippe eſt, credere quam ſcire, hinc ad fidem requiri gratiam non negat, ſed ad Scr. intellectionem, ut ita loquar, non item. Ad amuſſim Pelagianam omnia, ſic ejus Doctor, Magiſter Epiſcopius, nam & is aliquando liberalis eſt. *Aliud eſt credere aliud intelligere, ad intelligentiam ſenſuum perſpicuorum, nihil aliud neceſſarium eſt, quam vis apprehendendi & percipiendi verba, quibus clarè & ſignificanter ſenſus iſti expreſſi ſunt. Ea vis naturalis eſt, & omnibus ratione recta aut ſana præditis communis in omni ſtatu. Ad fidem vero ſive ad adſenſum ſenſibus intellectis adhibendum, ſola iſta vis non ſufficit, &c.* Diverſa ſunt credere & cognoſcere, ſed & cognoſcere, & cognoſcere, diverſum eſſe poſſe, non advertunt. Jmo cognitio hominis naturalis, ab ea, quæ in regenito reperitur, magis diſtat, quam, in eodem homine, fides à cognitione, quarum una tam arcta affinitate cum altera jungitur, ut cognitio non ſolum pars fidei ſit, ſed & fides ſæpe per cognitionem denotetur. Ac profecto cognitio omnis, quæ verè cognitio dici meretur, & ſpiritualis eſt, non minus, quam fides, Deum ejuſque Spiritum authorem habet. *Datur enim noſſe.* Spiritus eſt ſp. revelationis & notitiæ. Deoque tranſcribit Chriſtus omne quod in ſuis parvulis cognitionis eſt. Calumniatur tamen audacter & ſplendidè Velthuiſen, quando *Spiritum nos pro principio fidei ponere* refert, aut palpabilem docet Pelagianiſmum. Vel enim ſignificat,

[Margin notes: Trigland. Antapol. Cap. III. — Hoornb. Socin. Confut. T. I. L. I. Cap. V. — Epiſcop. Inſtitut. Theol. L. IV. Cap. XVI. — de uſu Rat. p 60.]

nos

nos præter Scripturam aliud principium normale fingere, dictata nimirum Sp. S. atque ſic calumniatorem agit. Vel, nos Spiritui ſancto cauſalitatem fidei hyperphyſicam, qua ille fidei in nobis effector & author eſt unicus, tranſcribere, principio pro cauſa efficiente prima ſumto, ſi autem hoc ſenſu id a nobis dici conqueratur, verum dicit, ſed Pelagium ſic in oppugnando Sp. S. ejuſque gratiâ ſuperat immenſum. Plura ſunt quibus Paſtori Senior ſuppetias hac in controverſia ferre voluiſſe videtur. Ut Medicum decet, in anteceſſum ex ſignis diacriticis de natura morbi judicat; *Etiam illi*, ſic pronunciat, *in vicinitate Enthuſiaſmi verſantur, quibus pro concione in ore eſt, ſe quidem certa & explorata docere, ſed ſibi & regenitis ea tantum eſſe perceptibilia, aliis autem imperceptibilia; & quia Spiritu deſtituuntur, eos ad illa argumenta cæcutire. Ideo ſæpius ſolent præfari ſe ea in medium prolaturos, quæ multi ex auditorum numero non poſſunt intelligere, neque illorum cauſa ſe iſtum ſermonem habere, ſed ſpiritualium gratia. Statuo tales non longe abire ab Enthuſiaſmo.* Jam anteà ſarcaſmum iſtum retudimus. *Talem etiam hanc nobis ſapientiam deſcribit Apoſtolus, ut, niſi immediatè nobis per Spiritum reveletur, nullum aliud ulli homini, quo ad hanc cognitionem pertingat, ſuperſit. Quod enim nemo Principum hujus ſeculi cognovit, illud aut occultum nobis remanere debet aut immediata Sp revelatione acquiri.* Verba ſunt Heidani contra Epiſcopium. Auguſtinum, Gregorium Magnum, alioſque ſic Enthuſiaſticè concionantes audivimus. Quid? an in publico cœtu non dantur omnis generis auditores? nonne, quibus datum eſt noſſe, quibus dati ſunt aperti mentis oculi, quibus Spiritus teſtificatur, dantur? nonne & alii, quibus Spiritus hujus ſeculi occæcavit mentes, qui adhuc in errore verſantur, cæci, non videntes? An Chriſtus Jeſus male & Enthuſiaſticè auditores ſuos ita diſcri-

Velth. de Rat. uſu p. 60.

criminabat? Paſtores quod attinet, putaſne nullos eſſe, qui cum Johanne ea quæ viderunt, quæ audiverunt, quæ manibus ſuis palparunt, proponant? quibus dedit Deus experientiam ſpiritualem, guſtumque eorum, quæ aliis annunciant? At ſurdo narrat fabulam, qui huncce hominem iſta doceat. Benedictus ſit Deus noſter, qui Paſtores hactenus Eccleſiæ ſuæ ſupereſſe voluit, quorum verba mundo peregrina, quorum phraſes hominibus animalibus ſunt Barbaræ, ridiculæ, abſurdæ, dum interim, iidem illi, manifeſti ſunt, eorumque miniſterium piorum præſertim conſcientiis & approbatum Sic Withakerum ſuperius Dureo ſuo reſpondentem audivimus. *Nihil opus fuit ut tam multa hic Luthero & Calvino de novis quibuſdem Enthuſiaſmis objiceres, in quo quis non videt à quo hoc Spiritu profectum ſit? Deum precor ut hanc tibi Blaſphemiam ignoſcat. Quibus hæc peregrina vox eſt aut incognita, eorum non ſunt illuminatæ mentes à Spiritu:* ait Polanus.

Rationes addit noſter Medicus 1. *Scripturæ diſſentaneum eſt, ponere aliud impoſſibilitatis genus in addiſcenda & cognoſcendâ fidei veritate, quam quod in virtutis & pietatis ſtudio ſe manifeſtat.* Obſcurum hoc eſt, ſic mentem ſuam illuſtrat. *Et Scriptura docet impios tam volentes in ignorantia & errore exitiali verſari, quam volentes & ſua ſponte impietatem ſectantur.* Non negamus multos affectata ignorantia & maligna laborare, quos & ideo reliquis pejores eſſe Scriptura innuit: at aliud impoſſibilitatis genus, ſive aliam ignorantiæ cauſam, præter propriam malitiam nullam eſſe, certè falſo falſius eſt, & craſſiſſimè Pelagianum. *Oculos nobis eſſe negat Aoſtolus, nihil homo in ſpiritualibus comprehendit. Quid ita? an quia per ignaviam aut malitiam negligit? imo, etiamſi enitatur, nihil poteſt, ne culpa hujus detur animalis hominis deſidiæ & negligentiæ,* ſic Calvinus, ſic Muſculus, ſic Reformati. An non ag-

p. 61.

Calvin. Inſtitut. L. II. C. II. §. 20.

agnoſcis oculos nobis deeſſe, non mortuos nos eſſe in peccatis Velthuſi? vel an illa omnia obicem non ponunt, niſi nova & actualis malitia ultro ſuperaddatur? Norunt quid velis, quibus fætent Pelagii fæces. Eph. II. 1,2,3. IV. 17,18. V. 8. Tit. III. 3. Scripturæ affingis audacter id, cui tota reclamat. Lapſum hominem, natura inſipientem, cæcum, mortuum dicit peccatorem & inculcat. Hinc ineptus eſt ad omne bonum, juxta Catecheſin, etiam ad ſpirituales intellectus actus exerendos. Fuſè, internum lumen ſupernaturale requiri, quo nondum indito, nihil cogitat, nihil percipit peccator ſpiritualiter, jam antea probavimus, ac proinde hominem per ſe ineptum eſſe, faciat quicquid poteſt; niſi, facienti quod in ſe eſt, de congruo gratiam deberi ſomniet cum Jeſuitis noſter Medicus. Chriſtus Jeſus, nonne exertè docet, aliquibus dari quod non datur omnibus? hoc autem fit ex gratia, ſicque ille, cui iſta gratia, quam Deus nulli debet, non obtingit, non Mat. XI. 25. capit; ac quidem, ob ſubjecti, per originale peccatum, corruptionem, impoſſibile eſt ut capiat Myſteria Regni cælorum. Hinc Dominus Judæis ait, *Vos non creditis: non enim eſtis ex ovibus meis.* En aliam im- Joh. X. 26. poſſibilitatis cauſam. *Probavimus alibi,* inquit Hoornbeekius, *Spiritus Sancti opem & illuminationem non reſtringi ad difficiliora Scripturæ intelligenda; ſed ad omnia & ſingula ſacra requiri.* 2. Secunda ratio ſic ſonat. *Etiam illi ipſo uſu hoc probant, nam de ſua ſententia &* p. 62. *alios erudire nituntur iis argumentis & rationibus, quæ etiam valent in interpretatione ſcriptoris profani. In docendo, & explicandis rationibus & argumentis ſuæ fidei, inſiſtunt viam à notiſſimis, ad quæ intelligenda tam ſingularem Sp. operationem, tanquam novum lumen non requirunt, ad obſcuriora progrediuntur.* Quid jam porro? ſic concludit: *Hac ipſa opera oſtendentes ſe agnoſcere ſuas opiniones ſuaque dogmata, quæ profitentur iis notionibus niti, & ab iis manare, quas ſinguli*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

poſſent percipere ſine novo & non omnibus communi lumine. Miſera & plus quam puerilis iſta eſt cavillatio. Diſtinguenda perceptio naturalis à ſpirituali, quippe toto genere diverſa ab una altera, uti ſuperius demonſtravimus. Non enim omnem perceptionem, ſed ſpiritualem omnem denegamus homini irregenito Ratiocinationes quibus utimur, media eſſe credimus, ſed moralia, quibus homines illuminentur &, ſuperveniente Spiritus operatione hyperphyſica, veritatem intus & ſpiritualiter percipere apti evadant ac doceantur. Nullam fidei notionem, vel notiſſimam, abſque Spiritus interno lumine perceptibilem credimus & profitemur, Lutheri ſententia nobis placet, quam ex Whitakero audivimus, interna claritate ne unum quidem jota perſpicuum eſſe, & verè ſpirituali modo recipi, abſque interna Spiritus Sancti luce, naturali modo, licet eadem forſan veritas, & Grammaticè, uti in Cenſura Profeſſores Leidenſes loqui amant, ab homine naturali percipiatur. Sic agnoſcimus noſtra iis notionibus niti & Scripturæ dictis, quas, abſque lumine regenerantis Spiritus, naturaliter percipere valeat homo animalis, Spiritum non habens; atque eum in finem ſic ratiocinationem inſtituimus, ut morali medio adhibito, per ſupervenientem Sp. S. hyperphyſicam operationem, ad ſupernaturalem intelligendi aptitudinem perveniant auditores jam animales. Sic & tuas aliaſque *malas ratiocinationes ad oppugnandam veritatem* excogitatas, refellimus, non quod putemus veritatem tibi aut tui ſimilibus ſpirituali modo perceptibilem eſſe, ſed naturali, neque tamen incaſſum nos laborare ſperamus in domino: fieri enim poſſet, ut tute tandem, poſt tot tantaſque adverſus lucem Spiritus ſcriptas fictaſque altercationes ſtultitiæ tuæ naturalis convictus, ſic ad ſpiritualem, tali morali medio interveniente, per Dei gratiam perducereris ſapientiam & illu-

1 Cor. II. 14.

p. 63.

& illuminatos adipiſcereris mentis oculos, quos animitus tibi apprecor: aliis ſaltem manifeſta erit iſta ad conſcientias veritas, quam docemus, eritque medium pios & ſpirituales, in fide recepta, adverſus tuos aliorumque carnalium perpetuos inſultus, muniendi & corroborandi. Inſtas & dicis ſententiam tuam confirmare, *quod illi ſpirituales eo intelligentiores aut minus intelligentes ſunt in Theologia, quo inſtructiores ſunt earum rerum ſcientiis, quas abſque illa ſingulari Spiritus opera comparari poſſe confitentur.* Reſp. 1. Dicterium illud quod attinet, in deliciis nobis eſt, per Dei gratiam, & eſſe ſpirituales, & propterea carnalibus ludibrio haberi: neque enim inde tantum nobis periculi imminet, quantum tibi; qui temet à ſpiritualibus ſegregando, vel tuo judicio carnalis es. 2. Sed ex Buceri, Muſculi, Calvini, Cameronis, quorum verba ſuperius producta ſunt, vel ipſius Apoſtoli judicio, ineptus es, ad judicium de 1 Cor. 11. ſpiritualibus depromendum. Cæcus garris de coloribus. Spiritualiter ſpiritualia dijudicantur â ſpiritualibus. 3. Deinde, quid valeant artes & ſtudia humaniora, ante hac, ſummos Viros explicantes audivimus, nuperrimè Bucerum. Abſque Spiritu nihil valent, imo ineptiores reddunt ad ſpiritualem perceptionem homines animales. Ubi Spiritu regitur illuminata mens, hæc dona ſanctificata, media ſunt, in ſuo genere, ſanè non contemnenda, quæque & omni ſtudio ſibi comparare nituntur iſti ſpirituales: non enim illi eruditorum ſpernunt labores, nec ſibi ſoli ſapere videntur, cum multis Neotericis. Scientia interim non intumeſcentes, omnia quippe illa adminicula ulteriori adjumento non eſſe probe conſcii profitentes, quam in quantum ſpiritu, qui eſt ſpiritus modeſtiæ & vetat altum ſapere, ſanctificantur & elevantur. Atque ſic concedunt ſpiritualiter magis intelligentem eſſe, qui ſanctificata alia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

aliarum rerum ſapientia præſtat, quam illum qui iſta caret, vel rerum quidem ſcientia, ſed quæ non ſit ſanctificata, pollet. Non negantes interim, Grammaticam illam quam diximus & naturalem percipiendi aptitudinem, ſeu perceptivitatem, hoc termino utitur Biſterfeldius, in ſuo genere, aliarum rerum ſcientia mediante, extendi. Quæ tamen, vel maximè licet aucta, nunquam in aliam perceptivitatis ſphæram tranſfert hominem peccatorem. Hæc diſce Velthuſi, ſic totum negotium concipiunt homines, qui ſpirituales eſſe deſiderant, & pro ſuo modulo.

Philo-ſoph. Prima.

4. Quid diceret Medicus, vel aliarum rerum ſcientiam communi adjuvante providentia & influxu acquiri non poſſe, cum Zanchio ſi quis ſtatueret, hominemque ita in tenebris demerſum, ut Spiritus ſancti quadam opera & inſpiratione gratioſa non adjuvante vel in iis proficere quicquam ipſi impoſſibile ſit? *At deberet* tum, dicit Medicus, *id ex adverſariorum ſententia obſcurum in Theologia vocari, non quod à principiis & notioribus remotius eſt, ſed quod deſiderat Spiritus lumen regenitis tantum proprium.* Neque rem ipſam, neque adverſariorum ſententiam intelligit, miſerrimus argumentator. Perſpicuitatem ut & obſcuritatem dicimus internam vel externam eſſe, ſeu objectivam aut ſubjectivam: objectivam perſpicuitatem ſcripturæ vindicamus: id autem, quod ſic objectivè perſpicuum eſt, percipitur pro diverſa ſubjecti habitudine & operandi modo, vel Grammaticè, literaliter & naturaliter, vel ſpiritualiater & ſalutariter: hoc reſpectu non ea ſolum, quæ a principiis ſunt remotiora, ſed vel ipſa principia ac notiſſima quæque in ſcriptura, obſcura, hoc eſt, imperceptibilia dicimus homini animali ſeu naturali, quippe vel minimum jota, abſque Spiritus interno lumine, ſpiritualiter percipere non valenti. Grammaticè vero atque literaliter & prima principia, & alia plura

Zanch. Op. Tom. IV. Lib. I. Cap. VI. Theſi V.

inde

inde profluentia, ſuo modo homo animalis poteſt intelligere, vel ex ſpiritualium ſententia. Stultum vero eſt quod ſubdit. *Neque illi deberent diſcere Theologiam via vulgari, progrediendo à facilibus intellectu ad minus facilia: ſed confuſe, prout Spiritus iis ſenſum adſpirat.* Quaſi iſti ſpirituales mediis non uterentur, iiſque tali modo ac ſerie, qui à Deo, ut gratiæ diſpenſatore, ſic & ordinis authore ſapientiſſimo, rebus impoſitus eſt. Adverſus vorticordiam, imo omnem efficacem gratiam, ejuſque quamcunque operationem, eodem ſophiſmate inſurgunt omnis generis Pelagiani, ſed perabſurdè: novimus Deum non confuſionis Deum eſſe, mediaque & cauſas rerum ordinaſſe tam reales quam morales; cujus ordinis neglectus, cum pia Spiritus ſancti expectatione cultuque pugnant exertiſſimè. p. 64.

Tandem in Remonſtrantium caſtra concedit apertè: ſic ſonant quæ ſequuntur. *Cum etiam homo hæreticus conſcius ſit ſuæ pravitatis, per quam volens veritatem oppugnat, & affectibus obſequitur, agnoſcendum eſt res fidei etiam reprobis manifeſtas eſſe poſſe, quomodo alioquin hæreticus poſſet eſſe convictus in ſua conſcientia?* ejuſdem notæ eſt, quod idem author tradit alibi, ſic differens. *Et hinc unus idemque error in uno erit hæreſis: quam Apoſtolus inter opera carnis recenſet Gal.* v. *Atque quo cum diſputare vetat, verum eum poſt unam & alteram admonitionem vitandum monet, talis quippe ſatis apud animum erroris ſui convictus eſt & ſanis rationibus prout decet à ſe locum non dari conſcius Tit.* III. Idem planè quod urgent Remonſtrantes: voluntque hæreticum omnem & ſemper ſcientem errare, ita ut hæreticus non ſit, qui verum putat, illud in quo errat, probantque eodem Apoſtoli loco, cujus verba addùcit Velthuſius: ex eo autem conficit noſter, *res fidei reprobis manifeſtas eſſe poſſe.* Omnia falſa, nihilque ſani in his verbis ineſt. Non jam conſequentiam exagitabo, nimirum, an ex eo, quod omnis

Velth. Tractat. Vernacule Of de Overhr. &c. p. 61 & 62.

Apolog. in Præfat.

Tit. III. II.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

nis hæreticus ſciens erret, ſequatur, res fidei ipſis reprobis notas eſſe poſſe, peccati enim perpetrandi conſcientiam, cum evitandi impotentia, conſiſtere poſſe commodiſſimè, certum eſt: niſi non cunctis ſolum reprobis, ſed vel ipſis Diabolis, ſcientes quippe illi peccant, errantque, peccati erroriſque evitandi, abſurdo commento, potentiam tribuas & facultates: Antecedens vero paucis expendere lubitum. Origo quippe perverſæ iſtius lenitatis & moderationis eſt, quam hodie circa quoſvis hæreticos exercendam eſſe, poſt Remonſtrantes crepant homines mundani: Errant enim errores inculpatos, profitentúr ac credunt, quæ vera putant, multi eorum qui dicuntur hæretici, nec ſunt tamen tales: hæreticus enim nemo eſt, niſi qui in conſcientiâ ſua convictus eſt. Sic Velthuſius alibi contendit, eundem errorem in uno hæreſin eſſe, nimirum qui in conſcientia convictus eſt, in altero non item, qui ſeductus &c. hoſce non coercendos docet inibi, aut puniendos, ne quidem pæna minoris libertatis: quod extendendum putat ad omnes errores; quamdiu non perſpicuè videmus eos cum malitia junctos eſſe. Neque an non vel Judæorum vel Idololatrarum errores huc pertineant, determinari facile poſſe putat. Poſſet quis graviſſimè errare & tamen inter peccatores recenſendus non eſſe, inquit idem. *In hoc abſurdum abſurdorum abſurdiſſimum viros alias nimis quam perſpicaces præcipitavit ipſorum Dea*, (ecce hujus tui erroris fontem Velthuſi, verba viri Doctiſſimi refero) *quod ipſi perditè depereunt idolum, libertas arbitrii: ſic enim cum ratione inſaniunt: omne peccatum voluntarium eſt, liberum eſt, in voluntate ſedem habet; errores vero mentis vitia ſunt, non voluntatis; quare errores, niſi voluntarii ſint, peccata non ſunt dicendi. En quo dementiæ miſeros ſuum perduxit arbitrium!* At arbitrio in hoc prælio ſuppetias fert Philoſophia Carteſiana,

Onder-ſoeck of de Magi-ſtraet eenigh quaadt magh toelaten, pag. 61.75.76 83. 84. 95.96. 121. Baillius Poſt Opus Chronolog Diatr. Prima p. 100. & ſeq.

ſic

ſic illius fundamentis inſiſtens, alicubi noſter Medicus. *Recte concludi intellectum nunquam pravè intelligere. Et ideo intellectione proprie dicta nunquam peccatur. Cauſa erroris à voluntate proficiſcitur: intellectus autem ab eo vitio plane immunis eſt. Error ſemper voluntarius eſt.* Nec aliter ſtatuere poſſunt quotquot Carteſii cogitatis adhærent. Affirmare enim & negare ipſi non intellectus ſed voluntatis eſt. Vidimus Velthuſii cum Remonſtrantibus exactiſſimam in iſto negotio συμβίβασιν, argumenta Reformatorum breviter audiamus. Sic de hæreſi Baillius. *Num omnis hæreticus erret ſciens &c. Hoc Apologiſtæ aſſerunt:* idem aſſerit Velthuſius & neceſſariò omnis, qui Carteſii, de intellectu & voluntate Philoſophemata, amplectitur: *nos cum tota Chriſtianorum natione negamus.* Pro recta ſententia militat locus 2 Theſſ. II. 9-13. qui ſic ſonat. Cujus adventus eſt ex vi efficaci Satanæ, & cum omni ſeductione injuſtitiæ, in iis qui pereunt, ideo mittet iis Deus efficaciam erroris, ut credant mendacio, ut damnentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed acquieverunt in injuſtitia *Quibus Deus mittit efficaciam erroris, ut credant mendacio, quos Satanas efficaciter ſeducit, ut non credant veritati, ſed acquieſcant in injuſtitia, iſti ſua dogmata habent pro nimium veris: Atque hæc eſt ſequacium Antichriſti cognitio, qui procul dubio errantes ſunt & heretici.* Alter locus eſt 2 Tim. II. 18, 24, 25, 26. Qui circa veritatem aberrarunt à ſcopo, & ſubvertunt quorundum fidem. Servum autem Dei non oportet pugnare, ſed cum lenitate erudire eos, qui contrario animo ſunt, ſi forte daturus ſit iis Deus reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis, ut ſanitate mentis recepta, evadant ex Diaboli laqueo, ab eo facti captivi ad ejus libitum. *Inde ſic arguo, Hymenæus & Philetus habebant ſua dogmata pro veris: Atqui illi erant hæretici. Ergo. Majorem probo. Qui aberrarunt à veritate,*

Velthuiſen Init. Prim. Philoſoph. juxta fundam. Carteſii. p. 271. 273. 274. 275.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ritate, qui non agnoſcunt veritatem, quorum animus veritati contrarius eſt, quorum ipſa mens captiva eſt in Satanæ laqueo, iſti, quæ profitentur dogmata, non vident eſſe falſa, ſed habent pro veris: Atqui hæc omnia Hymenæus & Philetus verbis citatis. Ergo &c. Sic Jannes & Jambres dicuntur etiam mente corrupti & non ſolum ſeducentes, ſed etiam ſeducti, atque ut
2 Tim. *illi, ſic & hæretici qui reſiſtebant Apoſtolis, ſeducen-*
III.8-13. *tes quidem, verum etiam ſeducti erant.* Et Chriſtus Mat XXII. 29. dicit, erratis neque Scripturam ſcientes, neque potentiam Dei. *Hinc arguo, errantes etiam fædiſſimè neſciebant dogmata ſua errores eſſe &c. Quid? ſequetur neminem de hæreſi conveniri poſſe coram hominibus, ſolus enim Deus renes ſcrutatur.* Hoc Ithacus *velit, & magno mercentur Atridæ. Hoc ipſum eſt peſſimæ hujus operæ Remonſtrantibus aliiſque pretium. Hac late patente porta jubent irruere in Eccleſiam hæreticorum omnigenos greges; quos ſuo iſto ſinu peramanter excipiunt. Quam immane vero ſit hoc ἄτοπον, præter omnium Eccleſiarum omni tempore praxin, præter varios Scripturæ locos, is ipſe ad Titum* III. 10. *in quo cauſæ ſuæ columen conſiſtere putant adverſantes, abunde probat. Imo neque erraret hæreticus, cum quæ errores ſunt pro erroribus habeat, licet id diſſimulet. Et ab omni hæreſeos nota abſolverentur Manichæi, Ariani, Macedoniani, Vorſtius, Socinus, Servetus & quotquot pro ſumme nefariis hæreticis, vel olim, vel hodie habiti ſunt, ni tibi conſtet iſtorum interna de ſuis erroribus perſuaſio. Denique nudo errori ſic nullum inerit vitium. At nullam in eo abſurditatem*
Apol. Cap. XXIV. *vident Remonſtrantes,* nullam Velthuſius. *Quanquam autem boni iſti viri in eo nullum inconveniens videant, noſtri tamen officii eſt illud abominari. Nam ſi in errore nullum eſt peccatum, certè non tantum quotquot hodie in terris hæretici dicuntur, habendi ſunt pro fratribus genuinis, verum etiam Judæis & Turcis pandenda ſunt Eccleſiæ adyta: quin & ipſe Paganiſmus adi-*

tum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tum hac ratione poſtulabit in cælum. Profecto ſi Socinianis abſque omni piaculo, abſque ulla ſalutis jactura negare liceat Chriſtum Deum, blaſphemare Sp. S. & ejurare ſacroſanctiſſimam Trinitatem, ſi Serveti pura eſt ab omni ſcelere anima, quanquam in Deum omni blaſphemiarum ſpurcitie ad ultimum uſque ſpiritum debacchatus ſit, iſtos omnes ſi liberes peccati reatu, hoc nomine, quod quæ miſeri eructarunt ex ipſis animæ penetralibus, ex ipſa mentis ſuæ medulla protulerint, iniquum certè fuerit atriore carbone notaſſe Judæos vel Turcas, vel Paganos: quorum multi ſingulis ſemper ſeculis parati fuerunt vel ſanguine, & vita, teſtatiſſimum facere quæ contra Chriſtianos blaſphemarent, ea ſe abſque omni hyprocriſi, ex imo cordis, qualequale haberent, fundo proferre, niſi ad iſtas abſurditatum Gorgonas Remonſtrantes & Velthuſius *expalleant, nobis ipſorum durior adamante ſtuporis plurimum incutiet facies.* Tandem ſcire ex noſtro Velthuſio velim, an prorſus excuſari poſſit, invincibilis licet ſit, ignorantia illa, quæ partem facit peccati originalis inhærentis. Apoſtolus an non peccavit ante converſionem erroribus circa Chriſtum commiſſis, quamvis ignorans erraverit? Plura hac de re habet Eſſenius. Quæſtionem iſtam his verbis propoſuit Voetius. *An de ratione hæreſeos ſit, ut error fundamentalis contra conſcientiam teneatur? Sententia Remonſtr.* inquit, *eſt in Vindiciis ſeu Vedelio Rhapſodo L.* I. *C.* I. *&* X. *cum Apolog. Cap.* XXIV. *quod hæreſis ſpeculativa, ut eam vocant, non ſit peccatum* Imo propriè non hæreſis. *Vide hæc commenta eorum abunde in lucem protracta & excuſſa à Vedelio in arcanis Arminianiſmi* part. IV. L. II. Cap. 4. & locis ibi cit. Certè habuiſſent hæretici quo ſeſe excuſaſſent, ſi Velthuſii aut Remonſtrantium commentum ipſis notum fuiſſet, iniquè ſecum agi, innoxium & inculpatum errorem exagitari, *quod quantumvis tota errarent terra, mari,*

1 Tim. 1. 13. Eſſen Syſtem. Tit. XVI. §. 103. 104. Voet. Diſp. Sel. part. III. pag. 744. Mareſ. Exam. Diſſert. II. Curcell. Sect VIII. §. 23 & I. §. 1-22.

cælo, procul tamen ab omni hæreſeos abeſſent macula: quandoquidem parati eſſent Deos omnes jurare, etiam ſanguinis martyrio teſtari, ſua ſibi dogmata ſaniſſima, veriſſima videri. Hujuſmodi tamen errorum excuſatio hæreticorum ingenioſiſſimis in mentem nunquam venit. Auguſtinus teſtis ſit, quo nemo magis idoneus in hoc argumento produci poſſit. Nam nemo Patrum diutius in fœdiſſimarum hæreſeon cæno volutavit. Fatetur is ingenuè, toto Manichæiſmi ſui undecennio firmiſſimam ſeſe fidem habuiſſe putidiſſimis nugis: crediſſe ficum veras emittere lacrymas, in cibis angelos corporaliter incluſos, etiam Dei particulas &c. Imo credidit non ſolum, ſed obluctatus ne quidem evaſit, ſic de ſe ipſe. *Novem ferme anni ſunt, quibus ego miſer illo limo profundi ac tenebris falſitatis, cum ſæpe ſurgere conarer, & gravius allidere, volutatus ſum;* & alibi *per idem tempus annorum novem ſeducebamur, & ſeducebamus, falſi atque fallentes.* At quoniam Velthuſio libuit in caſtra adverſariorum tranſilire non ſolum, ſed & inde armis hoſtium Reformatos aggredi, age audiamus quid proferat ad ſtabiliendum tam putidum errorem. Nihil peccaminoſum eſſe, niſi quod etiam voluntarium ſit, de eo jam diſputatur: & iſtud inculcando turpiter principium petit Medicus. Præterquam quod peccata inadvertentiæ quæ vocant & multa alia argumentorum loco enumerare facillimum foret. Verum Belgico iſto Tractatu, putat *homines qui in majoris momenti fidei articulis errant inter peccatores non recenſeri.* Certè Paulus, eodem illo loco quem inibi reſpicit & alibi citat, contrarium planè innuit, ſe iſto errore graviter peccaſſe, tantum enim, D. Coccejo Interprete, abeſt ab erroris ſui excuſatione *Apoſtolus*, ut potius hiſce verbis *culpam ſuam exaggeret ad ſummum uſque. Innuit enim parum abfuiſſe quin incideret in peccatum quod remitti non poteſt.* Et certe putidiſſimè argumentum Apoſtolicum gloſſa iſta Velthuſiana ema-

[Margin notes: Auguſtin. Confeſſ. L. III. Cap. XI. L. IV. Cap. X. — p. 96. — p. 82. — Coccej. in 1 Tim. 1. 13.]

emaſculatur; in eo enim Apoſtolus eſt, ut quam maximè divinæ miſericordiæ & gratiæ laudet, prædicet & exaggeret magnitudinem, idque eo præſertim argumento, quod & ipſi obtigerit, qui talium tantorumque reus erat. Et quæ tandem magnitudo miſericordiæ & gratiæ in eo elucet, ſi remiſſus Apoſtolo dicatur inculpatus error, qui eum ne quidem peccatoris nomine dignum fecerat? Vel an blaſphemia illa, perſequutio, & contumelia, etiam poſt auditam Stephani orationem apologeticam peccati nomen non merebatur, quia ignorans Paulus omnia iſta patraverat? En mirabilem ſcripturæ interpretem! Reſtat locus Tit. III. 11. quem ſæpius in hac materia inculcat. *Unde ſic* Remonſtrantes & Velthuſius *argumentantur*, loquor iterum verbis Baillii, *Omnis* αὐτοκατάκριτος *peccat contra ſui judicii, ſuæ mentis expreſſum dictamen: Atqui omnis hæreticus eſt talis. E. Si negeremus minorem, rueret ſtatim tota fabricæ moles. Nec enim probare poſſent vel de omnibus vel de pleriſque hæreticis loqui Apoſtolum. At negamus majorem, quam magnis id faciamus authoribus & quanta cum ratione habe paucis. Nihil pro iſta explicatione* Athanaſius, Chryſoſtomus, Theodoretus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus &c. Chryſoſtomus *nihil aliud ad* αὐτοκατάκρισιν *requirit quam perſeverantiam in errore poſt admonitiones.* Τί ἐστιν inquit ὢν αὐτοκατάκριτος; οὐ γὰρ ἔχει εἰπεῖν ὅτι οὐδεὶς εἶπεν, οὐδεὶς ἐνουθέτησεν, ὅταν μετὰ τὴν παραίνεσιν αὐτὸς ἐπιμένῃ, αὐτοκατάκριτος γίνεται. Hieronymus aperte *adverſariorum commentum elidit. A ſe ipſo, ait, condemnatus eſt, qui ſemel biſque correctus, audito errore ſuo non vult corrigi, errare exiſtimans corrigentem; & è contrario ad pugnas & jurgia verborum ſeſe parans eum vult lucrifacere à quo docetur. Verumenimverò, quia novaturientibus ſordet auctoritas veterum; probationes audiamus: ac nullam habent, niſi quod forſan aliquam ex ipſo vocabulo* αὐτοκατακρίτου *ingenioſi homines excudant:*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

dant: Nullis autem fidiculis aliud inde extorqueas, quam damnatum à ſe; *ſi ultra premas, omnem ſui damnationem, ſuæ mentis tantum & conſcientiæ ſententia fieri, omnino negamus ſequelam. Nam à genere ad ſpecierum alteram putida eſt conſequentia, nec melior à re ad unum rei modum. Multis poteſt quis condemnare ſe ipſum, mente ſua, ore ſuo, opere ſuo: de poſterioribus modis aliquoties ſcriptura, de primo quantum memini nunquam.* Confer Luc. XIX. 21. Rom. II, 1. Hinc Ambroſius, Hieronimus, Auguſtinus *vocabulum Græcum exponunt, &, fortaſſis ante ipſos, Syrus interpres,* ipſe condemnat animam ſuam, uehou hajah naphſhah: *non* condemnatur ab anima ſua. *Condemnat ſe ſuo facto, quod Eccleſiæ admonitionem ſpreverit: ore, quod verbis ſaltem amplectens omne Dei verbum, ſic profiteatur veritates ex quibus convinci queat.* En argumentum tuum Velthuſi miſere proſtratum à Viro doctiſſimo jam ante quam tu id publicè tuum feceras. Sed quoniam quædam adhuc reſtant magni momenti adverſus Wolzogium dicenda, hanc digreſſionem finio, poſtquam Wolzogio qualem virum Orthodoxiæ tenacem dixerit imprudens, in memoriam revocavi.

JOHANNIS vander WAEYEN

PRO

VERITATE,

& genuina Reformatorum ſententia

ADVERSUS

LUD. WOLZOGIUM

DISCEPTATIONIS

LIBER TERTIUS,

Poſtremam Controverſiam continens & primariam.

AD ipſum tandem Wolzogiani libelli nucleum pervenire dabitur. Ut autem tota pateat orationis meæ ſeries, priora breviter revocanda erunt in memoriam. Controverſiæ ſtatum ad libri ſecundi initium delineaturus, prælibanda quædam judicabam & explicanda paucis: & quidem 1 quid uſus loquendi, 2 quid ratio. 3 quid interpretari. Statum deinde quæſtionis hoc modo formandum eſſe vidimus: Quid tandem ſit, quod me, per modum objecti, certum reddat, aut reddere debeat, hujus orationis illum eſſe aut hunc ſenſum, non alium. Quid Reformati, quid utrique, ſed diverſa via, à veritate diſcedentes, Pontificii ab una, & Sociniani ab altera parte, hac de re ſentiant, uno verbo indicavi. Quoniam verò Wolzogio, per univerſam, de Scripturæ intelligentia, materiam, fusè exſpatiari viſum fuerat: Reformatorum de toto iſto negotio ſententiam, quidque illi, tam à parte ſubjecti, quam objecti, ut & ad utriuſque congruum & legitimum contactum requirant, ſuccinctè explicandi neceſſitatem mihi incumbere putavi:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

at congeſtis collatiſque iis, quæ ad eandem materiam ſcripſerat Wolzogius, ejus multiplices errores, & ab Orthodoxis diſſenſum detegendi ac refutandi occaſio data fuit inevitabilis: aliquoties interim Velthuſio etiam ad partes vocato. Sicque de immediata operatione Spiritus Sancti, ejuſque ſuperinfuſo lumine, ut & de Scripturæ intelligibilitate diſſeruimus; ac, quod præſertim agendum eſſe conſultum duximus, Theologorum Reformatorum de iſtis controverſiis ſparſim dicta collegimus, defenſa ipſorum adverſus Enthuſiaſmi impactum crimen ſententia, ut inde patere autumem, quid diſtent æra lupinis. Nunc de primaria controverſia quid ſtatuat Wolzogius examinandum reſtat. Quæritur, quid me per modum objecti, inſtar regulæ, normæ, ducis, faciſve ducat in Scripturæ interpretatione reali, quæſiti ſenſum in capite hujus libri explicatum reperiet lector. Quædam hic uſui loquendi, Spiritui quædam, quædam rationi tribuit noſter. Quam autem præpoſterè iſta ſint poſita atque explicata, ad oculum demonſtravimus. De uſu loquendi nihil ultra erat oggerendum Wolzogio, quam, eum tam generalem, ſeu communem, quam ſcripturæ peculiarem, quando ſcriptura interpres ſcripturæ orthodoxis dicitur, ſupponi. Imo poſito, ſcripturam intelligibiliter ſcriptam eſſe, neceſſe eſt, ut verborum ſignificatio grammatica, prout vel uſu vel lexicis innoteſcit, præſupponatur: quæ autem cognita non tam realem, quam verbalem interpretationem, ſeu verſionem, producit: ut ejus tam prolixa tractatio, præter ſcopum Wolzogio exciderit, multa verborum & laxa copia nihil revera præſtanti. Spiritum S. quod attinet, is circa ſubjectum vim ſuam exerit, manente unicâ veritatis normâ ſacrâ ſcripturâ, eâque in ſe perſpicuâ & intelligibili, quam quiſque *ſalutariter* magis aut minus percipit, prout magis vel minus à ſpiritu ad percipiendum aptus redditur & excitatur; vel *naturaliter*, prout, in ſuo genere, ſe magis vel minus extendit naturalis in-

Ejus ſumma.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

intelligentiæ aptitudo. Rationi nunc quid tribuat, age inquiramus. Eo iſtam in loco collocavit Paradoxus, ut normam dixerit interpretandi ſummam & infallibilem. Per rationem enim rationis axiomata cum ſuis concluſionibus ſic diſpoſita intelligit, ut philoſophiam vocandam cenſeat: Et certè iſto ſenſu, ſive rationem dicas, ſive Philoſophiam, perinde erit. Hic duo Wolzogio incumbebant: Sententiæ Reformatæ explicatio cum vindiciis, ac adverſæ refutatio. In utroque verò prævaricatur. Quod Sole clarius deprehendet, quiſquis, poſitis præjudiciis, partiumque ſtudio, cauſam cum cauſa conferre operæ pretium duxerit. Longam veræ ſententiæ explicationem ac defenſionem non meditor, dabunt eam, & partim præſtiterunt, Viri Clariſſimi, Mareſius, Eſſenius, Vogelſangh, & ante illos, in præclaro iſto opere Hoornbeekius. Uno verbo, hoc volunt Reformati, non rationem, aut Philoſophiam, hic enim iſti termini idem valent, non Papam, non ullius hominis dictata, ſed ipſam Scripturam unicam & ſummam interpretationis ſuæ normam eſſe & amuſſim. *Illa* enim *demum interpretatio realis eſt*, inquit Sohnius, *cum vera Scripturæ ſententia ex ipſa Scriptura demonſtratur. Illa expoſitio demum admittenda, quæ Scripturam exponit ex Scriptura*, ſic Spanhemius. *Sic igitur cum nobis Scripturam ſuam Deus indulgentiſſimus compararit, tantaque illuſtravit perſpicuitate, tanta eam demiſerit intelligendi facilitate, ad noſtram humilitatem, tanta etiam ſimplicitate & certitudine eam prodiderit, ejus profectò interpretationem germanamque intelligentiam, ſi qui non omnino ex ipſis divinis ſcriptis petant, illi homines Deo optimo & in docendo quoque benigniſſimo patri noſtro, anteponunt & ſapientia & fide nos ad ſalutem inſtituendi: eamque ob rem à vero & ſalvifico ſcripturarum ſenſu ut aberrent quam longiſſimè neceſſe eſt. Et ô portentoſam perverſitatem, atque infandum Domini contemptum: fatentur omnes docti, nullius omnino ſcriptoris mentem poſſe in locis difficiliori-*

Reformatorum ſententia.

Sohn. de Verb. Dei. pag. 33.

Diſput. de Enthuſiaſ. p. 290.

Bucer. Præfat. ad Eph. p. 9. & 10

ioribus certò cognoſci, niſi ex ipſomet, per collationem ſcilicet obſcuriorum locorum cum ſcopo authoris ac præcipuis ejus præceptis, & cum dictis ea de re apertioribus, atque cum phraſi ejus, eoſque habemus ſolos authorum idoneos interpretes, qui hac ratione ſcriptores ipſos ſuorum librorum exhibent dilucidatores. Nec aliam rationem Sancti quoque Patres in explicandis Scripturis ſunt ſecuti, tam in conciliis, univerſi, quam in privatis ſuis ſcriptis ſinguli. Sic ſenſum Reformatum, inter ipſos Reformatores, quos vocamus, non ultimus, M. Bucerus, exprimit. *Sumus autem ſcripturas*, ſic Zanchius, *ut ſcitiſſimè docuit Auguſtinus eſſe faciendum, per ſcripturas, explicata prius genuina verborum & locutionum ſignificatione, interpretaturi. Eſt enim ſcriptura, id eſt Sp: Sanctus loquens in ſcriptura, ſui ipſius interpres: quo quis melior inveniri poteſt? Scripturam eſſe interpretem ſui, ſi quis neget, inſaniat*, inquit Chamierus. *Hic locus oſtendit*, inquit Paræus, *quomodo Scriptura ſe ipſam interpretetur, dum, quæ uno loco conciſius aut obſcurius dixit, alio loco apertius & plenius illuſtrat: modo non deſint qui intelligant, inquirant, conferant. Hic eſt ſenſus illius, quod hodie contra Papiſtas urgemus, Scripturam eſſe ſui ipſius interpretem.* Et alibi, *Manifeſtum ſit, veriſſimè dici, non eſſe meliorem Scripturarum divinarum interpretem, quam Scripturas ipſas neque hoc poſſe negari, niſi à Scripturarum imperitis: quos de re tanta judicare vel audiri non convenit.* Quid de ratione ſentiant noſtri, luculenter explicat Hoornbeekius, his verbis: *Quando contra Pontificios, & ſecundum veritatem tenemus, Solam Scripturam eſſe fidei normam &c. Scriptura tum opponitur omni alteri normæ, & non hominum placitis, quæ commenta ſint ſolum, ſed ſive placita ſint rationis certæ, quibuſcunque; non quod uſpiam veritas veritati ſit contraria, ſed quia veritas fidei & Scripturæ non vult judicari à placito rationis humanæ, vel à quocunque alio, quod eo longe inferius eſt: Scriptura ſui norma eſt, & interpres, neque eget teſtimonio humano; non magis ac Chriſtus*

Zanch. ad Eph. Proleg. §. 3.

Zanch. Oper. Tom. viii. p. 422.

Cham. Panſtrat. Tom. 1. l. xv. cap. iv. §. 10.

Paræ. ad 1 Cor. iii. 2.

Idem ad Iac. 1. 2.

Socinian. Confut. Tom. 1. lib. 1. c. vi. Sect. 2. p. 109.

Ioh.

Ioh v. 34. *Non ut ſui norma ſit duntaxat in manifeſtis, & quæ ſunt evidentiſſimæ veritatis; ſed in omnibus æque; quia omnia ſua & paria ſunt, divina nempe & ſacra; ob quam rationem eſt quod tribunal ea humanum detrectent & contemnant. Non eſt quæſtio an ratio in credendis veniat, ut ſubjectum, etiam ut inſtrumentum; duntaxat de tertio; an ut norma, ſecundum ſua dictata, concluſiones & ſententiam. Si enim*, verba ſunt Mareſii, *Scriptura eſt infallibile Dei verbum, & Patris cœleſtis teſtamentum, ipſa ergo nobis ſufficienter explicat ſenſa, mentem & voluntatem ſupremam ſummi illius teſtatoris.* Confer ejuſdem Syſtema Loc. 1. & AntiTirinum, Controv. 1. At quorſum plura, quoniam, ut recte notat Clariſſimus Coccejus, *Notum eſt, à Reformatis reſponderi, Scripturam ipſam & Spiritum Sanctum eſſe judicem Controverſiarum, & interpretationis Scripturæ.*

Ibid. p. 97.

Diſp. Refut. libelli &c. 1. §. xxxvi.

Coccej. Præfat. ad Ep. ad Epheſ. p. 29.

Et ſi publica ſcripta velis, en Confeſſionis Scoticanæ verba: *Scripturæ interpretationem, neque ad privatam aliquam aut publicam Perſonam pertinere confitemur, neque ad Eccleſiam aliquam: ſed jus & authoritatem hanc eſſe ſolius Spiritus Dei, per quem S. Scripturæ literis ſunt mandatæ. Cum ergo contingit quod controvertitur pro recto ſenſu alicujus loci, vel ſententiæ Scripturæ aut pro reformatione alicujus abuſus in Eccleſia Dei, non tam videndum nobis eſt, quod homines ante nos, vel dixerunt, vel fecerunt, quam quid Spiritus Sanctus uniformiter, in corpore Sacræ Scripturæ dicat. Hujus*, ſic de Scriptura loquuntur, in Confeſſionis ſuæ ſummariis, Helvetii, *Interpretatio ex ipſa ſola petenda eſt, ut ipſa interpres ſit ſui. Ergo non alium ſuſtinemus in cauſa fidei judicem, quam ipſum Deum, per Scripturas Sanctas pronunciantem, quid verum ſit, quid falſum, quid ſequendum ſit, quid ve fugiendum. Nihil enim*, ſic Argentinenſes, *poterit is veritatis Chriſtianæ, nihil doctrinæ ſalutaris deſiderare, ſcripturam qui conſulere religioſè ſtudeat.* Concinunt reliqui. Sic Wirtembergici. *Vera ſenten-*

Syntagm. Confeſſ. part. 1. p. 119. & 120. ſive Art. xviii.

Ibidem. p. 67. §. 11.

Confeſſ. Helvet. ibid. p. 3. ſeu c. 11.

Ibid. p. 178. ſeu Confeſſ. Argentin. cap. 1.

Ibid. Part. 2. p. 131. Bohem. p. 178. Art. 11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tentia Scripturæ quærenda eſt in ipſa ſcriptura, & apud eos qui divino Spiritu excitati, ſcripturam per ſcripturam interpretantur. Sic Patres, purioris Eccleſiæ antiſtites & membra. *Secundum ſcripturas expoſitio legitima & ſine periculo. Oſtenſiones, quæ ſunt in ſcripturis, non poſſunt oſtendi niſi ex Scripturis* ait Irenæus. *Quæ ambiguè & quæ obſcurè videntur dici in quibuſdam locis ſacræ ſcripturæ, ab iis quæ in aliis locis aperta ac perſpicua ſunt explicantur.* Sunt verba Baſilii. Exertiſſimè vero magnus ille Scripturæ amator ac laudator Chryſoſtomus. *Sacra ſcriptura*, inquit, *ſe ipſam exponit, & neminem errare ſinit.* Quantum ipſi hic Philoſophia valeat & ratio alibi clarè exprimit. *Singuli*, inquit, *dicunt, ego verum dico: cui credam neſcio, cum utrinque ſcripturas prætexant. Reſponde illi, hoc multum pro nobis. Nam ſi diceremus nos rationibus credere, merito turbareris: ſed cum ſcripturas accipimus, & illæ ſint ſimplices ac veræ, facile tibi fuerit judicare.* Sic Ambroſius Gratiano, *Nolo argumento credas, ſancte Imperator, & noſtræ diſputationi. Scripturas interrogemus, Apoſtolos interrogemus, item Prophetas, interrogemus Chriſtum.* Sic Auguſtinus, *Ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla. Et ubi apertius ſententiæ ponuntur, ibi diſcendum eſt, quomodo in locis intelligantur obſcuris. Ratio* autem *contra divinarum ſcripturarum auctoritatem quæ redditur, quamlibet acuta ſit, fallit veſimilitudine, vera eſſe non poteſt. Non enim illis*, ſic Cyrillus Alexandrinus, *qui temeraria inveſtigatione, humaniſque potius rationibus, quam auctoritate ſcripturæ gaudent, gratia Spiritus veritatem infundit mentibus.*

Irenæ. adv. Hæreſ. lib. iv. c. 63. & iii. c. 12.
Baſil. in Aſcet. 267.
Chryſoſt. Tom. 1. in Geneſ. Hom. 13.
In acta Hom. xxxiii. Tom. 3.
Lib. 1. de fide ad Grat. Auguſt. c. iv.
Auguſt. de Doctr. Chriſt. lib. 11. c. 9. & lib. iii. c. 25. Epiſt. 7.
Cyrill. Alexand. Præfat. in Iohan.

Explicatâ jam Reformatorum ſententiâ, videndum, quomodo iſtam controverſiam pertractet, & quid de ea ſentiat Wolzogius. Quod ut ordine fiat, duo agenda erunt. Primò examinandus erit Wolzogianus controverſiam tractandi, communemque cauſam defendendi, modus & animus; Deinde ad aliquot theſes referenda erit tota ipſius ſententia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tentia. Patebitque immeritò & abſque omni ratione ad demulcendos lectorum animos ſubinde eandem cum Reformatis mentem prætendi. Neque erit injuria, de qua conqueratur Wolzogius, ſi dicam, majorem ipſum inter & Reformatos, quam Paradoxum, ſententiarum diſcrimen dari ac divortium. Tractandi modus, qualemque erga Reformatam ſententiam animum gerat, modo ſequentia accuratè conſiderentur, palam conſtabit. Notandum igitur.

Wolzogianus tractandi modus & erga Reformatorum ſententiam animus, aliquot theſibus demonſtratus.

Theſis 1.

1. Primò: Quod ſtatum controverſiæ figat & formet nullibi, imo ſive ponatur ſive non, multum in eo ſitum non eſſe dictitet: quod vitium priori libro notavimus; & revera vereor, ne id ſtudio commiſerit, metuens, ut parva nimis & parca deprehenderetur à Paradoxo diſſenſio: Optimè Clariſſimus Hoornbeekius de diſputandi modo diſſerit, in Apparatu ad Confutat. Socinian. inter alia iſta huc quadrant, quæ habet pagina 86 & 87. *Vitium hoc*, inquit, *in vulgaribus diſputationibus haud leve obſervo, quod vix bene jactis fundamentis, id eſt, non diſcuſſo ante omnia & accuratè examinato controverſiæ ſtatu, quid utraque pars dicat, in quo & quouſque conſentiat, ubi divellatur, & ſententiarum figendum ſit divortium, ocyus ad pugnam, ad argumenta utrimque adferenda provolcetur. Nos ut certum ſemper haberemus nobis propoſitum ſcopum, quo omnium rationum tela concorditer agerentur, non piguit multa aliquando inſumere in indagando controverſiæ ſtatu, priuſquam ad diſputationem perveniretur. Vnde factum, ut ſimul & mens illorum certius conſtiterit, & mox patefacta vena ſit denotandæ in ſententia falſitatis, atque argumentorum indicativa. Ego nunquam ſollicitus de argumentis ſum; magis autem de ſententia pernoſcenda:* Longe autem, adverſus omnem bene diſputantium methodum, Wolzogius aliter, idque in negotio, cujus maxime intereſt, ut bene ponantur limites, & ſtatus controverſiæ accuratè deſcribatur, quare &, tam à parte illa, quâ Pontificii, quam quâ Soci-

1. Statum controv. non format.

niani, veritatem iſtam de Interpretatione Scripturæ infeſtant, Theologos ita ſedulo terminos figere, videas, ut vix ullibi majorem invenias ipſorum diligentiam: longè autem inquam aliter Wolzogius. Sic enim p. 194. *Illum ſtatum controverſiæ multiplicem benéne & ex vero, an perperam explicuerit adverſarius, nil hoc facit ad quæſtionem magnopere.* Nimirum certiſſimum eſt, quod dicto loco Hoornbeekius, *quod in iſta prima de mutuis ſententiis velitatione, aliquando componatur & evaneſcat controverſia, quæ non erat adeo, ac videbatur; vel devitetur aliqua, aut contrahatur, neque aut illa, aut tam multa eſt, ac quidem ſæpe ſibi alii perſuadent*: Noverat id Wolzogius, adeoque ſtatum quæſtionis non ponere accuratè, è re ſua eſſe judicavit. Neque vitio vertendum mihi eſt, quaſi ſuſpicionibus nimis indulgeam; nam veritatis cauſa, ut caſtitatis, omnem requirit attentionem & curam: verùm Velthuſius, qui orthodoxus audit Wolzogio, prodidit arcanum, exertè enim ille dubium ſeſe fatetur, an ulla ſibi ſuisque cum
p. 160. Socinianis, ac proinde etiam cum Paradoxo, de interpretatione Scripturæ intercedat controverſia, nam quicquid garriat homo, ſub Paradoxi larva, Libertinus aut SemiAtheus, unum reipſa cum Socinianis idemque docuit. Quicquid ſit, *confuſionem inſtituunt dedita opera*, ait Hoornb. *qui cauſæ diffidunt*: Et ſi vel ſocordiæ vel minori cuidam vitio tribuendum videri poſſet, quem nunc culpamus, ſtatus controverſiæ neglectus, excuſari tamen nullo modo poteſt jam ſubſequens.

Theſis 2. 2. Quod abſque ullo involucro, diverſam, ab omnibus etiam Reformatis, & ſingularem habeat ſententiam, ac profiteatur. Sic enim, poſtquam ad defenſionem ſuæ ſententiæ, & ſolutionem eorum, quæ objecerat Paradoxus, perventum erat, loquitur p. 215. *Et hic quidem ſcribendi finem facere poſſem, quia & MEAM propoſui ſententiam, & Paradoxam meo judicio everti, præſertim cum duæ reliquæ partes, quæ vindicias continent novæ opinionis ab ob-*

2. Diverſam à Reform. Sentent. profitetur.

jectio-

jectionibus , & NB. refutationem ALIARUM *ſententiarum , me non tangant magnopere.* Quænam verò iſtæ aliæ ſententiæ , quas oppugnaverat Paradoxus ? quorum objectiones erant quas ſolvere conatus fuit Parodoxus ? Reformatorum ſententia, inter alias, eorumque argumenta , & de hiſce ait Wolzogius , *quod ſe non tangant iſta magnopere :* imo tota ſex capita , velitationi ſuæ cum Reformatis, impendit Paradoxus ; & tamen , ea non tangunt Wolzogium : *ut finem ſcribendi hic facere potuerit.* Capite Decimo , ex Chamiero , Polano , Wendelino , Walæo , Whitakero , Tileno , Scarpio Reformatorum ſententiam proponit ; quam Capite undecimo explicat , additis variis adverſus eandem objectionibus : Duodecimo capite Scripturæ loca , Nehem. viii. 9. 1 Petr. 1, 20. à pleriſque Reformatis Theologis & bene huc citata , ſuo modo explicat : Argumenta , non ſolum præſtantiſſimis Theologis, ſed ipſis confeſſionum formulis , uſitata , ſolvere allaborat cap. xiii. Binis ſequentibus capitibus , lumen & illuminationem Sp. Sancti , à Reformatis ſic concipi & proponi queritur , ut Enthuſiaſmi ipſis dicam ſcribat , eorumque ſententiam hac in re etiam refutandam ſumat. Et hæc omnia, ſuâ ſententiâ ſalvâ , intacta prætermiſiſſe potuiſſet noſter, *quia refutationem continent* ALIARUM *ſententiarum, quæ me* , ait Wolzogius , *non tangunt magnopere.* Quid hinc aliter , quam aliam ſibi ſententiam & à Reformatis diverſam , gloriari Wolzogium , colligere datur? quid eſt caſtra deſerere? quid ſingularitatem , novitatemque affectare, ſi hoc non eſt ? Unum locum addam , ſic paulo poſt Paradoxum Pontificios , Reformatos , Socinianos , Arminianos aggreſ- P. 221.
ſum refert : ad quæ frigidè noſter : *Nos vero contenti* P. 222.
noſtram propoſuiſſe ſententiam , viden', diverſa igitur ipſi à Reformatis ſententia eſt. Ne autem Pontificiis ex æquo cum Reformatis addictus videatur , ſic propenſiori animo hoſce præ illis excipit. *Et Pontificios quidem quod attinet , ne verbulo quidem eos at-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tingimus. Reformatos, quos ita prolixè & petulanter oppugnaverat totis ſex capitibus Paradoxus, *non ita poſſumus præterire*. Quis ſine nauſea tepidam legat orationem? turpiſſimam ἀστοργίαν ſpiritualem (ſic peccatum illud, quod erga matrem Eccleſiam committitur, vocare liceat) quis ferat? in homine, ſic æſtuante & bulliente, Eccleſiæ ſuæ Walonicæ, imo vel unico ejus Seniori, quicquam quando impingitur. At pergat. *Etſi nolim eorum opinionem ſcrupuloſo inveſtigare examine*: quot verba, tot probra Eccleſiæ adſperſa; *eorum ſententiam non* &c. Reformatos putat, quorum *opinionem*, *ſcrupuloſo non dignatur* examine, ſcilicet tanti huic viro non eſt Eccleſiæ honos & decus. At non parcè noſtris gratificatur vir magnus, poſt exprobatam enim dictionis obſcuritatem, & mutuas diſſenſſiones, ſe idem ſentire dicit, non quidem cum eo quod ſentiunt, ſed ex ſuis hypotheſibus ſentire debent Reformati, ſic cautiſſimè proſpicit, ne nimis magnam videatur nobiſcum profiteri convenientiam, multum enim de Wolzogiani operis honore delibaret, quod pro primo, quod in iſto genere recte ab homine & ſatis dilucidè ſcriptum eſt, haberi vult præclarus author, ſi ſententiam jam aliis profeſſam ſolummodo traderet, non ſingularem.

Theſis 3. 3. Eorum phraſes carpit.

Hinc Reformatorum dictis multa impingit crimina, non de hujus aut illius Theologi, ſed communi cunctis ſententia agitur, & tamen, *non ſatis dilucidè ſemper mentem ſuam aperire*, (dum totum interim negotium ipſa luce clarius in ſingulis noſtrorum ſcriptis expreſſum exſtat) *aut non ſatis diſtinctè rem ipſam nonnulli mente concepiſſe vel ſaltem diſſentire* dicendi ſunt. Quod hic autem non omnibus, ſed *nonnullis*, hoc eſt aliquibus id imputare videatur, ne fallat lectorem, pagina quinta conferenda eſt, & de *omnibus* dictum eſſe ſtatim deprehendet, quod hic aliquibus vitio vertere videri voluit noſter, illic enim in univerſum hanc controverſiam, NEQUAQUAM *ſatis hactenus enucleatè*

p. 222.

cleatè expoſitam eſſe, aſſerit audacter. Et deinde, iſti *nonnulli*, quinam ſunt? non è vulgo certe, non gregarii milites, inſpice Paradoxum, Chamierum, Polanum, Wendelinum, Walæum, alioſque Coriphæos, citatos reperies capite decimo, quod reſpicit Wolzogius. Withakerus, Calvinus, Hemmingius, Marloratus, ſimileſque heroes ad partes vocati erant in ſequentibus, eorum tamen ſententiam *confuſa* ſaltem *quadam obſcuritate à ſua diverſam* pronunciat p. 251. ipſoſque *obſcurè vel non conſideratè ſatis locutos* fingere audet, pagina ſequente, in initio: ſcommate ex ſpurciſſimo authore mutuato, quodque omni opera ab Eccleſia eorumque Doctoribus amoliri debuiſſet, cauſæ publicæ propugnator non fidus. Para. p. 90. & 91. Parad. c. x. p. 60.

4. Non mirum igitur, quod & illorum argumenta non approbet, ſed rejiciat, ſed refutet, ſed rideat. Retulerat optimas & validiſſimas, pro vera ſententia, noſtrorum rationes Paradoxus, has autem non tantum *non ſuas* dicit noſter, *ſed nec probare eas poteſt univerſas*, ultimum illud verbum dicis cauſa additum eſt, omnes enim non tantum non probat, ſed rejicit. *Pleraſque* ſaltem *non ferire ſcopum exiſtimat*. Sic agit de ſingulis pagina ſequente. *Duo quidem priora argumenta non video quid habeant ſoliditatis*. Ipſa argumenta eorumque authores videamus. Primum Chamieri eſt, nec tantum Chamiero, ſed & aliis uſitatum; alterum Withakeri referente Paradoxo: quorum vel nomina tam inſolenti audaciæ frænum injicere deberent. Quoniam autem, ruptis iſtis repagulis, tantos leones vellicare auſus eſt novellus diſputator, vires ipſius experiamur, ſummorum doctorum clientela tuti. Duo argumenta unico ictu diſjicit, ſic argumentabatur Chamierus. *Omnes controverſiæ fidei dirimi judicarique debent à Scriptura; At omnis ſcripturæ interpretatio, eſt quædam controverſia de fide*. E. Brevibus, idem fere reſpondet cum Paradoxo, ſic fideli certamine dimicat pro cauſa communi noſter. Veriſſimè

Theſis 4. 4. Rejicit argumenta. p. 247. p. 248. Primum.

dixit

Lib. 4. cap. 30. dixit olim Lactantius. *Quidam non ſatis cœleſtibus literis eruditi, cum veritatis accuſatoribus reſpondere non poſſent, novam ſibi doctrinam ſine ulla radice compoſuerunt.* Evenit id noſtro Wolzogio, nam primo congreſſu abjicit haſtam, fugit, & orthodoxorum caſtris armiſque relictis, cauſam dedit probroſiſſimè. Ipſi forſan evenit, quod de Davide refertur, arma inſolita ipſi erant & non uſitata. Negaverat, poſt futiles diſtinctiunculas, Paradoxus minorem, idem planè Wolzogius, *non facit* enim, ipſo judice, *ad fidem interpretatio quicquam niſi remotè.* Quo nihil inſulſius dici poterat. Quod fidem terminat, fundatque, quod vehiculum rerum credendarum eſt & quidem divinum, nihilne hoc ad fidem? de quo ex ſupernaturali principio deciſio petenda eſt; denique cujus deciſionem ob dicentis authoritatem amplectimur, nihil hoc ad fidem, niſi remotè? Ludis in generalibus & laxè ac indeterminatè loqueris: forſan, præ metu tanti adverſarii, eloqui non audes, quod in mente geris. Diſputemus de ſenſu hujus aut illius loci, ſumamus illum qui exſtat Pſalmi ſecundi commate ſeptimo, quidnam illud eſt quod te convincit, illic de filio Dei, ejuſque æterna generatione, ſermonem eſſe, nonne ea ſunt, quæ Deus in textus circumſtantiis, in paralellis, in aliis textibus argumenta poſuit, nonne igitur hunc iſtius loci ſenſum eſſe credis, quia Deus iſtis mediis & ſignis, homini pro ſuo cuique modulo perceptibilibus, ſignificat & indicat, hunc, non alium, horum verborum eſſe ſenſum? Nonne igitur Deus ipſe, nonne ipſa Scriptura interpres, nonne iſta interpretatio fide recipienda eſt? & non res ſolum, ope iſtius interpretationis, eruta, ſed & ipſa interpretatio? atque hoc volunt Reformati, concludit Chamierus, & fruſtra vellicaſti Wolzogi. *At viam tantum ad fidem habet in-*
p. 249. *terpretatio*, ait, *non ipſius fidei quicquam. Eſt tantum*
129. *inſtrumentum, quo ea inveſtigamus, quæ fidei objecto*
130. *continentur.* Sit ita, habeat viam ad res credendas, ad dogmata credenda, & ſit iſto ſenſu, inſtrumentum,

tum, an tamen credere non debeo & fide recipere iſtam viam veram viam eſſe &inſtrumentum, Dei authoritate ſuſpiciendum & adhibendum. Ac ſi alia, quam divina via, alio, quam divino inſtrumento, ad divinam graſſaremus cognitionem fidemque, verba, fateor, phraſeſque, Deo cum homine communes ſunt, ſed Deus cum loquitur & phraſibus verbiſque mediis mihi intelligendum præbet, aut ſe, aut aliud quidpiam, ego rem iſtam verbis iſtis ſignificatam non ſolum fide divina recipio, ſed & verba iſta ſic ſumenda Dei jubet authoritas, ipſo quippe ſe illis, hoc aut illo modo, intelligibiliter manifeſtante. Recta interpretatio, loci modo citati, via eſt, qua perveniam ad agnitionem iſtius veritatis, quam, fide divina, & authoritate divina nixus, credo, filium vera generatione ab æterno à patre genitum eſſe, bene, ſed an non & divina authoritas eſt, quæ te movet hæc verba iſto ſumere ſenſu non alio? Locus jam explicatus iſtam veritatem repræſentat & dictat divinitus; ſed & iſta verba, iſtum ſenſum requirere, niſi etiam divina doceat authoritate, tota certè tollitur Chriſtianorum fides, & nihil erit quo convincar. *At Deus hic non loquitur*, ait pag. 130. *ut, quia ille affirmat hunc eſſe hujus loci ſenſum, credere debeamus. Quod ſi faceret per Spiritum ſuum, ut pertendunt Enthuſiaſtarum patroni, non eſſet utique removenda fides.* Imo revera & perſpicuè hic loquitur Deus, niſi, dum divinis ſuis ſignis in Scriptura collocatis, nobis intelligibiliter, mentem hanc, non aliam eſſe, ſignificat, non loqui dicendus: loquitur, & ſuâ loquelâ, ut ita loquar, Scripturæ ſenſum revera dictat; primo externè, ſecundo internè. Externè in ipſa Scriptura, & internè per ſuum Spiritum. *Docet per ſcripturas omnia, docet per expoſitionem ſcripturarum omnia. Veritatis Spiritus inviſibiliter menti inſinuat ſcientiam divinorum.* Sunt verba Didymi Alexandrini, de quo alibi Hieronymus ejus diſcipulus, referente Sixto Senenſi, *Didymus meus, oculos habet ſponſæ de Cantico Canticorum, & illa lumina*

Didym. Alexand. in locum citandum ex Joh.

Sixtus Sen. Biblioth. l. iv. p. 387.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

mina, quæ in candentes ſegetes ſublimare præcepit Jeſus. In Scriptura, quæſo, nonne ea ſunt, quæ te moveant ac perſuadeant, modò dicta verba, hoc ſenſu, non alio, ſumenda eſſe? nonne textus circumſtantiæ, nonne aliorum textuum paralelliſmus, nonne fidei analogia, ſuppoſita ſingulorum verborum ſignificatione, atque intelligibilitate, abundè te hujus aut illius convincunt ſenſus? Verùm, quis ille eſt, qui iſta in Scriptura, ſapientiſſimâ & imperſcrutabili ſapientiâ, ſic poſuit, nonne Deus eſt? nonne per iſta ſigna ſic nobis ſenſum illius dicti, adeoque mentem ſuam cognoſcendam præbet? nonne mentem ſuam, mediantibus ſignis intelligibilibus, exprimens, loqui dicendus erit? affirmare, hunc aut illum, hiſce verbis, ſenſum ſubeſſe, non eſt cenſendus? Sic Deus in Scriptura loquitur, & de ſenſu pronunciat. Internè autem præterea, idem loquitur, & per Spiritum ſuum, non ſolum mentem diſponendo, excitando, &c. ſed & iſtam veritatem, ſic ex tali collatione reſplendeſcentem, intus quidem repræſentando, mentique indendo, ejuſque ibi mirabilem certitudinem perficiendo, qua pium animum ſuaviſſime perfundit. Neque *id pertendunt Enthuſiaſtarum Patroni*, ut falſo docet Wolzogius: vilior enim ipſis Scriptura eſt, & nimis magnæ ac ſuperbæ de ſpiritu ſuo imaginationes, quam ut *illi* explicandæ, *hic* ipſis multum negotii faceſſat, non Scripturis explicandis, ſed novis rebus dictandis, unicè fere intentus. Reformati ſunt qui id docent, & quotquot Spiritus Sancti motus, & inſpirationes venerabundi recipiunt, ac favent: ſcientes, Spiritum ſibi promiſſum eſſe, quo in verbi veritate ducerentur, memores pretioſiſſimæ promiſſionis, Joh. xiv. 6, 7. *Oraturum Chriſtum ut pater alium advocatum mitteret, qui maneret cum ipſis in æternum. Nempe Spiritum illum veritatis, quem mundus non poteſt recipere, quia non conſpicit eum, nec novit eum, vos autem* inquit D. J. *noſtis eum, quia apud vos manet, & in vobis erit. Hæc unctio illa eſt, quæ intus docet.* Hic

ille,

ille, de quo Auguſtinus, *Magiſter intus eſt*, & ,ait idem, *quibus unctio illa intus non loquitur; indocti, redeunt*. Adeo *ut*, Heidano teſte, *occulta nobis manere debeat cœleſtis ſapientia, aut immediata revelatione, externæ ſuperaddita, acquiri*. Audi & expende Wolzogi, quæ habet magnus Calvinus, ſic ille de Spiritu, ſic Enthuſiaſmi crimen amolitur prudentiſſimè. *Si ritè in Dei ſchola proficere cupimus, præſertim tolerantia opus eſt, donec patefaciat Spiritus, quod fruſtra viſi ſumus ſæpius legiſſe vel audiſſe. Quare, ne langueſcat in nobis diſcendi ſtudium, vel in deſperationem labamur, ubi non ſtatim aſſequimur loquentis Chriſti mentem, ſciamus hoc nobis omnibus dici*, SPIRITUS *tandem* SUGGERET *quæ locutus ſum. Hanc quidem pœnam denunciat, Eſaias* xxix. 11. *Ut ſermo Dei ſit illis tanquam liber clauſus: ſed Dominus, hoc etiam modo, plerumque ſuos humiliat. Ideo patienter ac placide expectandum revelationis tempus, nec verbum propterea reſpuere decet... ſequitur irritam & nihil fore externam prædicationem niſi accedat Spiritus magiſterium*. NB. *Duplicem ergo habet Deus docendi modum, nam & hominum ore inſonat noſtris auribus, & intus Spiritu ſuo nos compellat: idque facit nunc eodem momento, nunc diverſis temporibus, prout illi viſum eſt. Obſerva autem quænam ſint illa omnia, quorum doctorem fore Spiritum promittit: ſuggeret, inquit, vel reducet in memoriam quæcunque dixi. Unde ſequitur non fore novarum revelationum architectum. Hoc uno verbo refutare licet quæcunque ſub prætextu Spiritus in Eccleſiam figmenta ab initio hucuſque Satan invexit. Mahometes & Papa commune habent religionis principium, non contineri in Scriptura perfectionem doctrinæ, ſed quiddam altius revelatum eſſe à Spiritu. Ex eadem lacuna noſtro tempore Anabaptiſtæ & Libertini*, ſic ſæpe Enthuſiaſtas vocat, *ſua deliria hauſerunt. Atqui impoſtor eſt ſpiritus, non Chriſti, qui extraneum aliquod ab Euangelio commentum ingerit. Spiritum enim Chriſtus promittit, qui Euangelii doctrinam quaſi ſubſcriptor confirmet.*

Cauſâ Dei l. iv. cap. vii.

Calvin. in Joh. xiv. 25.

firmet. Et paulo ante vers 17. Sic loquitur idem Vir Dei. *Ornat ſpiritum Chriſtus altero titulo, quod ſit magiſter veritatis. Unde ſequitur, donec ab eo intus ſimus edocti, vanitate & mendacio captas eſſe noſtras omnium mentes.* Quem mundus non poteſt accipere. *Antitheſis iſta gratiæ excellentiam amplificat, qua Deus non niſi electos ſuos dignatur. Significat enim non vulgare eſſe donum quo privatur mundus. Quo ſenſu etiam* Eſaias, LIX. 2. Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus. *Eo enim plus meretur laudis Dei miſericordia erga Eccleſiam, dum ſingulari privilegio eam ſupra totum mundum extollit. Simul tamen Diſcipulos hortatur Chriſtus ne ſenſu carnis inflati, ut ſolet mundus, Spiritus gratiam à ſe repellant.* SOMNIUM EST TERRENIS HOMINIBUS QUICQUID DE SPIRITU SANCTO PRÆDICAT SCRIPTURA, QUIA RATIONE SUA FRETI, COELESTEM ILLUMINATIONEM DESPICIUNT. TAMETSI PASSIM GRASSATUR HÆC SUPERBIA, QUÆ SPIRITUS SANCTI LUCEM QUANTUM IN SE EST EXTINGUIT: NOS TAMEN PROPRIÆ INOPIÆ CONSCII, SCIAMUS NON EX ALIO FONTE MANARE QUICQUID SANÆ INTELLIGENTIÆ EST. *Interea oſtendunt Chriſti verba, nihil, humano ſenſu, de Spiritu Sancto poſſe percipi, ſed eum cognoſci ſolâ fidei experientiâ.* Mundus, inquit, capax non eſt Spiritus, quia eum non cognoſcit: Vos autem cognoſcitis eum, quia apud vos manet: *Solus ergo Spiritus eſt qui, in nobis habitando, cognoſcendum ſe præbet, alias ignotus & incomprehenſibilis.*

Harmon. c. clxxvi. p. 1307. b. *Mundi nomine*, ait Joh. Gerhardi *hic intelliguntur primo ſapientiſſimi, tumentes mundanâ ſapientiâ, quos ſolos mundus veneratur ac ſuſpicit, qui mundano ſenſu ac judicio, tanquam certiſsimâ regulâ, omnia metiuntur.* 1 Cor. 1. 20, 21.

Dediſce

Dediſce ergo tandem, à veritate, à Reformatorum ſenſu, ſub Enthuſiaſmi terribili umbra, lectorem abſterrere Wolzogi. Nubes teſtium eſt, quo te convincam, id à Reformatis rectè doceri, quod tu pro Euthuſiaſtico ſomnio cenſendum putas.

Fide tamen, inquis, *non opus eſt, ut ſecundum leges humanas judicem, hunc ſenſum huic orationi convenire.* Tu age ſecundum leges humanas quantum velis, fide tamen creditur & per fidem apprehenditur, iſte ſenſus, qui ex verbis eruitur, idque quia mens videt ex natura ſignorum, talem in iis Deo mentem eſſe. Ita ut res ſignificata & credenda, recipiatur, ut à Deo tradita, per talia ſigna, quorum ſignificatum, ex legitima collatione reſultans, pro Dei ipſius loquela per fidem recipitur: Et fide, non res ipſa ſolùm, ſed & ſignorum valor talis eſſe creditur. Quoniam divina ſunt, quæ me perſuadent, verba, per ſe ſigillatim ſic ſignificantia, hoc aut illud ſignificare, prout in hoc aut illo Scripturæ loco ſcripta conjunctim reperiuntur. Atque iſta de primo Reformatorum argumento; eodem talo, ſtat hactenus, etiam ſecundum illud, quod ex Chamiero & Withakero profert Paradoxus, ut inſpicienti ad oculum patebit: neque enim Bellarminum, Duræum, Stapletonum, ſummos & exercitatiſſimos adverſarios, ita temerè & tam levi armatuta accincti, oppugnarunt & expugnarunt illuſtriſſimi Heroes, ac ſomniat Wolzogius. *Tertium ab analogia ductum argumentum eatenus ſtringit, quatenus eſt cognita analogia*, inquit, *at ipſa debet ante doceri.* Cunctorum vindicias non inſtituam, occuparunt eam operam, viri Clariſſimi, modo citati, unicum tamen hic Wolzogio in mentem revocandum cenſeo: quam pauci articuli, iique inventu tam obvii, ac ſe ſponte cuivis quaſi objicientes, analogiam ſibi conſtituant fidei: ut mirum ſit, hic difficultatem poni, in eo, *quod prius doceri debeat*, quod abſque multo labore vel ſponte ſeſe ingerat vel inſpientis modo lectoris animo, quemadmo-

Marginalia: p. 138. — Secundum. — Tertium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

dum ipſe antea de articulis neceſſariis, qui ἀναλο-γίαν conſtituunt τῆς πίστεως philoſophatus eſt. At verum eſt, prius cognoſcendam iſtam analogiam, priuſquam reliquæ interpretationis regula eſſe queat; ſicuti ſcientiæ cujuſdam rudimenta & primas regulas diſcimus, antequam ad perfectiorem ejuſdem ſcientiæ cognitionem aſcendamus, veruntamen, non alio principio, iſta rudimenta inædificanda ſunt, ac fundamenta, quam reliqua totius ædificii compages. Sic & hic ſeſe res habet: quamvis prius cognoſcenda ſit, in ſequentibus pro norma habenda, fidei analogia, non tamen aliunde, quam ex ipſa ſcriptura, petenda eſt; quæ cum clarè eandem proponat, ut pio lectori & ſcrutatori ex ipſa Scriptura non poſſit non innoteſcere, perſpicuum evadit omnem interpretandi regulam & normam ſcripturam eſſe, quod demonſtrandum erat.

Quartum. Quartum ex Polano & Alſtedio deſumtum, non majori in pretio eſt noſtro cenſori. *Quartum*, ſic diſſerit, *quod vocem Dei vult audiri, qua clarior aut manifeſtior nulla eſſe poteſt, ego audirem, niſi quæreretur de ipſa voce Dei, quemadmodum ejus claritatem percipiamus, & in quo ſita ſit hæc claritas.* Supponunt Reformati lucernam, lucem, imo lucem ſplendentem ſcripturam eſſe, eamque, Solis inſtar, ſuo lumine clariſſimè videri: noſter regerit, *de ipſa voce Dei quemadmodum ejus claritatem percipiamus, & in quo ſita ſit ejus claritas* quæri: ac ſi quis Solem proprio lumine conſpiciendum contendenti regereret, at de ſolis claritate quæritur quomodo percipiatur; quis tam ſtolidè nugantem reſponſione dignaretur? hoc argumentum ſupponit iſtam Scripturæ perſpicuitatem & intelligibilitatem, quam ex locis, de quorum ſenſu dubitari non poteſt, probarunt antea Reformati Doctores: iſta autem intelligibilitate & perſpicuitate ſuppoſita, non minus ſequitur, ſcripturam per ſcripturam explicandam, quam ſolis lumine conſpici Solem. Sic feliciter caſtra Dei, Reformatorum primipilos oppugnat hic Pa-

ſtor

ſtor Walonicus. Intumeſcente autem, inter præliandum, animo, reliquas noſtrorum copias in triumphum ducendas exercitatori ſuo tradit; ut miſerrimo Ardelioni, non magis, partæ in Reformatos victoriæ, quam Velthuſio, orthodoxias teſtimonium, denegaturus ſit hic Paſtor belle Reformatus. Audiamus diſtribuentem ſpolia. *Quintum, Sextum, Septimum argumentum non ſtringere cum Exercitatore cenſeo*, Quintum ſic habet, quia ipſa ſcriptura poteſt ſapientem reddere ad ſalutem 2 Tim. III. 15. &c. Quid autem ad illud Paradoxus? negat conſequentiam, neque enim, inquit egregius Thraſo, *adeo Lyncei ſumus, ut videre queamus, qui ſequatur, S. Script: intellecta hominem ad ſalutem ſapientem reddere poteſt, ergo eſt ſui interpres.* Et hâc reſponſione elumbe factum eſt, Judice Wolzogio, noſtrorum illud argumentum. Ego autem, non tantum non Lynceos hoſce duumviros, ſed talpis cæciores eſſe putem, qui, ita miſere dum cavillantur, ſe, ſub certa victoriæ ſpe, cum ſummis viris, in arenam deſcendiſſe ſomniare poſſunt. Quis ſic rationem inſtituit, *Scripturam intellectam*; facultatem habere, aptam eſſe, qua ad ſapientiam ſalutarem perveniatur? nemo Reformatorum ita deſipuit: Scriptura intellecta, non eſt medium ad ſapientiam, ſed ipſa ſapientia ſalutaris. Quoniam igitur Scriptura facultatem habet & aptitudinem in ſuo genere, ſapientem reddendi, ſapientiam docendi, neceſſe eſt ut & ſibi ſufficiat, ad propriam interpretationem, qua ſine, medium ſufficiens ad ſapientiam, dicenda non eſſet, quod eſt contra Apoſtolum. Sic argumentantur Reformati & fruſtra hoc argumentum, junctis cum Paradoxo copiis, impetivit Wolzogius. Æqua facilitate ſextum & ſeptimum vindicari poſſet, ſed non eſt operæ pretium, quia nihil, præter fætidiſſimi Paradoxi recoctam cramben, apponit noſter diſputator. Octavum argumentum aliquatenus ſaltem ſtringere exiſtimat; multum ipſi debent, præ reliquis magis

[Margin: Quintum Sextum. Septimum.]

[Margin: cap XIII p. 86, 87.]

[Margin: Octavum]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

gratioſè exceptæ, magni Polani manes. Non quidem totum quod volunt Reformati evicit Polanus, *ſed de ſingulari quorundam locorum interpretatione* docuit, ſcripturam ſui interpretandi modum exhibuiſſe; at bone vir, quæ ratio diverſitatis in reliquis, ſi ſcriptura ullibi, quid ni, eadem methodo, ubique ſeſe explicare cenſenda eſt, præſertim cum αὐτοκατάκριτος, *exemplorum plenam eſſe ſcripturam, quibus probetur ipſam per ſeipſam eſſe explican-*
p. 249. *dam*, fatearis? Hoc volunt Reformati, & iſto, & reliquis argumentis, quorſum igitur tuæ cavillationes & prævaricationes Wolzogi? Eo, quod talibus exemplis plena Scriptura eſt, idem concludunt de reliquis. Nonum argumentum, licet Altingius,
Nonum. Withakerus, Walæus, imo omnes Theologi Reformati eo utantur, omni fundamento caret, ut putat Wolzogius, *Deum eſſe interpretem ſuæ ſcripturæ, quia eo nemo melior eſſe poteſt, cum ſuorum verborum ſit optimus quiſque interpres, non video quo fundamento nitatur, Negamus Deum dici poſſe propriè Scripturarum interpretem.* En aperte toti Reformatæ Eccleſiæ bellum denunciat audax ſcriptor. Audi Præceptorem tuum diſcipule, hac in cauſa, nimiùm degener, ſic ille in Tirino caſtigavit idem, quod tute hic effutiiſti. *Non eſſe ipſammet Scripturam*, ſc: ſui interpretem, dixerat Tirinus: *Sic* autem Jeſuitæ, ſimulque tibi, regerit Vir Clariſſimus: *Imo Scripturam per Scripturam oportet interpretari. Nec certius Scriptura, quam ex Scriptura poteſt intelligi, ut non certiùs cognoſcitur Sol, quam per Solem. Quæ hominum quæſo iſtorum inſolentia, qui refugiunt judicium Scripturæ, quia de Scriptura agitur. Quam eſſe interpretem ſui ſi quis neget inſaniat,* ait Chamierus. *Veriſſimè* enim *dicitur,* ſunt verba Paræi, *non eſſe meliorem Scripturarum divinarum interpretem, quam Scripturas ipſas: neque hoc poteſt negari, niſi à ſcripturarum imperitis: quos de re tanta judicare vel audiri non convenit:* At licet verum ſit unumquemque ſuorum verborum interpretem optimum eſſe, non tamen

Mareſ. Anti Tirin. Tom. I. Controv. II. ad Num. 13.

Panſtrat. Chamier. Tom. I. L. xv. cap. IV. §. 10.

Paræus ad Jac: 1. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

men videt qui inde ſequatur, Deum eſſe ſuorum verborum interpretem. Hoc eſt, non videt ſub genere ſpeciem; verum eò fortius hoc argumentum Wolzogio videri debuerat, quo ille magis humano more verbum ſuum dediſſe Deum docuit; de aliis enim authoribus negari non poteſt, optime ſeſe ipſos explicare: magis autem, quoniam ipſa Scriptura de ſe hoc innuit, & multis exemplis probat, concedente id, in variis, Wolzogio; *Nam exemplorum eſt plena Scriptura quibus probetur ipſam eſſe per ſe explicandam*, quod re vera idem eſt, ac ſi fateretur quod hic negat, nimirum *Deum dici poſſe proprie Scripturarum interpretem*, hoc eſt, Deum ſacrum illud monumentum, quo nobiſcum loquitur, ita attemperaſſe, *ut quæ ambiguè & quæ obſcure videntur dici in quibuſdam locis ſacræ Scripturæ, ab iis, quæ in aliis locis aperta ac perſpicua ſunt, explicantur*, uti id ex Baſilio ſuperiùs audivimus, ultra quod nihil planè petunt, aut concludunt Reformati. Inſtat autem Wolzogius & dicit, *hinc concludi æque poſſe, debere oraculo quodam pronuntiare Deum de ſenſibus Scripturæ.* Verum qua ratione in mentem ſuam inducere potuit tantam perverſitatem, homo qui inter Reformatos paſtor audit, ut tam turpi tam probroſa & ignominioſa conſequentia, communem illorum cauſam gravare, non erubuerit? Generale axioma hoc infert, Deum optimum ſuorum verborum eſſe interpretem, cui placuit, non fictis oraculis, ſed firmo ſermone Prophetico & Apoſtolico nos de ſua voluntate, & verbi vero ſenſu, erudire; ut, quamvis potuerit, noluerit tamen neque neceſſe ſit id extraordinariis oraculis perfici, quod nobis ſeipſo ſufficit & per ſe ſatis eſt; ſcomma iſtud, cum reliquis Papiſtarum & Socinianorum illuſionibus, interim nihili facimus. Potuiſſet Deus vivo oraculo, potuiſſet per Urim & Thummim dictorum ſuorum mentem explanare, ſed voluit, ut per verbum, verbũ intelligeretur, & per Scripturam Scriptura, ut ſic eadem revera nos poſſit ſapientes

p. 249.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

pientes reddere ad ſalutem. Quid multis? omnis malæ argumentationis fontem detegit noſter, aliter enim accidere non potuit, quin omnes iſti Theologi debili & vitioſa argumentandi methodo inſiſterent, *argumenta enim*, ſic magnus noſter Theologus, *quia ipſa non eſt ſatis exploratè percepta quæſtio, non poſſunt ex ipſa re eſſe petita.* O deplorandam hactenus Reformatorum ignorantiam! valida argumenta nondum produxerunt ipſorum Coriphæi, nec producere potuerunt, *ipſa enim non eſt ſatis exploratè percepta quæſtio.* Crediderim profecto nullum unquam Theologorum, qui hanc materiam ex profeſſo pertractarunt, Wolzogio lectum eſſe, non Chamierum, non Withakerum, non Hoornbeekium, quorum ultimus ita conſummatè hoc negotium elaboravit, ut unicum illud Libri Primi Socianiſmi Confutati Tom. 1. Caput ſeptimum ſufficiat quo Paradoxus, cum omnibus Socinianis, & Wolzogius cum ſuo Velthuſio, abundè refutetur. Hoc ſaltem aſſeverare auſim, neminem illorum, quos vel ſexcentos producere poſſem, Wolzogium non multis paraſangis, vel in hujus quæſtionis ſolida ac dilucida pertractatione, poſt ſe relinquere.

Theſis. 5. Sententiam oppugnat in terminis.

5. Quintum notandum erit, quod communi Reformatorum ſententiæ in terminis ſe opponat, eamque argumentis petat, cautè ſubinde proſpiciens, ne cum ipſis ſentire, vel ulla ratione videatur. *Negamus*, inquit, *Deum dici poſſe propriè Scripturæ interpretem.* (p. 250.) *Deum eſſe interpretem ſuæ Scripturæ non video. Satis confectum eſſe puto, non fuiſſe* (p. 207.) *huc illud adducendum, quiſque ſuorum verborum optimus interpres.* Quod axioma tamen omnes Reformatorum Theologi hactenus pro fundamento poſuerunt, & ſummo jure. Wolzogius è contra, ac ſi neſciret, quid Reformati ſentiant, aut publicè ipſis dicam ſcribere & bellum movere vellet, ad Enthuſiaſtarum familiam pertinere aſſerit, qui ſic loquuntur: *hoc ſtatuit omnis Enthuſiaſtarum familia, illi demum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

mum hoc axiomate nituntur, quilibet ſuorum verborum optimus interpres. En omnes Reformatorum Theologos, uno jactu, in Enthuſiaſtarum caſtra tranſlatos à Wolzogio. Quin prudenter cavet, ne putetur cum iiſdem idem ſentire: ſic pag. 206. *nec quia facimus interpretationis judicem uſum, ideo Deum facimus interpretem.* Ac ſi grande nefas patraret, ſi Deum ſtatueret Scripturæ interpretem. Quod tamē accuratiſſimè & veriſſimè dici, jam antea audivimus.

Ex ſupra dictis, ſatis ſuperque patet, nihil minus quam fidelem & ſolidam receptæ fidei defenſionem, ut & Paradoxi hominis ſeriam refutationem, à Wolzogio ſperandam eſſe.

6. Quare etiam quod ſexto loco conſiderandum venit, adverſarium ſuum ſtramineis plane, & ficulneis argumentis, aut plane nullis aggreſſus eſt. Præcipuum, quo eum quodammodo ſtringit, enumerationem continet eorum, quæ ad veritates, ſic vocat, referri ac proinde ad rationis trutinam exigi nequeunt: ut & eorum, quæ licet ad veritates pertineant, rationem tamen ſuperantes, itidem illius reſpuant arbitrium. Quæ omnia, etiam ſenſu Wolzogiano, ultro concedet Paradoxus, nec tamen concedet id quod concludit Wolzogen. Per veritates intelligit Wolzogen axiomata & dictata quædam, ut ita loquar, univerſalia, factis contradiſtincta geſtiſque: At facile concedet illo ſenſu, omnes ſcripturæ ſermones, veritates non continere; neque enim tam ſtultus eſt, ut omnia quæ longa ſerie enumerantur Wolzogio, Hiſtorias, Prophetias, Præcepta poſitiva, Cæremonias, promiſſa &c. ad talis generis veritates referenda doceat. Hoc vult; omnes veritates, ſive axiomaticam habeant, ſive hiſtoricam veritatem, modo ex textu derivari queant, eſſe veros ſenſus; & vice verſa, omnes veros ſenſus, continere veritates, hoc eſt enunciationem, cujus ſubjectum verè jungitur cum prædicato, aut prædicatum cum ſubjecto, ſive nexus ille ſit naturalis, ut in axiomatis generalibus, ſive caſualis

Theſis 6. 6 Paradoxum futiliter refutat.

p. 143. 152.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

lis ſeu arbitrarius, ut in hiſtoricis & ſimilibus. Et Wolzogen aliquot paginis ſolum probat, multa Scripturam continere, quæ ad veritates prioris generis, ques unice veritatum nomine deſignat, referri non poſſunt, quod Paradoxus nullo modo negabit. Sumamus res geſtas Moſis, Chriſti vitam, Apoſtolorum actus, putat Wolzogius tam inſanum ſuum Paradoxum eſſe, ut ea omnia inter talis generis veritates recenſenda judicaverit? Nihil certè minus. Attamen veritates vocat & jure merito Paradoxus, quamvis non ejuſdem ſint naturæ, cum iſtis, quas axiomaticas vocavimus. Eodem ſucceſſu, ſe-
p. 152. uſque ad p. 158. cundum illud ſtrenuè contendit Wolzogius, nimirum multas veritates eſſe quæ reſpuant rationis arbitrium; eaſque eſſe quæ *inveniri ratione non poſſint.* Hoc priori libro & nunc iterum pluribus urget noſter, ſed abſque omni neceſſitate, quoniam non negat hoc Paradoxus, aut ullus Socinianus. Licet enim nihil admitteret, niſi quæ ſymbolo, quod Apoſtolorum vocant, comprehenduntur, plura tamen ſtatim admitteret, de quibus lubens fateretur, quod hic tanto labore ipſi extorquendum putat Wolzogius, dicendo multa in Scripturis eſſe *quæ inveniri ratione non poſſint;* non Chriſti adventus, non ex virgine ortus ejus, non opera & quæ illius generis multa enumerari poſſent. Circa quæ, rationi ſuæ nihil præterea vindicabit Paradoxus aut Socinianorum ullus, quam quod ultro ei tribuit Wolzogius, *ea rationem attingere eo uſque, ut non eſſe contra ra-*
p. 153. *tionem deprehendat.* Sic Sociniani. *Nos vero ultrò fatemur plurima eſſe in religione Chriſtiana, quæ ratio-*
Smalc. Diſp. iii. de Sacr. pag. 373. *nem ſuperent, & tamen nobis neceſſariò ſint credenda, ob id ipſum, quia, quantumvis rationem ſuperent, tamen in ſacris literis prodita exſtent, & rationi noſtræ, quam ſuperant, ſint maximè conſentanea. Poteſt enim aliquid rationem ſuperare, & tamen ei applaudere. Qualia fere ſunt omnia, quæ in religione, præſertim Chriſtiana, continentur.* Hæc ſi noviſſes, aut conſideraſſes Wolzogi, magno labore te levare potuiſſes:
quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

quid enim probare attinet, quod ambabus ulnis adverſarii amplectuntur, imo ſponte ſua ultro profitentur? *Aliud eſſe ſupra, aliud contra rationem eſſe*, noverat olim, idem Smalcius, nec te egebant magiſtro hac in re, eadem tecum loquentes. Atque hæc ad rationis utriuſque, quam protuliſti, minorem pertinent, quam concedunt Sociniani cum Paradoxo: ad veritates ſcilicet axiomaticas omnes veros ſenſus referendos non eſſe, ut & inter eas *dari quæ inveniri ratione non poſſunt*; quare de iſta minore probe inter vos convenit, caduntque omnia, inutilia ſaltem evadunt, quæ totis ſex aut ſeptem paginis, utrimque conceſſa probando, ſcripſiſti. Abſque omni candore haſce theſes oppugnandas tibi propoſueras p. 143. *omnia quæ traduntur in Scripturis ad veritates*, ſcilicet tales, *referri poſſe: & omnes veritates quas tradit Scriptura, ratione cognoſci poſſe*, id eſt excogitari. Quas tamen eo ſenſu, quo eas oppugnas, Paradoxus tuus minimè agnoſcet: ſed longe alio, uti jam notavimus. Videamus quid ad majorem dicere queant, non contemnendi adverſarii, Sociniani vel Paradoxus. Major iſta erit, ſi in formam redigantur ſolidiſſimæ iſtæ, magnoq; verborum ambitu elaboratæ, probationes, quicquid non eſt veritas, ejus Philoſophia aut ratio norma eſſe non poteſt; negabunt una voce omnes iſtam majorem. Quamvis enim ſenſus ille, quem continent verba, ex. gr. quæ hiſtoriam Dominicæ paſſionis complectuntur, non poſſit referri ad veritates illas axiomaticas, quarum ſubjectum & prædicatum Wolzogius æterno nexu conjunctum diceret, verus tamen eſſe debet, ſaltem ut in eas non incurrat, ſicque ratio ſemper ſuum hic exercebit judicium; an nimirum iſta narratio, quæ alias hoc aut illud ſignificaret, ſi in iſto ponatur ſignificatu, nihil veritati æternæ, quin & iis veritatibus, quas ratio jam antea ex Scripturâ aut ſeſe elicuiſſe cenſenda eſt, contrarium complectatur. Hoc regerent Sociniani, cui tantum abeſt, ut quicquam reſpondere valeas,

Contra Frantz. in Præfat.

leas,ut hic, confecto prælio, in iiſdem caſtris concorditer commoremini. Tu enim rationi circa ea, quæ ad veritates referenda negas, tantum largiris, quantum petunt Sociniani, nimirum *quatenus nil*
p. 147. *continere debent quod cognitæ nobis veritati repugnet; aut quod ſe ipſum evertat.* Imo non inficiari te dicis, *quaſdam in Scriptura Hiſtorias narrari, quæ ſic*
p. 148. *pendent à veritate rerum, ut inde NB. omnem accipere lucem interpretatione poſſint.* Idem plane, ſecundi argumenti tui, majori propoſitioni eveniet, negabunt, veritate ſupra rationem poſita, eo ipſo illam rationis arbitrio exemtam eſſe. Quin, nec ipſe hoc ſerio & abſolute verum eſſe credis, ut ex ſequuturo, ſententiæ tuæ ad theſes redactæ, examine patebit. Tandem quid iſta tua argumenta, magnopere adverſarium tangunt? nondum enim conſtat; an dentur in ſacris talia, an, quæ ſupra rationem, an, quæ ad veritates redigi non poſſint: ſi enim, quod tu Reformatis ex Scriptura argumentantibus regeris,
p. 217. *velle proferre Scripturam, ubi de interprete Scripturæ quæſtio agitatur, ſit, ſi quicquam, præpoſterè agere;* tu certè plus quam præpoſterè agis, qui non Scripturam ſolum, dum de Interprete diſputas, ſed vel explicatam eam citas, eaque in medium profers, quæ niſi jam de Interprete conſtet prius, ne quidem cogitari poſſunt. Reformati ea loca proferunt, quæ de Interpretationis modo & norma agunt, ſed tuo judicio præpoſterè, de Interprete enim quæſtio agitatur: tu autem non loca quædam de Interprete, ſed veritates, Myſteria, aliaque magno numero, de quibus niſi poſt Interpretem deſcriptum, imo munere ſuo plane defunctum, nihil ſciri poteſt, profers, & pro fundamento ſternis. Quid ſi adverſarius tibi tandem oggerat, ſe nondum noviſſe, iſtam, rerum in Scriptura contentarum, varietatem & differentiam, veritates & non veritates, myſteria & non myſteria, rationem ſuperantia & non ſuperantia? quid tandem habes quod regeras? En primariam libelli tui partem, quæque fere totum eſt quod ad-
verſarium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

verſarium propiùs tetigiſſe credi poſſet, ſubverſam facili negotio. Et tute tibi tantum ſumis animi, ut omnia Reformatorum argumenta rejicias, ſpernas, rideas? qui ne unicum quidem, cunctis viribus, quod ſoliditatem unius, quæ magno numero habent Reformati, exæquet, excogitari potuiſti? Omittendum etiam non eſt, quod nimia συγκατάβασις te huc abegerit. Notaveras p. 142. μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος ab adverſario committi, *eo quod ab interpretatione, ad rem quam debemus interpretari*; (debueras dicere quam, interpretatione media, cognoſcere & eruere debemus, res enim ſub interpretationem proprie non cadunt, ſed verba & phraſes rem ipſam continentes, nobiſque eam offerentes, ex demum interpretandæ veniunt, hac, de qua ſcribimus, interpretatione, quæ realis dicitur, non quod res ipſas enodandas ſumat aut explicandas, ſed eas eruat erutaſque ulteriori ruminationi tradat.) *fit tranſitus, cumque hactenus quæſitum ſit, an res aliqua ſit dicta, jam quæritur, an vera ſit* (poſſit eſſe diceret Paradoxus & nihil ultra) *res illa, ut concludi poſſit an dicta ſit.* Bene hoc notaſti, ſed hic curſum ſiſtere debueras, non ulterius de rebus rerumque diverſitate diſputare. Hoc enim non rite obſervatum, & Paradoxum & te multoſque alios ſeduxit, nimirum quod in negotio Interpretationis nihil ultro quæratur, quam, quid ex textus circumſtantiis aut parallelliſſimo, aut analogia fidei, hoc loco Deus dicere voluiſſe cenſendus eſt, nihil præterea quodque id totum abſolvit interpretis officium. Res autem, ſic erutæ, cujuſcunque ſint generis aut naturæ, non rationis arbitrio examinandæ & decidendæ, ſed fide amplectendæ veniunt, ac firmiter retinendæ. Ut fruſtra ſic rerum fingas figaſque diſcrimina & ordines, hoc loco nullius momenti, omnia enim, captivatâ ratione eaque normali uſu orbatâ, fidei committenda ſunt, & admittenda, quæ tali interpretatione media, eruta fuerunt & elicita. Et hinc arceſſendum puto, quidquid à Socinianis aliiſque

hac

hac in re erratum eſt. Poſt erutam rem credendam, quo obloquentibus eatur obviam, illud quidem licet, ut quantum poſſumus, veritatem iſtam Scripturæ, nihil ſanæ rationi adverſum continere: ſed interpretatione peracta, res contentas diſpeſcere, de variis, varias rationis regulas, interpretaturo præfigere, non ex ipſa ſcriptura ortas, hoc eſt, quod diſplicet orthodoxis. *Conciliatur ratio cum Scriptura, ut ratio dicit ſententiam & dictatum rationis; non vero examinatur, vel componitur Scriptura ad rationem. Atque idcirco non ſic debet intelligi, rationi conſentanea eſſe omnia religionis capita, quaſi ex ratione judicanda forent, vel ipſa cum ratione concilianda, ut cum ea in gratiam redeant: Scripturæ parum refert, an appareat rationis cum ea conſonantia; plus rationis intereſt, hoc ut conſtet & ſibi demonſtretur.* Atque id valet in omnibus, ſive ſint res facti, ſive veritates, ſive myſteria, ſive non myſteria, cuncta enim hic, authoritate dicentis recipiuntur unicè. At de hiſce paulo inferiùs. Sic vidimus argumenta Wolzogii debilia eſſe & ex turpi ſeductione ac errore orta, ut mihi quod ille in omnes Reformatos crimen conjicit, ipſi impingere liceat meritò, *confuſiſſimâ enim obſcuritate* iſta Wolzogiana *involvuntur, argumenta autem maximè, quæ, quia ipſa non eſt ſatis exploratè percepta quæſtio, non poſſunt ex re ipſa eſſe petita, quæque ideo mihi improbandi neceſſitatem, vel laborem explicandi*, neceſſariam alteram, alteram impoſſibilem imponunt. Statim ac, ante interpretationem, alicui normæ, præter ipſam Scripturam, locum dederat, non poterat non infeliciſſimo ſucceſſu & in denſa ignorantiæ caligine decertare. Quapropter fruſtra eſt, quod ſubinde de conſenſu, in rei ſumma, cum Reformatis, glorietur, ut cum ad finem libri prioris ſic loquitur, *Id jam concluſionis loco monuiſſe ſufficiat, huc omnia tendere quæ ſunt hactenus diſputata, Scripturam per Spiritum efficacem eſſe interpretem Scripturæ.* Sic ſæpius idem inculcat, ſe reipſa cum Reformatis, quod ad rei

Hoornb. Socin. Confut. T.1. L.1. Cap.vi.p.123.

Fruſtra cum iis conſenſum jactat.

p. 87.

p.251.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

rei ſummam convenire. At, Qui illa proteſtatio cum ſupra dictis conciliabitur? etenim ſingularem profitetur ſententiam, loquendi modos & argumenta Reformatorum refutat, in terminis eorum ſententiam rejicit & culpat. 2. Si vero res ipſa conſideretur, invidiæ evitandæ cauſa, hæc ſubinda addita, perſpicuum evadet, revera enim nihil minus quam Reformatorum tenet ſententiam, dicit quidem, *Scripturam ſe ſtatuere per Spiritum efficacem Interpretem Scripturæ:* verum ita iſta verba explicat, ut nihil minus, quam Reformatorum ſententiam complectantur, ubinam enim illi, quando Scripturam ſui interpretem dicunt, per modum normæ infallibilis, ubinam inquam illi, eo, uſum loquendi & rationem intelligunt? uſum loquendi ſupponentes & rationi, omnem, in iſto genere, uſum denegantes apertiſſimè. Uſus loquendi ſupponitur, abſque eo enim Scriptura Scripturæ nomen non mereretur, præſertim divinæ; eoque poſito, quæritur quidnam id ſit, quod me, per modum objecti, doceat, convincat, perſuadeat, verborum verum in iſta congerie ſenſum, & dicunt ſolam Scripturam eſſe, hoc eſt, aut eundem illum locum, de quo quæritur, ſeu inſita ſua claritate, ſeu in circumſtantiis, aut loca parallella &c. Neutiquam vero ratio hic uſu venit, inſtrumenti vices fungitur in omnibus, & ſubjecti recipientis, normæ autem de qua hic diſputatur, nullibi, niſi apud Socinianos & Paradoxum. Æque præpoſterum eſt, hic Spiritum ponere, is enim per modum objecti agens non conſideratur unquam à Reformatis: Adeo ut Scripturæ Scripturam interpretem cum dicit & uſum rationem ac Spiritum intelligit, toto cœlo aberrat, vel ab ipſa, ut ita loquar, ſubſtantia Doctrinæ Reformatorum; in eo Socinianis gratificans non parum, quod rationem ut normam, in Scripturæ Interpretatione admittat, quod totum illud eſt, de quo, Reformatis cum Socinianis, controverſia intercedit. Sic ſolent conſenſum prætendere, qui vel maximè diſſentiunt,

donec

donec è re ſua eſſe judicaverint diſſenſum palam profiteri; nihil æquè Remonſtrantibus in ore erat, quam,ſe invariatam docere Reformatorum doctrinam, funditùs eam interea in controverſis quæſtionibus ſubvertere omni conatu allaborantes. Hæc artificia hodie in memoriam revocanda & detegenda incumbunt iis, quibus veritas cordi eſt. Atque iſta ad tractandi modum quem obſervat & animum quem erga Reformatorum ſententiam gerit, dicta ſufficient hactenus. Sciat autem lector nos non ulterius de utroque judicium deprompſiſſe, quam ex hoc tractatu de iis ſententia ferri poteſt.

Ipſiſſima Wolzogii Sententia eruitur & refutatur.

Reſtat igitur ut aliquot theſibus ipſius ſenſa complectar, eaque paucis excutiam, agam autem candide & fideliter.

Theſis Prima.

Prima theſis hæc erit, Controverſiam de Interprete Scripturarum non ex Scriptura, ſed ex ratione decidendam. *Ubi de ipſa interpretatione quæſtio eſt,* p. 219. *nullo modo audiendam eſſe Scripturam puto. Sola ratio audiri hic debet, quæ, poſitis quibuſdam principiis quæ-* p. 217. *ſtionem omnem decidat oportet: Verum ubi de interprete Scripturæ quæſtio agitatur, velle proferre Scripturam, id mihi videtur, ſi quicquam, præpoſterè fieri.* De quibus iſta dicenda habeo.

Reformatis adverſa.

Hanc theſin è diametro adverſari communi ac univerſali Reformatorum ſententiæ, qui ad unum omnes, de Scripturæ Interpretatione, ex ipſa Scriptura diſputandum eſſe aſſerunt: ut vel ex illis, quæ Wolzogio hic in Paradoxo ſuo obverſabantur, videre eſt. Scio aliud eſſe, hunc aut illum locum, poſita nunc interpretandi certa regula & norma, ad iſtam regulam exigere, ſicque verum ejus ſenſum ex eo elicere: aliud autem, normam illam & regulam quærere, quæ nobis, poſtea Scripturam interpretaturis amuſſis ſit. Utrique illi determinando per ſe ſufficere Scripturam Reformatorum ſtatuunt Theologi & confeſſiones. Jam vero & poſteriori id demonſtrandum venit. Longa ratiocinatione hic non eget quæſtionis indoles, quæ facti eſt, & ex

ipſo Paradoxo determinari omnis poteſt, qui eam, ut Reformatorum ſenſu ſic determinatam tractat; non quod iſtius Ardelionis authoritatem vel tanti faciam, ſed quod luculentiſſima ex Reformatorum Coryphæis deſumta teſtimonia ſuppeditet, quæ id uberrimè doceant. Cap.xiii. Chamierum, Withakerum, Polanum, Zanchium, Bezam, Altingium, Walæum ex Scriptura ea de re diſputantes, imo totum negotium terminantes, infert. Cap. xii. Loca Scripturæ, ex Reformatorum ſententia, totum quod in quæſtione eſt, clarè decidentia produxerat, additis abſurdis & propriam hypotheſin, ipſa praxi, ſubvertentibus exceptionibus & cavillationibus. Illas probandi rationes, hoc loco, vindicare debuiſſet Wolzogius, ut vindicari facile poſſunt: at nihil minus agit, partes noſtras deſerit, omneſque iſtas, ſub victrice manu, turpiſſimi & & abſurdiſſimi adverſarii, indefenſas relinquit noſtrorum ſelectas copias. Imo inimico tergum obvertens, apertè in noſtros irruit, dicitque Scripturam, quam noſtri audiunt, qua & feliciſſimè pugnant vincuntque hactenus hic tudiendam non eſſe, *nec proferri debere, nec prolatam refutari ab iis qui nondum de Interprete convenerunt*; jacto in omnium Reformatorum faciem hoc probro, *Scripturam hic proferre velle*, quam omnes proferunt, id *ſibi*, præ cunctis altiora ſapienti, *videri, ſi quicquam, præpoſterè fieri.* Si quiſquam igitur præpoſterè Scriptura uſus eſt, Reformati ſunt, eorumque Theologi ad unum omnes. O cenſuram ter quater abſurdam, præpoſteram! & hic liber, pro Reformatorum cauſa ſcriptus audiet, qui eos deſerit, culpat, imo propoſteræ, præ omnibus, citationis Scripturæ, reos omnes agit publicè.

2. Ut ſententiæ Reformatorum, ſic & veritati adverſa iſthæc theſis eſt. Totum autem negotium tanto lumine circumfuſum judico, ut ſeſe ipſum ſua inſita claritate expediat. Non minus quam ſi quis diſputaret, an ab hominibus & ipſa ratione, an vero à beſtiis, à bobus aut aſinis, legitimus rationis uſus perdi- *Et veritati.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

perdiſcendus ſit. Ex alia in aliam ſphæram activitatis, ut ſic loquar, ex alio in aliud genus ſic tranſitur. Brevibus; in toto hoc negotio diſputas, aut cum homine qui Scripturam, aut Verbum Dei, hominibus, ad ſalutarem cognitionem inſtruendis, datum agnoſcit, aut cum eo, qui rejicit. Si cum hoc, non prius ille de ejus interpretatione ſollicitus erit, aut cum fructu inſtruetur, quam de ejus divinitate fuerit convictus, quapropter hic duo erunt agenda; primum, proponenda inſita divinitatis ſigna, quibus Scriptura abundat; atque illud erit medium morale, cui addendum ſecundum, oratio nimirum, ad interpretandam iſti homini mentem illuminatam ac oculos apertos, quò divinam iſtam lucem, ſeſe in iſtis ſignis prodentem, recipere aptus evadat. Interea illi ſufficiet talis interpretatio, qualem admittunt omnia hominum ſcripta mere humana. Cum illo autem, qui Scripturam, illo, quo dictum eſt modo admittit, aliter agier oportet, hoc enim in caſu, res ſeſe ipſa illuſtrat luculentiſſimè. Ponamus illud ſcriptum divinum eſſe, hominibus ſcriptum, ut inde ad ſalutem evadant ſapientes, hoc enim admittunt, quotquot Scripturæ divinitatem amplectuntur: inde jam neceſſario ſequitur, ſcriptum illud, intelligibiliter ſcriptum eſſe, hoc eſt, ut ejus ſenſus ſit inveſtigabilis ac inveniri queat; nam niſi & illud concedatur, prius conceſſum tollitur neceſſario, quod ſcripturam ponit divinam, homineſque ad ſalutem inſtruendi gratia ſcriptam eſſe. Qui finis, abſque intelligibilitate, acquiri non poteſt. Ut, qui fide Scripturam recipiat, ſimul ejus credat intelligibilitatem. At ambigat jam de Interpretatione & quomodo perficienda ſit, etenim ita in partes diviſos & contraria ſentientes, illos, qui Scripturam normam agnoſcunt fidei, videns, neceſſe eſt, ut pravæ & perverſæ interpretationis malo iſta adſcribat, quare de ea ſollicitus, quid agendum dubitet, quæratque quidnam pro norma pro regula interpretationis ſit ſumendum, cujus ope adjutus, veram Dei men-

mentem expiſcari valeat, atque hic rationem id determinare ac docere poſſe & debere putat Wolzogius: ego cum cunctis Reformatis Scripturam illud per ſe facere exiſtimo. Rationem quod attinet, quid illa, præter ea, quæ jam novit is, qui Scripturæ divinitatem agnoſcit, docere hac in re poteſt? per ſermones & verba mentem explicari, & ſapienti qui id fecerit, uſum loquendi, ut artium, Grammatices, Rhetorices &c. fundamenta, non ſubvertenda, ſed ſequenda incumbere: Barbarum fore aliàs, Deum autem ſapientiſſimum, ut ne in intelligibile & Barbarum verbum ſuum evaderet, id ſatis ſuperque ſciviſſe & obſervaſſe: aliàs verbum ad ſalutarem cognitionem perducere potens eſſe negaretur. Hæc fere omnia ſunt, quæ à ratione hic diſſerendo dici forſan poſſent, & à te tanto apparatu dicta ſunt & explicata ſupra neceſſitatis modum. At omne illud jam novit is, quem nunc ponimus, de quo nunc diſputamus, admittit enim Verbum Dei in hominum gratiam, &, quo ii ad ſalutarem cognitionem pertingerent, ſcriptum eſſe, ac proinde intelligibiliter; ut nihil ulterius evincas, quam, quod jam in hypotheſi utrimque conceſſum eſt; quare jam poſitam & ſuppoſitam cognitionem, à ratione poſtliminio accerſendam, præpoſtere cogitas. Scripturæ unice ſe dedat oportet, qui eam tale Dei Verbum eſſe jam fide tenet, & patebit ſua luce perſpicuam, cœleſtes veritates ilico menti objïcere credendas. Fides illa, quæ ſupponitur hoc requirit, non minus, quam inſtinctus naturalis recenter natos ad ubera trahit, inde alendos & ſuſtentandos. Sic anima jam fidelis, verbo illi inhærere, ſeſe illi tradere, ſupernatulis vitæ inſtinctu, ultro docetur 1 Petr. II. ibique lucem, lucernam, ducemque inveniens, qui pote, ut, præter eam, quicquam normæ aut regulæ deſideret, ſummæ jam & infallibili dedita? Deprehendet ſtatim, ſentietque, hoc ſcriptum oculos illuminare, veritatem docere, animum ſuaviſſimo ſupernæ ſapientiæ guſtu afficere, ac dein-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ceps totum perfundere. Difficultates occurrentes ſolutas ſparſim reperiet, ſicque cum gaudio profectum ſuum ſentiet, lætuſque eadem incedet via & ſalutaris ſapientiæ plenam menſuram verſus graſſabitur. Interim, & illa experientia, & ſacræ Scripturæ exertiſſima verba, hanc ſummam veritatis & infallibilem normam, ſuæque interpretationis unicam regulam eſſe, ultro menti oggerent & perſuadebunt. Sint viri ſapientes qui loqui velint, loquantur ſibi invicem intelligibiliter, hoc eſt, adhibitis ſignis mentem exprimere valentibus & ſolitis, quis eò deinceps veniet ſtultitiæ, ut multo molimine indagandam putet iſtorum ſermonum interpretandi regulam ac normam. Dum unus loquitur alter attendet & ſic ſe mutuo intelligent. Loquitur Deus in verbo ſuo nobiſcum, & intelligibiliter eum loqui neceſſe eſt, quid hic ultro requiritur, quam, ſuppoſita ex uſu & legibus dicendi, verborum phraſiumque in ſe conſideratarum intelligibitate, attendere ad ea quæ loquitur, ea ruminando, conferendo &c. Implorata interim, pro ſubjecti per Spiritum Sanctum acquirenda aptitudine, gratia illuminante ac obſignante. Res ita clara videtur, ut verbis magis perſpicue exprimi non poſſit, quam ipſa ſe ſponte intellectui conſpiciendam præbet. Miror itaque, tam longa rationum verborumque, eaque ſatis perplexa, ſerie, in negotio ita perſpicuo, ſeſe ipſum, ac lectorem ſuum, defatigare voluiſſe Wolzogium. Certe difficiles nodos in ſcirpo fingere, artis non eſt, neque alios quam nugatores docet. Quid hic ratio inveſtiget, determinet, judicet? quando omne id, cujus aliquod indicium à ratione expectari poſſet, in Scriptura ponitur, ſimul ac ea pro verbo Dei, eum in finem prolato, accipitur, impoſterum ſuæ interpretationis, ut & omnis veitatis ſupernaturalis, futura unica & ſufficiens norma. Adverſariorum importunæ cavillationes, tam multa, ſuper hac quæſtione, ſcribendi neceſſitatem, noſtris Theologis fecerunt

unice,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

unice, quandoquidem res ipſa tam apertæ veritatis ſit, ut, vel ex ipſis terminis, totius controverſiæ deciſio ſponte fluat. Concedatur, Scripturam verbum Dei eſſe, idque prolatum, quo homines ſapientes reddantur ad ſalutem, & ſimul concedetur neceſſe eſſe, ut per ſe intelligi poſſit, id eſt, quantum in iſto genere requiri poteſt, ad ingenerandam ſalutarem ſufficere ſapientiam, quæ veritas jam dicta, experientia, locisque ſparſim occurrentibus, quæ eandem identidem inculcent, ultro piis confirmatur. Admiſſa Scriptura ex hypotheſibus convinci facili negotio poſſunt diſſentientes, ex ſuperabundanti autem tam multa argumenta Doctiſſimi Viri addiderunt, ſolidiſſima ad unum omnia, ut ſuperius audivimus. Unicum Wolzogio in memoriam revocandum eſt: hac quæſtione, *religionem omnem in diſcrimen venire*, *omnemque in ſe continere religionem* iſtam controverſiam; nunc vero in ejus pertractatione, nullo modo, Scripturam audiendam docet; ſola ratio, ait, hic judex ſedet, & decidere debet: unde totam Wolzogii religionem à rationis arbitrio pendere, non abſque ratione quiſpiam cogitaret. Quoniam vero plura notanda ſuperſunt, & ab aliis ſumma & apex hujus controverſiæ optimè ſit pertractatus, hac vice ulteriori diſquiſitioni ſuperſedebo. p. 5. & in Epiſt. Dedicat.

3. Hanc theſin nulla probabili ratione ſuffultam deprehendo. Debebat non niſi demonſtrativa, ut vocant, argumenta dare, qui omnes Theologos, non ſolidæ argumentationis, accuſare auſus eſt. Argumentorum autem loco, haſce duas cavillationes fabricavit, præpoſterè hic Scripturam proferri dixerat, cujus probatio prior ſic ſonat. *Nec enim intelligi ſine interprete Scriptura poteſt, & cum ſit interpres materia diſputationis, parata ſemper exceptio eſt; non recte intelligi Scripturam.* Sic & p. 247. *Sunt enim verba ſine ſenſu, quia qui ſenſum debet eruere nondum certus Interpres.* Interpres hic interpretandi regulam ſeu normam neceſſario notat, nam Nulla ratione ſuffulta. p. 217.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

de homine Interprete ſe non loqui, antea ſignificavit author, & res ipſa alium ſenſum non patitur niſi unumquemque ad Script. intelligendam homine alio egere quiſpiam ſomniet. At rem aliquam requiri ab ipſa Scriptura diverſam, ſine cujus ope ea intelligi non poſſit, *ejuſque verba ſine ſenſu ſint*, ut prophanum nego, ac pernego, æque ac ſolis lucem aliam requirere lucem, qua iſtam videam, aut recte me videre evadam certior. Poſito Scripturam Dei verbum eſſe, quo homines ad ſalutem inſtruantur, ſponte patet, & verba ſine ſenſu abſque blaſphemia dici non poſſe, & quænam ſit interpretandi norma, nimirum, præter ipſam Scripturam, nulla, ut modo diximus. Ut abſurdè veritatis hoſtes tam laborioſæ diſputationis materiam hic dederint, Theologis Orthodoxis, quod etiam in pluribus experimur controverſiis, in re, per ſe clara & perſpicua, tam multum negotii faceſſentes. *Paratæ ſint exceptiones, non recte intelligi Scripturam*, neque enim iſtis exceptionibus unquam Wolzogius ſuo Interprete viam præcludet: Ille etiam, qui ſe ex ipſa Scriptura, verorum ſenſuum convinci quotidie, perſentiſcit, non magis ipſis exceptionibus dimovebitur; quam ſi quis, ex cæcorum numero, me lucis aut viſionis meæ incertum ſuis cavillationibus reddere tentaret. An Carteſiani propterea claræ & diſtinctæ perceptioni minus fidunt, eamve veritatis regulam eſſe minori certitudine ſibi perſuadent, quoniam multi ſunt qui eos toto cœlo errare contendunt? Et merito dubios ſe reddi non paterentur, ſi certis innixa & indubitatis fundamentis hæc regula foret, aliis licet contra muſſitantibus. Quid ni id omnibus, quibus per Dei gratiam, Scripturæ lucem, & interpretandi, interpretationemque ſibi perſuadendi, facultatem, & potentiam noſſe datur, itidem liceat, ut exceptionibus, quantum poſſunt, obviam euntes, videre tamen ſe, quod refera vident, abſque ulla hæſitatione certi permaneant. Neque media deſunt,

ſunt, quibus id quod ipſi certò vident, aliis etiam, licet adverſariis, quantum ad objectivam convictionem ſufficit, demonſtretur. Ex hypotheſi utrinque conceſſa, quantumvis obluctetur, aut aliam interpretationis normam obtrudere velit, ad ſcripturam vel invitus pertrahi poterit. Concedit Scripturam tale Dei verbum eſſe, neceſſe ergo eſt, ut patulas aures illi præbeat, & mentem attentam: ego ex illa Scriptura, quam utrinque pro tali principio agnoſcimus, ac proinde intelligibiliter ſcriptam eſſe fatemur, ipſi dogmata credenda & morum regulas depromam, quas ſi rejiciat, probabo adductis Scripturæ Textibus, quos ſi me bene interpretari neget, ego ex circumſtantiis aliiſque ipſum convincam; ſi inſtet, ſe voces iſtas non intelligere, regeram Scripturam ex uſu & regulis linguæ ſcriptam eſſe, idque ſupponi, ſin minus, ad verſionem, & verbalem quam vocamus interpretationem hoc pertinere, non realem, de qua impræſentiarum quæſtio agitatur, aliàs intelligibilem non fore, ac proinde tale verbum, quod in ſuo genere ſapientem ad ſalutem reddere poſſit, non eſſe, quod contradicit hypotheſi. Si autem diverſam, ab ipſa Scriptura, interpretandi normam, adhibendam moneat, præterquam, quod ea, quæcunque tandem ſit, rationibus diſpelli facile poſſit, iterum urgebo hypotheſin, quæ apertè convellitur, niſi ſufficiens in ſuo genere, quo ad ſalutarem cognitionem pertingam, agnoſcatur, qualis non foret ſi alia præter ſe ipſam norma, magìs quam vel hominum dicta quibus alios docere volunt & inſtruere, indigeat. Quare & omnes, quod αὐτοκατακρισίας, vel ſtupidæ ignorantiæ documentum eſt irrefragabile, quotquot ſe iſti veritati & Scripturæ perfectioni opponunt, ſponte eò re ipſa duce deferuntur, ut Scripturam interpretari ſatagentes, ex Scriptura ſuæ interpretationis firmamenta accerſant, quod in Papiſtis non ſolum, ſed etiam in Socinianis & ipſo Paradoxo deprehendimus. Ipſe Wolzogius, qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

qui hoc in Paradoxo recte notat, eodem argumento confutari poteſt ſolidiſſimè. Ponunt quidem Sociniani, firmantque ſuas, ex ratione quaſi deſumtas, regulas; ſomniat & tales Wolzogius, quibus contradicere Scripturam credendum non ſit: ad certamen vero quando deventum eſt, ex textu, ex Parallelis certant, ſi non unicè, ſaltem præcipue, ut vel ex ipſo Socino in Joh. 1. ex Crellio, Schlightingio, aliiſque videre eſt. Quorum ultimus ultro largitur, quoties de Scripturæ ſenſu aliunde conſtiterit, *quicquid contradicat ratio falli eam neceſſe eſſe*. Et ſane, res aliter ſe habere non poteſt, niſi ex Scriptura ipſa, de alia, ſeu rationis, ſeu Patrum aut Conciliorum, ſeu Enthuſiaſticorum dictaminum norma, convincar. Pono enim, quod ſæpiùs jam dictum eſt, Scripturam iſtam tale verbum, & quia Dei, intelligibile, ſapientiæ ſalutaris eſſe principium. Ego, fidei Articulos ex iſto verbo inveſtigaturus, me in ejus ſcrutamine, unice illi verbo trado, dedoque, neque aliam interpretationis normam neceſſe eſſe, quotidiano profectu experior, & claris Scripturæ verbis convincor. Tu quidem concedis, illud verbum, ad ſalutarem ſapientiam nobis ingenerandam, datum principium eſſe; ſed ultro dogmata rationis audienda, de ratione interpretationis modum normamque repetendam eſſe, tu oggeres id experientiam te & rationem docere: ego rationi non fido, eique, in iſto negotio, arbitrium nego, tu certe me ad iſtam ſententiam adigere nunquam poteris, niſi ex ipſa Scriptura, quam unicè admiſimus utrimque; ex Scriptura autem me convicturus, omne illud verum eſſe quod ex Deo ducit originem, lumen eſſe quicquid à Patre luminum nobis impertitur, ac proinde rationem audiendam eſſe, non ſpernendam, non repudiandam: at rogo, undenam tibi conſtet, iſtorum locorum talem ſenſum eſſe, ut ex iis de admittendo rationis, ſaltem non plane declinando, arbitrio, convinci me oportere putes; ſi dicas ex aliis rationibus, extra Scri-

Schlighting. de Trinit. c. Meiſner. p. 67.

pturam poſitis, petis principium, nam ego eas, in iſthoc negotio, ſic non admitto; ſi autem dicas ex ipſa Scriptura, quæ ſi intelligibiliter ſcripta eſſe utrimque concedatur, non poteſt non cenſeri, illum rationis uſum præcepiſſe, jam concedis omne quod volo, nimirum ſcripturam per ſe ſufficere, quo de fidei veritatibus inſtruamur, convincamur. Unde concludo tam longè abeſſe, ut, quod Wolzogius Reformatis exprobrat, præpoſtere in hoc negotio Scriptura producatur, ut ea, ſolum nominata & poſita, omnes ſua luce ab eo diſpellat tenebras, atque ſic præpoſtere hic adhiberi non poſſit. Sequitur altera Wolzogii ratio, quæ talis eſt. *Ubi de ipſa interpretatione quæſtio eſt, NULLO MODO audienda Scriptura eſt, quia de ipſa diſputatur.* Eandem rationem olim noverat Jeſuita Tirinus, ſic ille, *Scripturæ ſupremum Interpretem (ut plerique heretici contendunt) non eſſe ipſammet Scripturam patet, quia de illamet hic eſt quæſtio.* Quam rationem ſic refutat Mareſius: *Hoc ſoli Deo competit, ut Judex ſedeat in ſua cauſa.* Æque ac Soli competit, non aliter, quam ſuo videri lumine. Quid ſi de ratione diſputetur, an non ex ratione decidenda erit controverſia? Quid ſi quis vel de principio cognoſcendi, vel de regula exactæ cognitionis dubium moveat, an ideo rationi valedicendum erit, quia de ratione ambigitur? Atque iſta Wolzogio omnes Reformati Theologi convicti & expugnati ratiocinatione videntur.

p. 219.

Mareſ. Loc. Cit. tato.

2. Huic primæ affinis eſt theſis altera, quæ ſtatuit, quæſtionem, qua quæritur, *quamobrem ſtatuamus hunc & non alium Scripturarum ſenſum, alterius naturæ eſſe, quam illa, quæ in auctoritatem loquentis Dei reſolvitur, & res humanas concernere.* Ergo auctoritate loquentis Dei non nititur, quando hunc locum, iſtum vel illum ſenſum habere pronunciat. *Solius id fidei non eſt, neque Dei teſtimonio unice nititur.* Hic videtur aliquid fidei, ac proinde authoritati Dei tribuere: non omne tamen. Alibi enim,

Theſis. 2. p. 51.

p. 52.

enim, Reformatis urgentibus, quod omnis Interpretatio ſit controverſia fidei, cum ſuo Paradoxo conſentiens, hæc verba adfert pro reſponſione ad Reformatorum argumentum: *non facit ad fidem interpretatio quicquam niſi remotè*, remotè facit tantum ad fidem. Non igitur fide credit, huic loco hunc ſubeſſe ſenſum: non enim in authoritatem Dei reſolvitur iſta quæſtio. O miram Wolzogii religionem & fidem! Libro priore in ipſo crudum effatum perſtrinximus, quo in iis, quæ præter fundamentalia, eaque pauciſſima, reliqua ſunt, *nullum infallibilem interpretem agnoſcit*, quod non de homine interpretante, ſed norma interpretandi intelligatur neceſſe eſt, niſi in fundamentalibus hominem aliquem pro infallibili colat interprete. En igitur omnem, de Scripturarum ſenſu, certitudinem ſublatam, præterquam in fundamentalibus, *quæque pauciora ſint, quam vulgo credi ſolet*, ac quidem Reformatis; Sociniani enim & Remonſtrantes, aut Pontificii, explicitè credendorum juſto auctiorem numerum non obtrudunt, unice Reformati ſuperſunt, qui vulgo credunt plura eſſe, quam quidem Wolzogius cenſet, fundamentalia. Paucorum igitur, ſe ex ſacris, infallibilem certitudinem hauſiſſe, profitetur Wolzogius, quod ſane non difficulter credo: hoc autem non fero, quod plurium certitudinem acquiri poſſe, audacter neget. Quin juſtam ſuſpicionem lectori injicit, an ullam ullius ſenſus ſcripturæ aut dogmatis credendi abſolutam certitudinem ſibi non ſolum acquiſiverit, ſed vel ab aliis acquiri poſſe hactenus credat. *Præterquam in fundamentalibus nullum infallibilem interpretem agnoſcit*, ſicque præter fundamentalia nihil abſolute certum, iſta certitudo enim, ab interpretationis pendet certitudine, ſic antea, nunc vero & illa certitudo vacillat, imo tantum non omnis ſubvertitur. Quod ſic probo. Fundamentales illi, atquè unicè certi & indubitati articuli, non niſi adhibita interpretatione, hoc eſt, eruto verbo-

rum eos exprimentium ſenſu, innoteſcunt: quod non negabit Wolzogius, qui recte omnia vel clariſſima talem interpretationem exigere ſtatuit, quippe qua unicè ſenſus verborum dicentis, ad mentem legentis, vel audientis, pertingat. Jam ſubſumo. At interpretatio, *quodque hunc ſtatuamus non alium Scripturarum ſenſum, in authoritatem loquentis Dei*, ex ipſius ſenſu, *non reſolvitur*, ac tandem, *teſtimonio Dei non unicè nititur*, atque, *ſolius fidei non eſt*, ſaltem ad *fidem non facit quicquam niſi remotè*. Quid hinc manifeſtiori ſequela elicitur, quam, non infallibili, non unice divino nixum teſtimonio, adeoque non abſolute fide divina, vel ipſos fundamentales, unice aliàs ipſi certos, articulos recipi à Wolzogio: id eſt, nihil ab ipſo certâ credi, & infallibili certitudine? Neceſſe autem non eſt, ut multis iſtam concluſionem Wolzogio p. 202.
extorqueam quam ultro largitur, *Scriptura* enim *ipſi à Deo eſſe* dicitur, ſed *interpretatio, ab hominibus*. Judicium ſit penes pium lectorem. Miſſa hac, ex Wolzogianis genuino nexu, certoque propullulante ſequela, ad ipſam theſin revertor, de qua ſic ſtatuunt Orthodoxi, ſe in pronunciando, de hoc aut illo Scripturæ ſenſu, unice divina inniti authoritate, adeo ut illum ſenſum hiſce verbis ſubeſſe, detecto agnitoque ex divinis ſignis ſenſu divino ac infallibili, fide divina certi credant & intrepidi, & interpretatio, Scripturæ animam nobis & nucleum tradens, non ab hominibus ſed à Deo ſit, qua de re in primi, Reformatorum, atque inter eos, Clariſſ. Chamieri, argumenti vindiciis adverſus Wolzogium & Paradoxum egi. Præter ea autem, quæ inibi objecta refutavi, nihil quidem difficultatis ſolvendum reſtat: in ſpeciem tamen diverſa quædam occurrunt, quæ hoc loco, ut ipſi abunde ſatisfiat, excutienda ſunt. Primum eſt, quod ubi de interpretatione quæſtio inſtituitur, de rebus humanis agatur, *hæc* enim *res humanas concernit, ac proin-* p. 52.
de longè alterius naturæ, ab illa, quæ in auctoritatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

loquentis Dei reſolvitur. Idem inculcat paulo poſt,
& 263. his verbis. *Quia enim circa res verſatur humanas, verba, voces, orationem, humanis quoque mediis expedienda eſt.* Imprimis notari velim, quam exa-
Cap. xvi. ctè cum Paradoxo ſuo hicce loci conveniat Wol-
§ 9. zogius. Diſtinguit homo prophanus inter Scripturam materialiter ſumtam aut formaliter, illam vocat *literas*, *ſyllabas*, *voces*, & ex his conflatas orationes, hanc vero, rem, iſtis vocibus contentam. quarum poſteriorem, hominis arbitrio eximit, priorem vero ſubjicit. Eodem plane modo Wolzogius, *res humanas concernit*, *verba*, *voces*, *phraſes*, *orationem.* Non ſibi magis quam Paradoxo ſimilis: Sed abſurda eſt utriuſque cavillatio. Et materialiter & formaliter, hoc eſt tota & unicè divina ſacra Scriptura eſt. Sint voces humanæ, hoc eſt, ab hominibus, Deo ſic dirigente & providentia ſua id efficiente, excogitatæ, jam poſtquam Deus iis utitur divinæ fiunt, ſi uſus humanus ejus humanas efficiat, quid ni & divinus uſus faciat divinas. Communi utatur iis Deus ſignificatione, adeo ut Dei uſus, cum eo, qui hominum eſt, unus ſit quoad voces ſigillatim ſumtas. Jam tamen ejus uſus divinus eſt, ſignificatio divina, & in conſtructione, in tantum ſingularis, nec ulla, uſus mutatione, varianda aut mutanda: hoc eſt, ex mente Dei, talem, non alium
p. 262. ſenſum, ſic prolata, efferunt: Quæ veritatis vis, vel
& 263. reluctanti hæc verba extorſit. *Uſus enim vel conſideratur in ipſa loquentium conſuetudine, & ſic merè humanus eſt: ſed ſic non facit interpretem Scripturæ: vel ſpectatur ut adhibitus à Deo, qui vulgarem uſum adhibendo ſuum facit, & ita quidem deſumtus ab hominibus eſt, ſed à Deo approbatus & uſurpatus, jam Dei uſus incipit eſſe. Igitur in Deum refunditur Interpretationis dignitas.* At bone vir: annon ſic tua deſtruis? ſit quæſtio, quare hôc, non aliô, iſta verba, iſtam orationem ſenſu ſumas? quid te movebit, nonne authoritas Dei, quem certò vides iſta verba, pro ſingulari ſuo divino uſu, iſto uſurpaſſe,
non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

non alio ſignificatu, quod te circumſtantiæ, parallellismus, aliaque Scripturæ inſita argumenta docent? neceſſe enim eſt ex admiſſo iſto, ſingulariter divino, uſu, id itidem admittas. An igitur interpretatio fidei non eſt, niſi remotè? An authoritate Dei: An teſtimonio Dei non nititur? Quorſum igitur iſtis obluctaris? quorſum negas? quorſum pueriliter ea refutare conatus es? quæ, præ nimia claritate, ſemper & ubique tegere ipſe, aut celare, non potuiſti. Alterum quod obtendi poſſet, exſtat fere ad finem totius tractatus, conquirendæ enim ſunt iſtæ margaritæ & colligendæ, non ſine tædio: *Scriptura*, ſic ſonant verba, *ejuſque interpretatio magno à ſe intervallo diſtant. Nam Scriptura, ut eſt à Deo, nulli rei ſubjacere poteſt; interpretatio, quæ ab hominibus eſt, nil ſe indignum pateretur, ſi vel maximè à qua alia cauſa penderet.* Oracula, ſed ambigua, fundit noſter. In tantum irretitum adverſarium, ex Hoornbeekii manibus liberat, ut, licet interpretatio Scripturæ, ab alia, viliori qua, cauſa dependeat, id tamen, in Scripturæ majeſtatem, quo argumento Socinianos profligaverat vir incomparabilis, incurrere putandum non ſit; errat enim in eo Hoornbeekius, quod Scripturam cum interpretatione ſua, ut dignitate pari, conjunxerat: *quæ tamen magno intervallo diſtant*; non ſatis erat perſpicuè dictum à Paradoxo, *Scripturam, formaliter licet, quod ad res contentas, eam alteri ſubjicere, improbum futurum fuiſſet, materialiter tamen, quod ad verba voces &c. ab alio pendere non eſſe ejus dignitati adverſum.* Aliis verbis & clarioribus idem reſponſum Hoornbeekio oggerendum erat. Diſtinguendam eſſe Scripturam, ab ejus interpretatione, hoc eſt, juxta Paradoxum, ejus materiale à formali: tam parum diſtat Wolzogius à Paradoxo; falſus uterque. Ego putem, Scripturam non magis differre ab ejus interpretatione quam ſolem in ſe ab eodem, ut ſeſe luce ſua nobis objicientem. Scripturam cum dico, verba non

p.262.

Cap. xvi. §. 9.

ſeorſim

ſeorſim, voceſque ut ſic intelligo: ſed verborum vocumque ordinatam congeriem, per ſe id ſignatè ſignificantem, quot alias Scripturæ rem contentam & ſignificatam dicimus univerſam. Non aliter, quam, ſi quis patris ſui ultimam voluntatem ſcripto conſignatam, diceret teſtamentum: non voces, phraſes, verba unquam deſignaret, quando de teſtamento loqueretur, ſed verba Phraſeſque ultimam voluntatem deſignantia, id eſt, verba cum iſto ſignificatu. Qui hominem dicit, animam dicit & corpus. Qui legem ſcriptam, verba, iſtum legiſlatoris juſſum exprimentia. Ut iſta tam longè à ſe invicem ſeparando, ignorantiam ſuam prodiderit noſter, & cum Paradoxo συμβίβασιν, longe, quam par eſt, majorem. At quid tum porro? multum iſta diſtent: *Scriptura, ut eſt à Deo, nulli ſubjacere poteſt*, idem volebat Hoornbeekius, idem omnes Reformati: *interpretatio autem, quæ ab hominibus eſt, nil ſe indignum pateretur, ſi vel maximè à qua alia cauſa penderet.* Quid hiſce verbis velis, ego ſanè non percipio: Scriptura tua, an non etiam ſenſum complectitur ſibi inſitum? vel an mutarum ſyllabarum tibi congeriem denotat, illud vocabulum? ſenſus vero, an non Dei ſenſus eſt, quem, ut expreſſit, ſic intelligi à nobis voluntate ſigni voluit? Et quid tandem per *interpretationem* deſignas? an actum interpretantis, an normam interpretandi, an vero illud, quod in Scriptura eſt, quo perſpecto homini verus verborum ſenſus pandatur & appareat? ſi primum, jam aberras à ſcopo in immenſum: & quis unquam tam ſtupidus evaſit, ut iſta non diſtingueret, aut iſtum interpretantis actum, ab alia cauſa, præter ipſam Scripturam, dependere negaret? à Deo, ut cauſa prima; ab homine, ut ſecunda & proxima; ab aliis ſubinde hominibus, ut cauſis moraliter cooperantibus; à verborum artiumque cognitione, ut miniſterialiter adjuvantibus, Scriptura licet ſit, maneatque, unica regula & norma. Si ſecundum, an ſic ab hominibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

bus interpretandi norma repetenda tandem veniet? ab hominum voluntate & uſu, fateor, verbis ſua ſignificatio eſt, ſed ea ſolummodo explicationem verbalem, aut potius verſionem, efficit, & in Scriptura, utpote intelligibiliter ſcripta, præſupponitur, uti jam ſæpius notatum eſt; at ſi vel proinde interpretationem ab homine eſſe contenderes, infi- p. 263.
cias irem, quoniam, cum à Deo approbatus & *uſurpatus iſte uſus, jam Dei uſus eſſe incipit, in Deum refundi debebit*, non in homines, *interpretatio*. Si tertium, illud nimirum, quo tandem perſpecto, deprehendere ac videre eſt, hunc ſenſum, his verbis ineſſe, jam falſo id ab hominibus eſſe aſſeveras, hoc enim ipſa Scriptura in ſe habet, &, vel primo intuitu, vel accuratæ collationis medio, conſpiciendum, ipſa præbet, & totum illud eſt, de quo diſputamus; quapropter cauſam dedis, eaque dedita, turpiter petis principium, cum dicis interpretationem eſſe ab hominibus. Atque aliter accidere non poterat, poſtquam Paradoxo, doloſum in modum, tantum virum, Clariſſ. Hoornbeekium, quin totam Reformatorum cauſam, aggredienti, ſuppetias ferre, Wolzogio decretum erat.

3. Ad hominis autem tribunal provocaturus, Theſis 3.
rationem humanam in ſolio collocare, ac tantum non in cœlum efferre debuit. Ac proinde, quæ tertia Wolzogii theſis erit, rationi tam tuto fidi poſſe ſtatuit, quam Deo ipſi, verboque divino. Imo, ac ſi multum, de eo, quo ratio abundet, Deo gratificaretur, à comparatione, cum rationis certitudine, verbi divini probat certitudinem. *Ita ut*, p. 29.
ſic diſſerit, *ne rationi quidem certius innitamur divinis dictis. Qui hæc dicit non magis falli aut fallere* p. 30.
poteſt quam ipſa ratio. Si autem & hic in tranſitu Medicum audire lubet, ſic ille, *lumine naturali nihil certius datur.* Wolzogio multum redhoſtimenti debet divina veritas, pari quippe certitudinis, cum Diva Philoſophia, ſeu ratione humana, laude ab ipſo cohoneſtata ac redimita. Fateor equidem, verum

Init. Philoſoph p. 333.

rum

rum non eſſe vero contrarium, aut unum altero magis verum; æque enim verum eſt, quod naturaliter eſt verum, quam quod ſupernaturaliter (ſubtilitates Metaphyſicorum, qui ut ens, ſic & entis affectiones, analogicè de Deo & creaturis, non univocè prædicant, hac vice non reſpicio) Dei tamen veracitatem, & tutam ejus verbis adhibitam fidem, à rationis certitudine arguere, næ id præpoſterum eſt, ſi quicquam. Uno verbo. Ratio denotat, vel facultatem ratiocinantem, vel veritates ſeu primas ſeu inde ortas, illa harum ſubjectum, hæ, in ordinem digeſtæ, Philoſophiam conſtituentes, objecti vices obeunt, in iſta conſideratione. Verum enim vero certiſſimum eſt, pro facultatis noſtræ conſtitutione, eam ad veritates cognoſcendas, aliaſque, ex cognitis, eliciendas, magis vel minus aptam eſſe: & quoniam, quod à nemine, præter faſtuoſam Pelagii progeniem, non creditur, per peccatum nos admodum corrupti ſumus, ita, ut ſpiritualiter mortui, vel in ipſis naturalibus, & circa ea, debilitati ſimus valde, *nec viribus reliquis*, quantulæcunque ſint, *bene utendis apti*, ſequitur non nimis multa de ratione noſtra in iſthoc ſtatu, niſi nos ipſos vana ſpe lactare lubeat, expectanda eſſe. Probant id omnis ævi ſapientum quærelæ, docent innumeræ Philoſophorum ſectæ, Scepticorum atque Academicorum dubitationes, portentoſiſſimi denique, omnis generis, errores, & horrenda, etiam de divinis, dogmata. Ut vel ipſa Scriptura, & Euangelica revelatione externa adjuti, Chriſtum rite cognoſcere non valuerint, ſed pro ſtultitia, quæcunque de ipſo dicerentur, habuerint; homines aliàs, ſcientiâ, ut ſibi imaginabantur, onuſti. Non nego quædam & certo cognoſci, ſed numero pauca putem, & certitudine ſæpius vacillante: non tanta ſaltem certitudine, ut, abſque cœleſtis veritatis vituperio, tam diverſa æquiparanda, invicemque, eo modo, comparanda fuerint, ac ſi Verbi Dei firmata & infallibilis veritas, à comparatione, cum rationis

Synod. Dordrac.

rationis certitudine, probari poſſet ſatis decenter. Ratio, non in idea, ſed prout in ſubjecto, conſideranda eſt, quæ fallere poteſt, fallitque ſæpiſſime: nunquam Dei verbum, aut veritas divina. Quæ ut in ſe certa eſt, & objectum fallere neſcium menti offert, ſic promiſſiones continet, qua fulti ſubjecti, facultatis corruptæ, ineptæque reſtitutionem, &, ad majora percipienda, coaptationem ſperare datur: quod in philoſophia, & homine naturali non obtinet: Videmus de primis veritatis regulis, quibus ea, abſque fallendi periculo, dignoſci queat, hactenus diſputari inter Philoſophos, & quas hodie tantopere à multis, inter quos cum Paradoxo, etiam numerandus venit Wolzogius, laudari & commendari videmus, magnam partem fallaces eſſe nullus dubito: ſpecimina quædam, hoc ipſo tractatu exhibuimus. Quoniam vero, immodicus laudis Philoſophiæ ebuccinator Paradoxus, ſuis Antagoniſtis propterea vapulat, nihil addam ulterius; ſufficit lectorem, imprudentiæ Wolzogianæ, etiam in hoc negotio, vidiſſe argumentum. Ad aliam theſin propero.

4. *Præterquam in fundamentalibus nullum agnoſco infallibilem interpretem.* i. e. interpretandi normam, ſic enim verba ſumi debere priori libro probavimus; Quem errorem, antea ſatis ſuperque refutatum, hic ſolummodo repetere ob materiæ indolem debui. Theſis 4. p. 251.

5. Sequitur ergo theſis quinta, qua ad Enthuſiaſtas relegat, quotquot ex eo, quod quiſque ſit ſuorum verborum interpres optimus, Deum Scripturæ Interpretem eſſe contendunt. Negatque, imo nullis argumentis adduci ſe patitur, ut credat, Scripturam eſſe interpretem Scripturæ. Adeo ut *ſatis confectum* eſſe *putet, non fuiſſe huc illud adducendum, quiſque ſuorum verborum optimus Interpres.* Pagina præcedente ſeriò cavet, ne eo adigatur: *nec quia facimus Interpretationis judicem uſum, ideo Deum facimus interpretem.* Et *ubi de Interprete Scri-* Theſis 5. p. 203. p. 207. p. 206.

pturæ

pturæ agitatur, velle proferre Scripturam, id mihi
p. 217. *videtur, ſi quicquam, præpoſtere fieri. Negamus Deum dici poſſe proprie Scripturarum Interpretem. Et Spi-*
p. 250. Cap. XV. *ritus quidem Sanctus creditus fuit nonnullis* (Chamierum citaverat & Scarpium, quos, pro ſua ſtupiditate, diverſum quid à reliquis Reformatorum Theologis ſentire ſomniaverat Paradoxus) *aperire ſenſum Scripturarum, illaſque fidelibus interpreta-*
p. 126. *ri.* NB. *Quam ſententiam explodit jure merito Exercitator, & merum Enthuſiaſmum continere ſtatuo.* Proponenda hæc ſolummodo hic erant, fuſè diſcuſſa ſuis quæque locis; niſi ex ſuo ore confutatum velit Wolzogium lector, ſic ἀυτοκατήκριτον alibi
p. 244. veritate victum. *Quando Scripturæ ſui ipſius tribuitur Interpretatio, non excluduntur interpretandi regulæ; quia ſanè cenſentur in ea lingua includi qua ſunt conſcriptæ Scripturæ: ſed intelligitur ſecundum illas regulas, ex ipſo verborum contextu fieri debere*
p. 245. *Interpretationem. Idque de univerſa Scriptura intelligendum. Singula autem loca per alia loca, inſtituta collatione, debent explicari.* Quo ſenſu cum ſciat Reformatos loqui, modo id verum, quod dicunt, credat, quid obluctatur, quid reprehendit, quid culpat, mirus diſputator.

Theſis 6. 6. Sexto, ſic de ratione Philoſophatur, ut plus quam inſtrumentalem uſum in Scripturæ Inter-
p. 67. pretatione ei tribuat. *Nolumus*, inquit, *hic uſum rationis inſtrumentalem, quem vocant, aſſerere, quem præſupponimus. Ipſa enim Interpretatio, quæ ſenſum orationis cum verbis conjungit, quia judicio debet & intelligentia fieri, non poteſt ſine ratione fieri.* Bene ſe habent iſta, nec eſt quod iſta probet, at recte monet, *principem difficultatem in eo minime verſari:* inſtrumentalem enim uſum non negant Theologi Orthodoxi, de ſolo formali quæſtio eſt. Petunt alicubi Walemburgii Fratres, *ut doceamus*, Refor-
Coccej. Præfat. ad Ep. ad Eph. "matos non uti propoſitionibus à ratione, niſi ut "tanquam ſola inſtrumenta oſtendant veritatem "connexionum. *Dixeram*, inquit Coccejus, *cum Au-*

guſtino,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

guſtino veritatem connexionum non inſtitutam, "p. 35.
ſed animadverſam eſſe ab hominibus & notatam, "
ut eam poſſint vel diſcere vel docere. Sed, inquit, "
oſtendendum erat, Reformatos ratione uti ut inſtrumento mero. Nonne claris verbis dixeram, fidem requirere σύνεσιν, ut inſtrumentum; & eam animadvertere rerum rationem? *Dum hoc dixi, nonne ſatis oſtendi, NB. omnem rerum rationem obſervatam non niſi ut inſtrumentum accedere ad fidem; non ut propter rationes notas credamus, ſed &c. Concedunt ipſi*, licere uti præpoſitionibus à ratione, Exam. Colon. editi 1664. pag. 62. lin. 12. *ſi id licet, utique licet vel ad fundandam fidem, vel NB. tantum, ut ſit inſtrumentum ad cognoſcendum id, quod Deus per verbum ſuum teſtatur ad fidem. Utrique primum negamus: reſtat ſecundum.* Hinc & alibi de Interpretatione ſic inſtituit. *Qui loquitur, ut Prophetans, ſive narrator eorum, quæ Deus locutus eſt, ne egrediator cancellos ſermonis Dei, ut principii ſive teſtimonii. Nam etiamſi de eo, quod de Deo notum eſt, poſſimus loqui etiam cum gentibus, tamen de eis, quæ Deus revelavit, nihil niſi ex ore h.e. ſermone Dei loqui poſſumus. Fides credit Deo & teſtimonio ipſius, & id non egreditur.* Quare merito, & hiſce conſentiens, Hoornbeekius: *An ratio judicet normaliter; hoc quæritur*; quorum verborum author tanto majoris in toto hoc negotio faciendus eſt, quanto majorem accuratioremque curam, atque induſtriam, in controverſiis Socinianis diſcutiendis, demonſtravit, ipſiuſque opera, majori cum applauſu, ab omnibus Reformatæ doctrinæ amatoribus, approbata eſt. Wolzogius præterea *regulam*, quod idem eſt, ac ſi normam diceret, *ducemque rationem* dicere non veretur, imo *regulam* ſuppeditare ad quam *res omnes etiam quæ ſola revelatione innoteſcunt*, ſint exigendæ. Notandum vero in anteceſſum, quando *rationi* inſtrumentalis uſus tribuitur, eam tunc ſumi pro ſubjecto recipiente, pro ea mentis facultate, quam aliàs intellectum vocamus:

Præfat. in Ep. ad Rom. §. xxxiii.

Socinian Confut. Tom. 1. Libr. 1. Cap. vi. p 9.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

axiomata autem & veritates denotat, quando norma dicitur aut regula. Adeo ut, accuratioris dictionis ergo, poſteriore ſignificatu, Philoſophiam dicere liceat, quatenus eo denotat ordinatam veritatum naturâ cognoſcibilium, atque artificioſam congeriem: quapropter Wolzogius, quod hic ra-
p. 270. tioni, alibi Philoſophiæ adſcribit. *Ratio*, inquit, *ea diſceptat, quæ Philoſophiæ ſunt.* In refutatione etiam adverſarii, jam rationem, jam Philoſopiam, pro-
p. 51. p. 152. p. 162. miſcuè nominat. Vocem autem iſtam in hac diſſertatione ſtudio omiſit, ne nimis manifeſtus comperiretur cum Paradoxo conſenſus. Nobis igitur vitio verti non poterit, ſi voces Synonimas, in hoc negotio, promiſcuè ſumſerimus. Quod igitur rationi ultra uſum inſtrumentalem, quem præſtat in omni, ſive ea ſimplex ſit, ſive diſcurſiva aut judicativa, perceptione, datur, id philoſophiæ, quatenus ea denotat axiomata naturalia, tam prima, quam ex iis, ratiocinationis ope, educta, datum eſſe cenſeri debet. Hunc in modum, de rationis, ſeu Philoſo-
p. 20. phiæ uſu noſter diſſerit. *A Scriptura quidem una,*
p. 21. *à ratione vero*, ſeu Philoſophia, *altera interpretandæ Scripturæ regula petenda eſt. Ad quam regulam, res omnes, facili negotio, exigantur.* Alio loco, poſtquam uſum rationis inſtrumentalem præſupponi
p. 67. dixerat, ſic de normali loquitur, *ducem quærimus, miniſtræ rationi*, hoc eſt, rationi ut inſtrumento, normam quærimus & regulam, at *dux eſt, & miniſtra ſæpe ratio*, hoc eſt, norma eſt & inſtrumentum ſæpe ratio. Ut ratio ſumta pro intellectu, ſæpius in Scripturæ interpretatione, rationem, ſumtam pro Philoſophia, ducis normæque loco habeat: *ut omnia, NB. nihil enim prorſus excipio, ut omnia, cujuſcunque generis ſint, revocet ad examen, videatque, an quicquam, eorum quæ putamus ineſſe Scripturis, ſit manifeſtæ rationi contrarium.* Idque non, poſt erutum Scripturæ ſenſum, abſque ejus ullo præjudicio, aut arrogato, in ipſam Scripturæ Interpretationem, arbitrio, ut eo melius adverſariis,
con-

contradictiones forſan veritati Scripturariæ affingentibus, eatur obviam: ſed ante ſenſum elicitum & quidem ſic, ut, in eliciendo ſenſu, iſta ratio, ſeu Philoſophia, pro arbitrio, regulâ, normáque ſit & ſupicienda ac adhibenda. Quod, tam ex hac theſi, & ſequentibus, Wolzogianis ſimul & Socinianis, univerſæ Scripturæ interpretandæ, Canonibus: quam ex aliis hujus libelli locis patet: *ſic res rationi diſceptandas* eſſe aſſerit, non ut inſtrumento ſolummodo, ait pagina ſequente, de inſtrumentali uſu enim princeps difficultas non eſt, ducem quærimus inſtrumento, ac miniſtro: & deinde ut *verba uſus*, ſic *ratio res ipſas* diſceptat, quæ certè normalem, & regulantem, ac antecedaneum, ut ita loquar, rationis ſeu Philoſophiæ fundant uſum: Hinc *uti uſus loquendi orationem*, qui procul dubio id facit ut norma & regula prior ac ſuperior, ſic *res quæ illa oratione traduntur ratio dijudicat*. Adeo ut, quod hic ratio præſtat, ſeu Philoſophia, rationis vocet alicubi *juriſdictionem*, imo *imperium*. Ac tandem, niſi de normali uſu loqueretur, aliis locis, quidnam rationi committendum, quid non, diſquirere non poſſet, quoniam rationi, inſtrumenti inſtar conſideratæ, quicquam ſubtrahi abſurdiſſimum eſt. Verum ut ſciamus, quouſque hoc rationis ſeſe extendat arbitrium, univerſaliter loquitur, cum dicit, *omnia, cujuſcunque generis ſint, ad examen rationis eſſe revocanda*. Hæc genuina Wolzogii ſententia eſt, Reformatorum doctrinæ è diametro adverſa, & Socinianæ exactiſſimè ſimilis. Ratio interpretandæ Scripturæ regulam ſuppeditat, ad quam res omnes, omnes veritates, quas ineſſe Scripturæ putamus, ante erutum ſenſum, tanquam normam exigendæ ſunt, ut, ne perverſus, Scripturæ verbis, ſenſus inferatur. Sic Wolzogius. Contrarium vero Reformati, quod vel ex uno Heidano abundè videre eſt. *Quicunque*, ait ille, *in religionis negotio non hunc ſcopum ſibi proponit, ut NB. tantum iis quæ Deus ad ſalutem in verbo ſuo revelavit, arctè*

[Margin notes: p. 66. — p. 66. — p. 87. — p. 235. — p. 69. — p. 67. — Heidanus Faſciſc. Diſp. de Socin. Diſp. iv. §. 1.]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

inhærere decreverit, iiſque ſuam credulitatem inædificare: ſed rationis propriæ modulo & ductu omnia metiri & dijudicare præſumit: hunc neceſſe eſt, cum à ſe omnem religionis normam mutuetur, vel perpetuo & in omnibus à Deo diſſidere, & ſuis cogitationibus cogitationes Dei elidere: vel ſi in aliquibus, quod in valde paucis, iiſque tantum NB. in quibus ratio con-
p. 23. ſonat revelationi, (at exertè in reliquis alium Scripturæ & commodiorem ſenſum excogitandum dictat noſter.) contingere neceſſe eſt. Deo dignas cogitationes & voluntati ejus conformes fovere deprehenditur, eum caſu potiùs, quam certa & non fallaci via huc deveniſſe.

§. 11. Hoc vero non eſt rationem ſuam ſubjicere verbo, ſed verbum rationi. Et cum verba ſint ſigna conceptuum, quibus mentem noſtram, aliis communicamus, quicunque verbis vim facit, rem ipſam, quantum in ſe eſt, tollit, & luci tenebras offundit. Et cum ſolus Chriſtus in Eccleſia audiendus ſit, qui quæ in ſinu Dei apud Patrem vidit & audivit, enunciare & enarrare ſolus poterit, non eſt homini committendum, ut rationem ſuam ſibi NB in conſilium (arbitrium dicit Wolzogen, regulam, ducem pro juriſdictione agentem) adhibeat ut ſecundum ejus dictamen ſtatuat, an ita ſe res habeat vel non: ſed ut contrario proceſſu, ex revelatione de re credenda ſta-
2. Cor. x. 5. tuat. Secus ſi ſit, οὐκ αἰχμαλωτίζεται πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ χριςοῦ· Nec unius Chriſti magiſterium agnoſcitur: ſed fit quiſque ſibi fidei magiſter, & ratio evehitur in ſolium Dei. Quod qui tentat, ex fumo ſuo lucem dari cogitat. Idem ejus quondam Collega
Loc. Cit. p. 91. Hoornbeekius. Rationem, ſic ille, hic adhiberi, ut inſtrumentum extra controverſiam eſt, ut bene notat
Spanh. Diſp. de Conſeq. Diſput. LXVII. §. 12. Wolzogius; ſed rationem ideo audire, ut argumentum, vel normam ſecundum quam deciſio fiat de mente S. Scripturæ, hæc eſt prodigioſiſſima μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, atque tam indignum Scripturæ, quam in ſe improbum, quod ratio ſibi auſit iſtud arrogare. Nec abnuit Spanhemius. Aliud, ſic inquit, ratiocinatione uti, ut inſtrumento ad deprehendendam veritatem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tatem connexionum, aliud eâ uti, ut menſura dogmatum. Prius fieri debet, poſterius non item. Ut omnia §. 14.
ratiocinia Scripturam habere debeant pro Domina & menſura. Arma noſtra ſunt Scripturæ ſacræ. Delectus §. 13.
tantum & applicatio iſtorum armorum inſtituitur per ratiocinationes. Et merito à Deo deſtruuntur ratiocinationes, quæ ſe non ſubmittunt revelationi, §. 16.
& inſtrumenta tantum ſunt ejus melius & percipiendæ & explicandæ ac applicandæ. Periculoſum enim nimis eſt, ait Cartwrigthus, *in rebus fidei, rationi noſtræ inniti, & illam veluti regulam & judicem rerum ſacrarum conſtituere. Non aliud,* ſic Dallæus, (etiam ubi rationis uſum, adverſus Neomethodiſtas Pontificios, defendit) *rationi noſtræ jus vindicamus: quam ut ei liceat oculos aperire, verbumque divinum intueri, & quid in eo Deus offerat, ac proponat, & religioſe & diligenter inſpicere. Nempe, in illis quæ Theologicæ revelationis ſunt, judicatur contradictio admitti, ſiquidem ſtatuatur aliquid quod contra illam S. revelationem eſt; non, an diſſonet à ratione:* uti diſſerit Hoornbeek l. cit. p. 106. Tam longe ab iſto normali arbitrio abeſt Vir Doctiſſ. Notatu digna ſunt, quæ alicubi ex Chryſoſtomo referuntur. in 1. ad The. Hom. 7. *Divinis uſi Scripturis, navis inſtar, vela fidei in ſublime extendamus. Si in iſtis navigaverimus, aderit etiam nobis gubernator filius Dei. Si vero cogitationibus humanis innatabimus, non item.* Quare non Scripturam ad rationem, *ſed omnem humanam ſapientiam ad Scripturam examinari atque exigi oportere,* Cenſet Confeſſio Gallicana. Quemadmodum *Philoſophiam ſeu rationem humanam è navicula projiciendam dicit* Baco Verulamius, *quando Scripturæ & Theologiæ ſacrarium verſus iter meditatur quiſpiam, ubi fides facit, ut, hoc ſenſu, non ſit opus ratione,* quæ verba ſua fecit Heidanus. *Neque,* quæ idem ex Auguſtino refert, *enim eſt, de illa majeſtate divinæ ſapientiæ, humanæ vanitatis arbitrio diſputandum.* Nihil certe magis inauditum in Scholis Reformatorum eſt,

Harmon. Evang. ad Luc. xxiv. 3.

Dall. de Fidei Demonſtr. Part. 1. Cap. xii.

Poſt Syntag. Confeſſ. p. 5.

Confeſſ. Gallic. §. v.

Diſp. de Socin. 11. §. 4. Diſp. iii. §. 16.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

quam in eruendo Scripturæ ſenſu, dictamina rationis in anteceſſum conſulere & ex ejus arbitrio pendere. Imo nec deinceps nimis multum, in conciliandis, cum rationis dictamine, myſteriis, operæ locandum cenſent noſtri, *non enim religionis capita ad rationem trahenda ſunt, tam ut cum ratione concilientur; quam quidem, ut ratio ſe ſubmittat, & componat ad Scripturam: quoties enim conciliare iſta non poſſumus, culpamus potius ingenium noſtrum, ejuſque ſtupiditatem, vel errorem, quam veritatem,* Hoornb. p. 123. L. cit. Accuſaverat Author iſtius Brevis diſquiſitionis Reformatos Atheiſmi, hanc autem theſin Atheiſmo propiorem opponit Hoornbeekius, qua Sociniani dicunt. *Ratio noſtra judex & norma eſt illorum, quæ etiam in Scriptura nobis credenda proponuntur.* A qua theſi quam longe abſit Wolzogius, qui omnia rationi examinanda tradit, ejuſque arbitrium & regulam, in interpretatione Scripturæ, agnoſcit, ipſe videat: ego ſaltem, multum diverſitatis à Socinianorum ſententia in iſto libello hactenus deprehendere ne quidem omni ſtudio potui, neque id poterit, qui à præjudiciis immunem adfert animum. Audivimus Wolzogiana, in alia euntes vidimus Reformatos, jam Sociniani ipſi audiendi reſtant: quo facto in proclivi erit judicare, utri parti, propius accedat hic ſcriptor. Sic noſtram ſententiam, quam ſibi oppugnandam præfigunt, concipiunt: *Deinde,* ſunt verba Brevis
Cap vi. p. 30. diſquiſitionis, quibus noſtram recenſet ſententiam, *in eo etiam non leviter peccant, quod ita ſolas ſacras literas pro norma fidei ponant; ut principia veritatis, ſive natura nota, ſive è rerum conſideratione deducta, Philoſophica vocant, inde excludant. Solent enim alios vehementer eo nomine reprehendere, quod NB. Theologica ad Principia Philoſophica exigant.* Quod aperte faciendum dictat Wolzogius, qui omnia prius ad rationis examen, quo Scriptura rite ex-
Cap. vii. p. 34. plicetur, revocanda docet. Eodem modo dictus Socinianus. *Cæterum,* inquit, *ad ſacrarum literarum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

rum genuinam mentem dignoſcendam principia etiam illa, quæ Philoſophica appellant, advocanda ſunt: Quæ verba, ut Socinianum ſenſum pandentia, citantur Hoornbeekio. Neque ſeſe expediet noſter, ſi dicat, ſe Scripturam examine majorem, ab omni ſuperiori arbitrio immunem, quoties de ejus ſenſu conſtiterit, ſtatuere, ſed jam de interpretatione agi, quæ rationis operam, imo arbitrium, quin juriſdictionem non patitur ſolum, ſed requirit. Eodem modo Schlichtingius apud eundem Hoornbeekium. *Non in id adhibenda ratio eſt, quaſi Scripturæ aliquid affirmanti vel neganti aliquid opponi poſſit: ſed tantum ad declarandum, an quidpiam Scriptura contineat: ſi continere conſtet, quidquid tandem ratio contradicat, falli eam neceſſe eſt. Neque enim nos ad rationem recurrimus, quoties Scriptura contrarium apertè teſtatur, ſed quoties de Scripturæ mente dubitatur.* In eo iſta Wolzogianis meliora, quod in quibuſdam tantam ponant perſpicuitatem, ut ad rationis incudem ea revocare non ſit neceſſe aut decorum, cum Wolzogius OMNIA, nihilo excepto, examinanda rationi tradat. *Cum dubitatur,* inquit porro homo Socinianus, *an rem eo pacto ſe habere Scriptura definierit nec ne; rationem velle rejicere, quid aliud eſt; quam in tenebris lucem extinguere? &c.* Et alibi *nunquam ad rationis judicium confugimus quoties de Scripturæ mente conſtat, ſed cum vel de ſenſu Scripturæ, vel de veritate dogmatis alicujus dubitatur.* Atque hoc ſenſu, *ad inſipientes merito referendi ſunt; qui dogmata fidei ad rationis examen admitti nolunt*, dicit idem Hæreticus. A quibus, quantum diſtet Wolzogii ſententia, ſcire velim, ego certe, ſi exactiorem comparationem inſtituere neceſſe ſit, oſtendere, facili negotio potero, Schlightingium non abſurdiora, in iſto negotio, docuiſſe, quam Ludovicum Wolzogium ſcripſiſſe vidimus. Sed tandem prætereundum non eſt, vel ſe ipſo judice, idem revera Wolzogium ſentire, cum ſuo Paradoxo, cujus ſententiæ ſummam

L. Cit. p. 90.

Schlighting. c. Meiſn. de Trinit. p. 67. Hoornb. Loc. Cit. p. 91.

Schlight. Comment. ad Rom. 1. 31.

mam ſic proponit, *antequam, quid ſcripturâ velit innuere, percipiat, penes ſe putat, & rationem ſuam normam eſſe earum veritatum ad quas exigi ſacra oratio debeat.* Atque jam dudum probatum dedimus, Wolzogium ante erutum ſenſum, & quò bene ſua cedat interpretatio, itidem, *omnia, omnia nihilo excepto, cujuſcunque tandem generis* ſint, ad rationis examen eſſe revocanda docere; quod procul omni dubio, unum idemque eſt, cum eo, quod hic ut ſummam ſententiæ Paradoxæ rejicit. Ut jam argumentis Wolzogius refutandus vix videatur, qui ipſe deſtruxit in calce, ea quæ falſo poſuerat in initio. Neque id inſolens eſt, tectis veritatis hoſtibus, ut in conflictu evadant ſe ipſis orthodoxoteroi, &, ne palam cum adverſariis idem ſentire comperiantur, ſæpe ſua ipſorum deſtruant themata. Res tota ſua ſe luce ulterius conſpiciendam offeret, ſi hujus Sociniano-Wolzogianæ theſeos ſequentia, ejuſdem commatis, conſiderentur quaſi conſectaria, & canones ex theſi ſupradicta ſua ſponte, & ex Wolzogii dictamine, propullulantes,

Canones Wolzogiani præcedenti Theſi adjecti.

Canon 1. p. 70. Hoornb. L. C p. 92. 94.

1. Primus eorum ſic ſonat, *Ratio*, ſeu Philoſophia, *definire ſæpe poteſt, an aliquis ſenſus conveniat verbis, nec ne conveniat.* Idque, *quia præ reliquis ſcriptis omnibus, ea eſt ſingularis ſcriptorum divinorum conſtitutio, ut meram contineant veritatem, de qua judicare quoque poteſt ratio.* Reformati è contra Socinianum & falſum dicunt, *ullibi rationem judicare & determinare, ſecundum ſe, & ſuam normam, de ſenſu ſacræ Scripturæ. Etenim hoc jam non eſt rationem adferre ut inſtrumentum ſolum, quo ſenſum percipias, & vel manum, qua apprehendas; ſed imo ut argumentum, juxta quod de ſenſu Scripturæ judices: aliud enim eſt dicere de doctrina aliqua, ejuſque veritate, quæ per rationem probari quoque poteſt, ut inquiratur vel ut ſequamur id, quod convenientiſſimum etiam rationi viſum ſit; at ubi* NB. *de ſenſu verborum quæritur, ut ſic, ibi non videndum quid primo conveniat rationi; ſed unicè quid menti & intentioni dicentis;*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

centis; niſi velis ſenſa dictorum ad examen rationis vocare & æſtimare; quam eſſe Socinianorum & Remonſtrantium ſententiam vel hinc evincimus &c. Non enim, ut ex Heidano audivimus, *eſt homini committendum, ut rationem ſuam ſibi in conſilium adhibeat, ut ſecundum ejus dictamen ſtatuat, an ita ſe res habeat vel non: ſed ut contrario proceſſu ex revelatione de re credenda ſtatuat.* Et, ſi Scripturæ conſtitutionem reſpiciat noſter, ea talis eſt, ut habeat authorem Deum, cujus verba, non decet, ut, à rationis humanæ dictamine normali, ſenſum accerſant; quippe tali modo, tali conſtitutione ſcripta, ac ornata, ut, ſibi mutuo facem accendentia, ipſa ſuum pandant ſenſum, mentemque detegant; adeo, ut rationis normali dictamine nunquam indigeant, ad ſalutem ſapientes reddere apta. Sed ſui immemor hic eſt Wolzogius, dum *meram veritatem continere Scripturam dicit de qua judicare quoque poſſit ratio,* Alibi enim negat 1. meram veritatem Scripturâ contineri, & 2. ſi vel meram contineret veritatem, eam tamen omnem ad rationis tribunal revocari poſſe. Neſcio qui fieri potuerit, ut, in rebus, quæ totam involvunt controverſiæ ſummam, tam turpem & manifeſtam commiſerit contradictionem; Verba ex utroque loco, ſibi invicem jungam, & mirari ſatis non poteris, hominis ſocordiam dicam, an ignorantiam. *Præ reliquis* p. 70.
ſcriptis omnibus, ea eſt ſingularis ſcriptorum divinorum conſtitutio, ut meram contineant veritatem, de qua judicare quoque poteſt ratio. Sic uno loco, altero autem plane contrarium. *Omnia quæ Scripturæ* p. 125.
habent ad veritates referri oportere, falſum eſſe, modo evicimus; verum id jam quæri poteſt, an omnes veritates Scripturæ ad rationis tribunal revocari posſint. Id vero pernegamus. Non ſufficit hæc contradictio, aliud adhuc myſterium hic latet, nimirum, vel ex ipſius Wolzogii judicio, totam cauſam Paradoxo tradendam eſſe, quod, non levi cavillatiuncula, ſed firmiſſima ratione, demonſtrabo. In

 hunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

p. 192. hunc modum diſſerit pagina 192. *ſe nihil habiturum quo ſententiam Paradoxi labefactare poßet NB ſi meras veritates,* inquit, *viderem contineri Scripturis.* Hic autem diſertiſſimis verbis ſic loquitur, *præ reliquis ſcriptis omnibus, ea eſt ſingularis ſcriptorum divinorum conſtitutio, ut meram contineant veritatem.* Si argumentum velit, hoc habeat. Si meras veritates Scriptura continet, vicit, Wolzogio judice, Paradoxus. At meras veritates Scriptura continet; Ergo vicit, judice Wolzogio, Paradoxus. Illud habet p. 192. hoc vero p. 70. O miſeram veritatis ſortem! Siccine cauſa agetur, omnem quæ in ſe religionem continet? Tandem & hoc, ex iſto Canone, ſequitur, Rationi competere uſum normalem antecedentem; hoc eſt, ante certo determinatum ſenſum, veritates rationis arbitrio diſceptandas, ac tum demum de verborum ſenſu certo determinandum eſſe. *Definire enim poteſt ratio an ſen-*
p. 70. *ſus aliquis conveniat nec ne conveniat.* Sunt tua verba Wolzogi. At ante certo determinatum ſenſum, quo bene is eruatur, hoc fieri debere, res ipſa poſtulat; niſi poſt Scripturæ certum ſenſum inventum, ad rationis examen, eum deinceps adhuc revocandum arbitreris, quod certe omnem Socinianorum, hac in cauſa, ſuperaret blaſphemiam. Si vero ante certo determinatum ſenſum, quippe meram veritatem continens Scriptura, judicium rationis ſubire poſſit; Jam ultro largiris, hoc loco, quod unicè in Paradoxo culpandum, vel ſaltem præcipuè, dixiſti alibi. *Ille enim*, ſic Paradoxi ſententiam proponis, *aliquem primo ſenſum ex Scriptura eruit*, necdum autem determinat, *tum erutum, ad judicium rationis examinat, ut ſciat an veri-*
p. 162. *tatem contineat, quam ſi deprehendat, tum ex veritate*
p. 151. *colligit verum ſenſum.* Quod fieri, ex tua ſententia poteſt, quando meram veritatem in Scriptura eſſe contendis. Imo licere, ultro hoc canone largiris, cum juxta illum, *ratio definire ſæpe poſſit an ſenſus aliquis conveniat nec ne.* Quod revera nihil aliud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

aliud eſt, quam victas dare manus, aliter pugnaſſes pro cauſa Dei & verbi divini, ſi Theologos legere cum Scriptura non dedignatus fuiſſes: nunquam bene ceſſit in religionis cauſa, novitatis & ſingularitatis ſtudium. Odit ſuperbos Deus. Hiſce autem ſic à Wolzogio poſitis, mirum non eſt, quod

2. Secundo loco, Canonis inſtar, in Interpretatione obſervandi, & iſtum ponat, orthodoxis auribus non minus horridum ac abſonum; Rationi deberi, omnia, quæ per conſequentiam ex Scripturis eliciuntur. Si enim ratio, ſeu Philoſophia, normæ vices in interpretationem obeat, neceſſe eſt, ut multarum veritatum analyſis in rationem fiat, quod diſerte inculcat Wolzogius. Ratio has, ſcilicet veritatis *emanationes*, conſequentias, præter *capita, doctrinæque fundamenta*, quæ intra anguſtos limites circumſcribuntur, ac pauciora ſunt, quam vulgo credi ſolet, ex Scriptura profluentes *docet, quemadmodum*, non igitur inſtrumentaliter, ſed per modum principii, *quemadmodum* illa pauca capita fundamentalia, *in ſolam transſcribuntur Scripturam.* Adeo ut, niſi credat pauciſſima, major pars eorum quæ credit, rationis, ſeu Philoſophiæ authoritate, aut dictamine, credat: egregiam vero fidem! Quem errorem, ſuperiori libro refutavimus, hic autem, quoniam in eo ſumus, ut, quantum noſter rationi ſeu Philoſophiæ tribuat, quam de ſolio deturbaſſe videri vult, demonſtremus, repetendus erat. Monuiſſe ſufficiat, hanc theſin ab Orthodoxis totam rejici, quod antea ſatis ſuperque probavimus, *Dogmata fidei ex ratione non extruuntur, nec in eam reſolvuntur*, dicit Altingius: quod vel ex Præceptoris ſui Syſtemate diſcere potuerat, ſic ibi Clariſſimus Mareſius. *cum autem NB. organice tantum & inſtrumentaliter concurrat ratio ad tales conſecutiones ex Scriptura eliciendas & cognoſcendas, ſicut oculus & manus concurrunt in rebus ponderandis & menſurandis, ſive exigendis ad amuſſim publicam, illarum conſequentiarum certitudo NB non*

Canon 2.

P. 39.

Alting. El. Nov. p. 39.

Mareſ. Syſtem. Loc. I. §. xviii.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

non in humanam rationem , ſed in revelationem divinam refunditur. Quam theſin ſi quis cum iſta Wolzogiana, ſe conciliare poſſe putet, eum præſtitiſſe credam, quod olim jactabat Weigelius, qui contradictoria, in ſchola gratiæ, concilianda eſſe delirabat.

Canon. 3. 3. Tertius autem Canon, uti priores abſurditate ſuperat, ſic Wolzogii cum Paradoxo, ſaltem Socinianis, συμβίβασιν luculenter demonſtrabit. Sic de eâ differit, quem & univerſalem interpretandi regulam eſſe ſtatuit. *A Ratione quæ petitur regula,* p.20. *ejuſmodi eſt, ut, quod rationi manifeſta contradictione repugnet, nil prorſus cenſeri debeat doceri Scriptura.* Hactenus bene, congrua modo ac neceſſaria limitatio Orthodoxorum ne negligatur, quam hiſce complectitur Hoornbeekius. *Quæ rationi re-* Loc. Cit. p. 105. *pugnant, ea certo certiùs falſa eſſe nemo dubitare debet. Sic quidem ſi de articulo rationis & naturalis veritatis quæſtio ſit; at, ſi de veritate ſupernaturali, & hic veritas veritati nunquam quidem contraria, neque id quod Scriptura dicit rationi; tamen non hinc illorum veritas æſtimanda & judicanda, ſi cum ratione conveniant, maximè, dum noſtra hodie adeo eſt corrupta; quod tamen vult axioma hoc Socinianum; ſed veritate ex ſacra revelatione certa, extra dubium relinquitur, nec amplius contendendum, quicquid demum ex ratione ogganniatur.* Atque ſic demum, p. 159. *omnium noſtratium Theologorum hæc conſtans eſt ſententia, quicquid erroris convinci poteſt, illud à Scriptura eſſe alieniſſimum. Ita enim ſtatuunt veritatem veritati non poſſe eſſe contrariam, nec poſſe cum verite conſiſtere mendacium :* ut recte mones. Hactenus tamen falſum eſt, Scripturam ulterius ſcrutaturo, atque interpretaturo, præfigendam in hunc modum rationem eſſe, *ut, ſi bene fundatæ firmatæ-* p. 23. *que quid afferatur ex Scriptura quod videatur eſſe contrarium, commode ſit explicanda Scriptura, & omnino ſecundum iſtam rationem.* Neque etiam eo ſenſu ſtatuunt noſtri Theologi, quod iis tribuis pagina

150. modo citata. Hoc volunt, abſolute verum eſſe, lumen rationis & fidei ſibi mutuo non contradicere, in ſe conſideratum utrumque atque in Idea, ut vocant; non autem, rationis axiomata præfigenda nobis eſſe, juxta quæ interpretanda Scriptura ſit: Licet enim quam cautiſſime & ſolemniſſimè, ut ita loquar, ſtipuleris, *etiam atque etiam providendum eſſe, ne, quod non aſſequitur ratio, id ſtatim rationi repugnare credatur. Et ſi vel maxime contradictio nobis appareat alicubi, nil hic temere pronunciandum eſſe, donec luce meridiana clarius eniteſcat non poſſe ſenſum cum veritate conſiſtere. Atque his legibus Paradoxi Interpretem, non aliis, admittas,* Nondum ſatis periculis cautum erit & proſpectum, quod vel ex eo apparet; quoniam omnes Sociniani, quin vel ipſe Paradoxus, lubentiſſime ſpondebunt, ſe iſtis conditionibus, non aliter, rationem ſeu Philoſophiam admitti, ad Scripturam interpretandam, velle, quod niſi ſponte ſua pateret, ex Socinianis & Paradoxo probatum darem, adeo ut & hic ſibi de victoria gratulari merito poſſit, inſulſus nugator, ea enim conditione à Wolzogio ipſius Interpres admittitur, quam ultro offert, ſpondetque ſe accuratiſſime obſervaturum; non enim temere quicquam pronunciari velle, Carteſianus credendus eſt, qui, non niſi poſt claram diſtinctamque perceptionem, de quoquam judicium depromendum, aut ferendum, iterum iterumque inculcat. Sic volunt noſtri; ſolam Scripturam ſuæ interpretationis normam eſſe & amuſſim; verum, explicata jam, & inventa, ex ſola Scriptura, divina veritate, concedunt, licere, imo conducere, ut inventa jam, & fide credita veritas, adverſus omnis generis inſultationes defendatur, atque ſic in eum finem, (quoniam religionis & myſteriorum fidei hoſtes, ex ratione naturali, contradictiones fingere ac abſurditates prætexere ſatagunt) rationes illæ, ex natura petitæ, examinentur, diſſolvantur, aut explicentur, quo ſic, quantum pote, veritatis hoſtibus de-

p. 160.

mon-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

monſtretur, fruſtra ſe & incaſſum, toto illo Philoſophiæ apparatu, divinam fidem impetiviſſe: non vero, ante veritatem repertam, idque in Scripturæ interpretatione, Philoſophiæ normam præfigendam eſſe, ea lege, ut ſi forſan hic aut ille ſenſus in rationem ſeu Philoſophiam incurrat, alius ſit excogitandus, aut, ut Wolzogius amat loqui, *commode*
p. 23. *Scripturam explicandam eſſe atque omnino ſecundum iſtam rationem.* Toto cœlo iſta differunt. Philoſophiæ dictamina interpretaturo normam regulamque præfigere, ea lege, ut, quid in eam incurrat, commode id explicandum atque alio ſumendum ſenſu veniat, quod facit Wolzogius, longe aliud eſt, quam inventa & eruta veritate, abſque ullo ejus præjudicio, Philoſophium ad partes vocare, ut, quantum pote, oſtendatur, ſanam rationem Theologiæ non adverſari, idque ea lege, ut ſi vel clariſſimè Philoſophiæ axiomata aliud poſcere videantur,
Hoornb. *ratio tamen ſe ſubmittere debeat & componere ad*
Loc. Cit. *Scripturam, oſtendaturque inter veram rationem &*
p. 123. *S. Scripturam repugnantiam eſſe non poſſe, quoniam verum ſibi contrarium eſſe nequit, nec lumen lumini, vel id quod Deus dixit in Scriptura, ei quod idem dixit in natura; ideoque vel conciliationem utriuſque proferimus, vel ſi id non poſſimus, culpamus potius ingenium noſtrum, ejuſque ſtupiditatem, vel errorem, quam veritatem. Conciliatur ratio cum Scriptura, ut ratio dicit ſententiam & dictatum rationis: non vero examinatur, vel componitur Scriptura ad rationem. Atque idcirco non ſic debet intelligi, rationi conſentanea eſſe omnia religionis capita, quaſi ex ratione judicanda forent, vel ipſa cum ratione conciliīanda, ut cum ea in gratiam & conſenſum redeant: Scripturæ parum refert, an appareat rationis cum ea conſonantia; plus rationis intereſt, hoc ut conſtet, ac ſibi demonſtretur*: ſic Hoornbeekius, ſic Reformati. Nec mirum eſt, quoniam ſcriptura lumen eſt ſuperius & majus, cui non magis conveniat, ad lumen rationis excuti, quam Solis ad candelæ radios

dios examinari. Et deinde infallibilem non ſolum, verum & tutam hic normam habemus, in Philoſophia verò non item prout ea jam ſubjectivè conſideratur. Qua de re, egregie diſſerit, Clariſſimus Mareſius, oſtendens, & certitudine & numero perceptiones Philoſophicas fidei cedere perſuaſionibus. Tantum abeſt, ut hæreticis largiantur noſtri, quod ſtatuit Wolzogius, axiomata Philoſophiæ, ſeu rationis, præfigenda, divinam veritatem ſcrutaturo, non lege, ut *ſi quid iis videatur eſſe contrarium commode & in alium* ſenſum, *ſit explicanda Scriptura atque omnino ſecundum iſtam rationem;* ut Heidano judice is ſit domeſticus Socini & Socinianorum ſenſus, imo fundamentum. Ipſe ſuis verbis loquatur Veteranus Theologus. *Licet enim,* loquitur de Socinianis, *quandoque videri nolint rationi humanæ nimium tribuere, quod veræ voces quandoque ab invitis pectoribus erumpant: tamen cum rem ipſam ſine ambagibus eloquuntur, & domeſticum ſenſum produnt, ita inſtituunt. Id nullo modo verum eſſe poſſe, cui ratio prorſus, communiſque ſenſus repugnet: Idque eo uſque extendit Socinus Lib. de Servatore parte* iii. *Cap.* 6. *ut hiſce verbis loqui non erubeſcat.* Cum ea quæ fieri non poſſe aperte con- „ ſtat, divinis etiam oraculis ea fuiſſe, in ſpeciem, di- „ ſertè atteſtantibus, nequaquam admittantur, & id- „ circo ſacra verba NB. in alium ſenſum quam ipſa „ ſonant quandoque explicantur. *Commode atque* „ *omnino ſecundum iſtam rationem*, ait Wolzogius, *in alium ſenſum, quam ſonant*, ait Socinus, citante Heidano, atque *domeſticum hoc dicto ſenſum ille*, hoc judice, *prodidit.* Quam longe igitur Wolzogius à domeſtico, juxta Heidanum, Socini ſenſu, abſit, videat lector, ego nullam inter eos diverſitatem deprehendo. Alterum hujus conſenſus teſtem produco Smalcium, cujus verba idem refert in hunc modum. *Quia ergo, ut in præcedentibus vidimus, rationi tantum non palmam deferendam eſſe pronunciant: non potuit aliter evenire, quin NB. in intelli-*

gendis

Diſput. Theol. Refut. Libelli &c. I. §: xxv. xxvi. xxvii.

P. 23.

Heid: Faſcic. Diſp. de Socin. I I §. 6 & 7.

Diſp. iv. §. 10.

gendis & explicandis Scripturis eidem tantundem tribuerent. Adeo ut, ſi rationi abſurdum & contrarium videatur, quod Scriptura diſertiſſimè affirmat, præſtat NB. modum aliquem dicendi comminiſci, quo iſta de Deo dici poſſint, quam iſta ſimpliciter, & ut verba ſonant, intelligere. *Qui ſunt impii Smalcii floſculi ex Homilia* viii. *in* 1. *Joh.* At idem, non ſolum reipſa, ſed verbis fere, dicit Wolzogius.
Diſp. ii. §. 11. *Quod certo*, ſic ratiocinatur adverſus iſtam regulam Heidanus, *nihil aliud eſt, quam rationem Scripturæ præferre, & ſenſum revelationi præponere & opponere, & verbo Dei vim facere, & ſenſum ejus, qui per verba ad animos noſtros venit, vero ſuo intellectu ſpoliare, ut quod dicitur, quaſi non dictum habeatur, & quod non dicitur, illi affingatur. Quid*
§. 14. *hoc aliud eſt, quam in hiſce tenbnris ſpiritualibus ſibi de ſuo accendere lumen & ſe malleolis proprii ignis circumcingere: ut poſtea in focum ignis, quem de ſe ſuccenderunt, eant, & propriis ſcintillis pereant. Uti de iſtis rationalibus loquitur Proph. Eſa. C. II. illa enim eſt juſta hujus peccati* ἀντιμισϑία, *ut*, contemtum Prophetiæ ſequatur nudatio Prov. xxix. 18. & *qui* ad legem & teſtimonium non properat, neque facit ſecundum verbum illud, non oriatur ei lux
§. 15. matutina. Eſa. viii. 20. *Etenim prærogativa Dei, totum hominem complectitur, non minus rationem, quam voluntatem ejus circumſcribit: ut homo in univerſum ſe abneget & accedat Deo. Quare ſicut legi divinæ obedire tenemur licet reluctetur voluntas, ita & verbo Dei fidem habere, licet repugnet ratio. Cum, ſi ea duntaxat credimus, quæ ſunt rationi noſtræ conſentanea*, (qualia vel intima religionis myſteria cenſet Wolzogius) *rebus aſſentiamur non auctori. Quod etiam ſuſpectæ fidei teſtibus præſtare ſolemus. unde quanto myſterium aliquod divinum magis fuerit abſonum & incredibile, tanto plus in credendo exhibetur honoris* Deo; *& fit victoria fidei nobilior.*
§. 16. *Et certe, niſi in rebus fidei, rationem præcedat authoritas, abrogatur* Deo *magiſterium, & homo conſtituitur*

Index

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Judex Dei, cujus verba ſuo ſenſu in ordinem cogit. Cedro digniſſima verba, quibus ita afficior, ut lubeat, adhuc quædam exſcribere. *Neceſſe eſt,* ſic paulo poſt, *pro ſumma regula homo habeat; ea NB. ſola, quæ nobis à* Deo *revelata ſunt, ut extra omnem dubitationis aleam poſita, eſſe amplectenda & credenda. NB. quamvis forte lumen rationis, quam maximè clarum & evidens, aliud quid nobis ſuggerere videatur,* non, ut Wolzogius putat, *commode & quidem juxta iſtam rationem Scriptura explicanda eſt,* ſed *ſoli tamen authoritati divinæ potius, quam proprio noſtro judicio eſſe fidendum & ſtandum. Quid enim aliud eſt rationis naturalis niſus, in religionis negotio, quam religioſa quædam inſania, imo vero irreligioſa ſtultitia & rationale delirium?* De Methodo autem, juxta hunc Wolzogii Canonem, ſic loquitur. *Perverſa plane & ſophiſtica methodus, dum ſenſum, quem ex Scripturis ipſis mutuari, atque ex illis exſculpere debuerant, illis impingunt, atque proprios & à ſe excogitatos ſenſus Spiritui ſancto commodant, quaſi ab illo hauſtos. Cum contra Scripturæ ſenſus ex ipſis penetralibus Scripturæ educendus fuit.* Hactenus Heidanus cum quo eadem docet Altingius, qui de divinitate Chriſti, objectiones Socinianorum diſcuſſurus, iſta præmittit. *Ratio nihil videt, aut valet, in hoc capite doctrinæ, quod Apoſtolus magnum pietatis Myſterium nuncupat,* 1.*Tim.* iii. 16. *Et NB. falſum eſt principium Socinianorum, nihil credendum quod rationi repugnat.* Et revera, rationem, prout eſt in ſubjecto, fidei myſteriis multoties contradicere, probat idem Clariſſ. Theologus. Ubi vocat *falſam hypotheſin: quod ratio ſit norma contradictionis in Theologicis, & judicium de ea rationi conveniat. Nempe, in illis quæ Theologicæ revelationis ſunt, judicatur contradictio admitti, ſiquidem ſtatuatur aliquid quod contra illam S. revelationem eſt; licet non diſſonet à ratione,* ait Hoornbeekius, Et mirum certe, ſi iſta Wolzogiana regula ſuſpecta non foret, nihil enim,

Diſp.iii. §. 7.

§.8.

Diſp.iv. §. 7.

§. 8.

Alting. Eplicat. Catech. ad Q. 35. p. 198.

Elencht. Nov. p. 43

Loc. Cit. p. 106.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ea conceſſa, ulterius, vel ipſi Sociniani requirunt. Sic Brenius, inter iſtas, quas, in interpretando, obſervari vult, generales regulas, hanc primo loco ponit. *Nullam interpretationem S. Scripturæ admittendam eſſe, quæ cum ſana ratione repugnat.* In hæc verba, ex Reſp. ad Ep. Waddingi, Epiſcopii ſententiam refert, ſcriptor Lutheranus, in Tractatu quem de Scepticiſmo, præcipuè Remonſtrantium, inſcripſit, *neceſſarium eſt, antequam ſenſus ullus S. Scripturæ probetur, ut à recta ratione eum non diſſentire intelligatur. Contra quæ mala atrocia* (Reformatis, pro ſuo candore alibi, bene multa Epiſcopius impegerat, placidum ſc: caput) *nullum certius præſentiuſque remedium eſt, quam ſi de iſtis myſteriis nihil adſeratur aut adſeri jubeatur præter Scripturam;* hactenus rectè, *aut NB. nihil ex Scriptura quod ratio recta ſtatim deprehendit falſum atque abſurdum eſſe. Hac Panacæa curari poſſent mala omnia & pax eſſet. Neque enim mens eorum eſt, de Sociniano-Remonſtrantium ſenſu loquitur* jam nominatus Epiſcopius, *poſtulare, ut recta ratio primum dictet, idcirco ſenſum iſtum ſic interpretandum eſſe quia ratio humana dictat rem ita neceſſario fieri debuiſſe. Sed mens eorum eſt, poſtulare, ut, cum de ſenſu aliquo dubio quæritur, nihil admittatur ad eruendum ſenſum illum, quod contra rectam rationem, id eſt, quod abſurdum eſt.* Nemo certè Socinianorum, ne vel ipſe Paradoxus, eo dementiæ veniſſe putandus eſt, ut velit, Scripturæ rationem opponi, quando jam de mente Sp: Sancti conſtat, ſed, in ipſo interpretationis opere, rationis regulam adhibendam cenſent, ne quicquam, rationi contrarium, Scripturæ verbis ſignificari credatur: Ut ſuperius, ex Schlightingio, aliiſque, vidimus. Totum autem illud concedit, imo poſtulat Wolzogius. Et in eo certe maxima verſatur difficultas. Optimè Vir Doctimus G. J. Voſſius. *De ratione recte iidem judicant, minime ea nos fidei myſteria metiri oportere. Thomas Libr. IV.*

[Margin notes: Brenius Introd. ad Intell. S.Lit. ad finem. — Wedderkopf. de Scepticiſmo præcipuè Remonſtr. p.35. — Epiſcop. Vedel. Rhapſ. Cap.iv.p. 29. Oper. Tom. ii. vol.ii. p.332.b. — Epiſcop. Vedel. Rhapſ. p. 27. Oper. Vol. ii. Tom ii. p.332.a. — Voſſ. Hiſt. Pelag. Præfat. ad Lect.]

contra

contra Gentes Cap. 1. Probanda eſt hæc Theologia " authoritate Sacræ Scripturæ, non ratione natu- " rali: ſed tamen oſtendendum eſt, quod rationi na- " turali non ſit oppoſita, ut ab impugnatione infi- " delium defendatur. *Sed tamen cum & majus Scri-* " *pturæ, & minus rectæ rationis lumen pugnare inter ſe non poſſint: ratio quidem NB. præcedere fidem non debet, ſed utiliter tamen ſubſervit. Quemadmodum nimirum vinitores, prius terram effodiunt, quam vitem plantent: poſtmodo vero in locum ſuum terram recondunt: ita NB. ratio explodi debet, uſque dum fides cordibus inſeratur; ſed ea ubi plantata erit, ratio rectè admovetur, ut fidem illuſtret. Nibil enim* Tilenus apud Tuiſſ.c. Corvin. p.10.b. *intolerabilius*, ait Tilenus, *quam quod in divinis judiciis nihil rectum putent niſi quod ad obliquisſimam ingenii humani normam quadrat.* Et certe ſi hac via Wolzogiana incedendum, & Scriptura, ubi rationi videtur contradicere, commodè atque in alium ſenſum explicanda ſit, actum erit de omnibus religionis Chriſtianæ myſteriis, ut bene notat Vir ſummus Guilielmus Tuiſſius, in negotio de L. Cit. p.11. a. prædeſtinatione, quippe *ejuſmodi eſt noſtrorum Theologorum ſententia, ut in eam, niſi ex ſacris literis huc adacti, nunquam concederemus, tam ſunt omnia judicio humano & affectibus carnalibus repugnantia.* Quapropter pii ſimul, doctique inter Reformatos Theologi, non rationis axiomata excolenda, non Philoſophica dogmata, quæ regulæ inſtar Scripturam interpretaturo præfigantur, addiſcenda, docent, quò, quicquid iis adverſari videatur, juxta Wolzogii mentem, *commodè explicari poſſit & quidem juxta iſtam rationem.* Philoſophiam amant laudantque, ſeu intra ſuos eam compeſcunt limites. Hominis mentem acuàt, eique poliendæ inſerviat, inſtrumentalem denique præbeat uſum, per ipſos licet: ab interpretationis norma, & arbitrio tamen, longe abeſſe jubent. Poſſem id ſexcentis teſtimoniis docere, ſi neceſſitas exigeret, hac vice ſufficient ea, quæ incomparabilis Theologus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

logus, ſimul & ſummus Philoſophus, hac de re nobis tradidit verè aurea. Accurate delineavit quæ interpretaturo, aut neceſſaria ſint, aut uſui eſſe queant. In quibus, nullibi vel extremo digito attingit, id quod Wolzogius præcipue obſervandum jubet, rationis nimirum dictamina reſpicere, ne in ea incurrat ullibi Scripturæ interpretatio, idque ne quidem in negotio Sacramentario, ubi fidei analogia & Textuum paralelliſſimo, ſenſum verum demonſtrat unicè: quamvis enim non negemus, ex ſuperabundanti ſubinde, poſt peractam, & ex ipſa Scriptura ſtabilitam interpretationem, rationes naturales ad partes vocari poſſe: non tamen, dum de ipſa interpretatione agitur, atque ei eruendæ quiſpiam intentus eſt, quicquam, normæ loco, à cujus arbitrio pendeat ullo modo ſcrutator Scripturarum, admittendum præter ipſam Scripturam: hic rationem, ſeu Philoſophiam, audire, ejuſque *juriſdictionem, arbitrium*, deciſionem admittere cum Wolzogio, id certe præpoſterum eſt, ac, ut ex Heidano audimus, Socinianorum ſenſus verè domeſticus. Hinc *ex cæcitatis naturalis conſideratione (qua noſtrapte natura, ad ea quæ Dei ſunt intelligenda, ineptiſſimi ſumus.* 1. *Cor.* 11.14. *Non minus quam Solem ſplendidiſſimè lucentem, ſi cæci ſimus, intueri illius lucem quiremus)* Iſtam deducit interpretandi regulam, *precibus Spiritum illuminationis petendum eſſe. Etenim, qui ſine Sp. humano eſt, non poteſt quæ homo loquitur, percipere, ut Bos &c. Sic qui ſine Spiritu Dei &c. Secunda cauſa*, quæ intelligere Scripturas prohibet ac impedit, ipſi hæc eſt; *noſtræ carnis prudentia ac ſapientia, quam dum adferimus ad lectionem & ſtudium Scripturarum, minus ſimus idonei ad veram illarum intelligentiam aſſequendam, & eo magis abſconditur à nobis cognitio ſapientiæ Dei, quo plus adhibemus noſtræ ſapientiæ & prudentiæ. Hanc tradit Chriſtus* Matth. xi. *Et Apoſtolus confirmat addita* „ *etiam ratione*, 1. Cor. iii. Sapientia hujus mundi,

Zanch: Tractat. de Sacr. Script. Quæſt. xii. Cap. 1. Op. Tom. viii p. 416.

ſtultitia

"ſtultitia eſt apud Deum. & Rom. viii. Prudentia "carnis, inimicitia eſt adverſus Deum.*Hæc impedimento ipſis maximè Philoſophis : dum enim ea quæ Deus tradidit Spiritu ſuo divino, voluerunt ipſi ſua humana ſapientia metiri & intelligere : in maximos lapſi ſunt errores, ut non immerito dixerit Tertullianus; Philoſophos Patres eſſe hæreticorum.* Ergo *ad veram Scripturæ intelligentiam conſequendam, ſecunda hæc eſto regula, ut ſcilicet, dum ad illas accedimus, omni noſtræ humanæ prudentiæ & ratiocinationibus renunciemus, & ſeu infantes ſimpliciter ſubjiciamus nos Deo in Scripturis nos docenti, captivantes omnem cogitationem noſtram in obſequium Chriſti.* Sic noſtri rationi ac Philoſophiæ valedicunt, cui omnia examinanda, & ad cujus dictamen, Scripturam ſæpe explicandam docet noſter. Et certe, ſi animum ab omni præjudicio, ab omni præcon-cepta, ex quocunque tandem ſit principio, de rebus naturalibus, opinione, liberum, recte Philoſophaturo neceſſarium eſſe dicant Carteſiani, quo claris & diſtinctis, rationis naturalis ope acquiſitis, perceptionibus, unice intentus, feliciter ad veritatis cognitionem perducatur. Quid ni &, benè Scripturam interpretaturo, omni, ex alio principio, acquiſita ſcientia, ultra ejus inſtrumentalem uſum, valere juſſa, unicè à Scripturæ dictamine pendere ſuadeatur? Deus certe, non minus, Scripturæ luce in Theologia, quam in Philoſophia, eo, quod naturæ, dicitur, præſto erit ſedulo ſcrutatori. Neque majori ſeductionis periculo ſeſe exponit, qui in Philoſophia Præceptorum dictis, aliiſve præconceptis opinionibus indulget; quam ſi Scripturam religioniſque myſteria ſcrutaturus, rationis dictamini eouſque ſeſe addicit, ut *juxta rationem, ſi contrarium dicere videatur*, commode Scripturam explicandam putet. *Eſt enim certè humani ingenii brevior & anguſtior menſura, quam ut ad divinorum operum menſurationem adhiberi debeat : & iniquum eſt Deum noſtro* Cartwr. Harmon. Euang. ad Luc. 18. p. 18.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

pede metiri. Et quoniam rationi humanæ, ex lapſu, magna caligo offuſa eſt, & doctrina Euangelica profundior & reconditior eſt, quam quo aut hominum aut vero etiam angelorum ratio penetrare potuit: idcirco operæpretium eſt, ut in myſteriis cœleſtibus, rationi præeat Verbi & Spiritus lumen. Quod ſi ratio aliud dictet, quam quod verbo conſentaneum eſt, tum ſicut ad rationis imperium cupiditates; ſic ad Verbi divini magiſterium ratio revocanda eſt, non Scriptura juxta rationem explicanda commode. Propterea Tertulliano *materia ſapientiæ ſecularis, temeraria* audit *interpres divinæ naturæ & diſpoſitionis. Alius eſt Piſcatorum, alius Philoſophorum Stylus.* Qui & alibi *Patriarchas Hæreticorum* vocat *Philoſophos, & Philoſophiam veritatis concusſionem.* Et certe, qui ad Theologiam ejus dictamina, tanquam interpretandæ Scripturæ normam, aliquatenus transferunt, ii recte *per Philoſophatas doctrinas hominum aquas vino miſcentes* dicuntur eidem Tertulliano. Ut Beatus Rhenanus non abſque ratione dixerit. *Vide quantum Chriſtianiſmo ſemper nocuerit Philoſophia.* Quæ verba inquiſitio Hiſpanica notavit, & deleri juſſit, in Indice expurgatorio edito Madriti Anno M D LXXXIV. *Submittamus*, inquit Auguſtinus, *noſtras ratiunculas divinis effatibus.* Quin & ipſe Durandus de ſe ſuoque ſcribendi modo: *Modus autem loquendi ac ſcribendi, in cæteris, quæ fidem non tangunt, eſt, ut magis innitamur rationi. In quando fidem tangunt, plus acquieſcere debemus auctoritati ſacræ Scripturæ, quam cuicunque rationi humanæ: quia divina notitia, quam exprimit ſacra Scriptura, plus excedit humanam notitiam, quam humana notitia beſtiales &c.*

Tertull. de Præſcript. adv. Hæret. Cap. vii.

De Anima Cap. iii.

Beat. Rhenan. Argum. Libri adv. Valentin.

De Morib. Eccl. Cathol. Cap. vii. Tom. I.

Durand. Præfat. ad Sent. Libr.

Hactenus Wolzogii ſententiam & quam bene cum Sociniana conveniat, atque illa, quam refutaſſe videri vult, ob oculos poſuimus, addita ſimul, in infinitum ab ea diſcrepante, unanimi Reformatorum de iſthac veritate profeſſione. Poſceret jam ordi-

ordinis ratio, ut argumentorum aciem ſtrueremus, Wolzogianis placitis evertendis aptam ac valentem. Neque hic quicquam ultra neceſſe foret, præterquam exſcribendi labor. Decem argumentis, veritatem probavit, adverſus Socinianos, Clariſſimus Hoornbeekius: quæ omnia excepto tantum ultimo, non minus Wolzogianam ſubvertunt, quam Socinianam ſententiam. Præterquam enim, quod in ſumma rei hæc cum illa conveniat; certum eſt, omnia iſta argumenta, omnem tollere rationis, tam rerum credendarum, quam Scripturæ interpretandæ reſpectu, normalem uſum, atque antecedaneum, quam licet in quibuſdam non admittere, juxta cum Orthodoxis videri velit Wolzogius, in aliis tamen, non admittit ſolum, ſed requirit, poſcitque, &, ſi bene omnia conſiderentur, ſæpiùs in omnibus ejus *arbitrium* audiendum & ſequendum docet: *omnia, nihil enim prorſus excipio,* ſic loquitur, *omnia cujuscunque generis ſint, revocet ad examen, videatque an quicquam eorum quæ putamus ineſſe Scripturis, ſit maifeſtæ rationi contrarium. Cujuſmodi ſi quid deprehendamus, affirmatè licet pronunciare, Scripturarum hanc mentem non eſſe. Adeo ut, ſi quid afferatur ex Scriptura, quod videatur eſſe contrarium, commodè erit explicanda Scriptura, & NB. omnino ſecundum iſtam rationem. Et quoniam verum vero contrarium eſſe non poteſt, duplex hinc explicandæ Scripturæ regula effloreſcit, una à ratione petita &c. ut, quod rationi manifeſta contradictione repugnet, nil prorſus cenſeri debeat docere Scriptura: & vel pietatis eſſe credo, ſic explicare loquentem Deum in Scripturis, ut non ſibi ſit in natura contrarius.* Non quidem aut Hoornbeekius, aut Reformatorum quiſquam, inter veram rationem, & Scripturas, ullam pugnam revera eſſe contendit, cum id ne cogitari quidem poſſit: ſed ob rationis corruptionem, fallibilitatemque, & Scripturæ ſacræ perfectionem, infallibilitatem, atque eminentiam, hoc volunt, illam per ſe ſuæ explicationi atque interpre-

p. 67.

p. 23.

p. 20.

p. 21.

tationi ſufficere, ut, quamvis poſt interpretandi laborem jam peractum, poſt ſenſus veri jam peractam eductionem, abſque ejus præjudicio inde oriundo, conciliationem eorum quæ ſana ratio in in contrarium dictare videri poſſet, quærere ex ipſorum ſententia, quantum pote, liceat, hac tamen conditione, ut, ea non inventa, Scripturæ tamen ſua conſtet in dicto ſenſu authoritas, ratio ogganiat quicquid velit: non liceat tamen in anteceſſum rationis ſeu Philoſophiæ arbitrium in interpretando admittere, &, juxta illius dictamina, Scripturam *commode* explicare. Atque id eſt, quod ſtatuit Wolzogius, & ſolidiſſime refutat Hoornbeekius. At rationibus & argumentis adverſus Wolzogium agere neceſſe non videtur: affirmanti enim probatio incumbit, ille ponit, quod nos, cum omnibus orthodoxis, negamus, igitur non tam à nobis, quàm ex Wolzogio expeti argumenta debent & rationes probantes. Scripturam ſcientiæ ſalutaris principium agnoſcimus utrimque, eamque intelligibilem eſſe ſupponimus, ego per ſe ipſam, ſuaque luce, ſatis ſuperque talem eſſe contendo, quod tu in quibuſdam concedis, Philoſophiæ autem ac rationis opem in aliis requiri ſtatuis, ego nego. Quo jam, ſodes, argumento, aut ratione, tu me in tuam pertrahes ſententiam, qua rationis & Philoſophiæ normalis uſus omnis à me eliminatus, reſtituatur, non me convinces argumentis aut rationibus ex ipſa Philoſophia petitis, quam in hac controverſia non audiendam contendo; non ex natura earum rerum quas Scriptura continet, quia neque de ea ante interpretationem quicquam conſtat, neque, tam rei cujuſdam natura, quam quidem ejus exiſtentia ut plurimum ſpectari ſolet in ſacris, ubi, ut in hiſtoria, valet authoritas dicentis. Reſtat igitur, ut tu ex conceſſis illud probes, quod in quæſtione eſt, hoc eſt, ex ipſa Scriptura, talem rationis uſum normalem. Illud autem nec tentaſti, nec, ſi vel omni vi contendiſ-
ſes,

ſes, probare potuiſſes. Hinc Scripturam hic audiendam non eſſe, verùm ex ratione hanc quæſtionem decidendam doces. Cumque in Theologicis valeat argumentum negativum, ut, quod Scripturæ authoritate deſtituitur, cujus Scripturæ non meminit, rejicere ac negare id omnino liceat, nihil præterea ad refutandam Wolzogianam theſin requiritur quam quod authoritate Scripturæ deſtituatur. Interea ne ſibi ſatisfactum non eſſe conqueratur, Hoornbeekii lectionem commendo, qui decem argumenta adverſus Socinianos, hac in parte vix quicquam à noſtro diſſentientes, profert ſolidiſſima. Decimum autem, ex Adverſariorum conceſſis quod deſumſit, Wolzogium non urget, fateor, at plurima ſuppetunt, quibus ejus defectus ſuppleri queat abundè, quæque præcipue adverſus Wolzogium producere conſultum duxi, quo ſic ipſe ſua deſtruxiſſe appareat; egregiæ ſane, atque omnes Theologos Reformatos ſuperantis, non jactatæ perſpicuitatis, aut ſoliditatis, ſed confuſionis, ac ignorantiæ in re Theologica, documentum illuſtre certumque. Tantam autem horum argumentorum hic libellus ſegetem protulit, ut ſpicilegium aliquod relinquendum jubeat brevitatis ſtudium. Sequentia hac vice habeat lector.

Argumenta ex Wolzogio adverſus Wolzogium.

Dictat Wolzogius, *Scripturæ plurimas partes dari, quæ habeant aliquam hiſtoriam. Imo omnes, nulla excepta, pro hiſtoricis eſſe habendas.* Atque hoc non ſolum de Scriptura, abſtracto quodam, aut præciſo ſenſu, ſed *de rebus* aſſerit, *quæ nobis oratione ſacra explicantur.* Idque recte, quatenus omnia quæ Scripturis continentur, fide dicentis unice recipienda ſunt. *Interpretatio autem in rebus hiſtoricis non habet rationis evidentiam: non poteſt; res non patitur. Habet tamen indubitatum aſſenſum, quem damus legibus interpretandi.* Philoſophiæ igitur & normalis ac præcedens rationis uſus hic nullus obtinet. Deinde Hiſtoriam contradiſtinguit veritati, ſeu axiomati, ut videre eſt, quando probatu-

p. 28. p. 27. p. 86.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

rus non omnia ad veritates referri poſſe, longa ſatis ſerie hiſtoriam, & quæ ad eam referuntur, narrat: & conſtare aſſerit, *veritatum numero haberi* p. 149. *non poſſe quidquid hiſtoricum eſt. At ubi non ſunt* p. 193. *veritates ibi NB. nullus rationis uſus eſſe poteſt.* Unde ſic argumentor. *Quicquid ad veritates non pertinet, in eo nullus rationis uſus eſſe poteſt.* ex p. 193. Scriptura verò ad veritates referri non poteſt; *tota enim eſt hiſtorica* ex p. 27. *veritatum autem numero haberi non poteſt quicquid hiſtoricum eſt*, ex p. 149. Ergo in Scriptura, nullus, modo dictus, rationis, ſeu Philoſophiæ, uſus locum habere poteſt. Iterum, Hiſtoriæ ſunt conſiderandæ ut res facti, in quibus toti pendemus ab authoritate dicentis, *ut Dei nobis dicentis authoritas pro omni ratione habeatur. Sicque fit, ut res quæ natura ſua nil habent facti aut hiſtoriæ, induant tamen rerum hiſtoricarum naturam, quia ab authoritate dicentis ſuſpenduntur.* pag. 30. Rerum autem quæ facti ſunt *quæſtio qua quid contigerit diſceptatur* p. 134. *ejus naturæ eſt, ut à variis circumſtantiis pendeat ejus ſolutio, juxta* p. 137. *Cum autem circa verba, & voces, omnemque & materiam & ſpeciem orationis verſetur, aliæ circumſtantiæ examinari non poſſunt, quam quæ ſunt orationi affines. Omnes autem quæ orationem aliqua propinquitate attingunt, ad uſum referuntur conſuetudinemque loquendi.* Hinc ſic arguo, quorum determinatio unice ab uſu loquendi petenda, in iis nullus rationis (hac notione) aut Philoſophiæ uſus; at omnium eorum, quæ Scriptura continet, determinatio, ab uſu loquendi repetenda eſt. Ergo nullus rationis uſus in &c. Majorem probo 1. Ex eo, quod Wolzogius ipſe eâ ipſâ majore mea tanquam argumento utap. 132. & ſeq. tur, ad Philoſophiam ſeu rationem removendam. 2. Quod hæc duo, jam ab initio, ut deſtincta, ac diverſa propoſuit, rationem & uſum loquendi. 3. Hoc ipſo in loco p. 137. diſtinguit ut ex diverſis petitam, quam ex uſu, & eam, quam ex ratione haurimus, cognitionem. Neque etiam dubito, quin

quin ultro majorem ſit conceſſurus. Minorem autem ſic demonſtro. Cujus natura ea eſt, ut à variis circumſtantiis ejus pendeat ſolutio, illius determinatio ab uſu loquendi &c. At totius Scripturæ ea eſt natura. E. Major exſtat p. 137. verbis jam citatis. Minorem probo in hunc modum. Omnis quæſtio facti, quaque quæritur, quid contingerit nec ne, ejus naturæ eſt, ut à variis circumſtantiis ejus pendeat ſolutio. At tota Scriptura eſt talis. Ergo &c. Major habetur p. 134. cum 137. Minorem ſuppeditat author verbis ex p. 30. citatis. Ex conceſſis igitur concludo, nullum rationis, ſeu Philoſophiæ, in Scriptura interpretanda, iſtiuſmodi uſum eſſe. Ubique hic obtinet quod habet p. 132. *Eſt quæſtio facti, non juris; quæ pendet ab orationis circumſtantiis, non ab evidentia demonſtrationum; in qua quid Deus dixerit, quæritur, non, verumne ſit, nec ne verum, quod dixit.* Confer. p. 135. & 136. ubi fuſe hæc omnia ad quæſtionem facti, & eam, quæ de rei exiſtentia eſt, referenda probat. Non enim aliud quæritur, quam *an hæc aut illa veritas*, ſeu hic aut ille ſenſus, *hoc loco tradatur, ac proinde patet ejus naturæ eſſe, ut à variis circumſtantiis ejus pendeat ſolutio*, ais ipſe p. 137. *quare non aliter rationi hic nitimur, quam quod ratione prædita mens noſtra colligit ea argumenta* (qui uſus tantum inſtrumentalis eſt) *quibus perſuadeatur.* NB. *Nulla autem adhibet principia, aut notiones communes, aliaſve notionis faces, ut rem ſibi probet.* ſic p. 136. Unde ſic adverſus Wolzogium infero verbis Hoornbeekii. *Non quæritur*, inquit ille, *in iſthoc dubio, quid verum ſit, vel debeat eſſe in re; ſed quis ſit ſenſus verborum; at de hoc ut aliunde judicetur, quam ex Sacra Scriptura, nunquid vides contra illud eſſe, ſolam Scripturam ſacram eſſe normam fidei & vitæ perfectiſſimam?* Ubi jam, prævium rationis examen & arbitrium? quorſum iſta, à Wolzogio ficta, rationis regula? longius eam ipſe removet p. 227, 228, 229, 233. in conflictu enim ad verita- Loc. Cit. p. 91.

tem

tem propius accedere compellitur. Sic locis citatis, *faciunt rationes præcipuè tres, ut credam per ſeipſum*, de quovis authore loquitur abſque diſcrimine, *explicari eum poſſe ac deberi.* De ſcriptura deinceps ſigillatim hæc ſcribit, *de eodem auctore diſputamus qui ſit per ſeipſum explicandus, neque ſic ab inferiore judice provocatur ad ſuperiorem: ſed ſententiam ſuam idem judex explicat, aut ſuum factum confitetur, de quo ſit inquiſitio, quiſquis ille ſit.* Sic erumpit ſparſim veritatis vis invicta. Hæc verba, primo elidunt omnem rationis ſeu Philoſophiæ normalem & antecedaneum uſum, quem ſuperiùs theſi VI, & Canonibus præſcriptis, poſuerat Wolzogius, adeoque ulterioris refutationis onere nos levat vir bonus, tollitque ipſe quod poſuerat. Deinde hic manifeſtam deprehendimus contradictionem, cum iis, quæ in ſuperioribus, duobus in locis, notavimus, ſic in methodi, & erga Reformatos Wolzogiani animi examine, theſi quinta dixerat. *Deum eſſe Interpretem ſuæ Scripturæ non video. Negamus Deum dici poſſe propriè Scripturæ Interpretem.* Hic vero *ſententiam ſuam idem judex explicare dicitur*, Scriptura quando per Scripturam, idem author, quando per ſeipſum explicatur. At quis ille in Scriptura Judex, Wolzogi, quæ ſententia, quam idem Judex explicet? Judex nonne Deus eſt, cujus Scriptura ſententia, nonne Deus igitur Scripturam explicat ſeu Interpretatur? Quî igitur negaſti Deum eſſe Interpretem ſuæ Scripturæ? Deum Scripturæ interpretem dici poſſe cur inficiatus es? Nihil ultra volunt Reformati, quam eundem judicem ſuam ſententiam exponere, hoc eſt, Deum Scripturæ Interpretem eſſe. Quorſum igitur ſingularem ſententiam profiteris? quorſum à te, confuſa ſaltem obſcuritate, diverſum eſſe Reformatorum ſenſum dicis? argumenta, quæ id probant, quod hic ipſe ponis in terminis, rejicis, explodis? Non equidem hunc capio diſputandi

modum

modum, futilem ſane & ſibi ſæpius adverſum. At & hic lubricum video noſtrum, dum plura, pro ſua liberalitate, Paradoxo largitur, quam rei, de qua diſputatur, indoles ferre poteſt, aut ratio, qua pugnat: *Verum enimvero*, hæc verba reſpicio, *ſive idem habeatur auctor Scripturæ, ſive diverſi, eodem modo eam per ſe ipſam explicabimus, ut alios authores vel per ſe ipſos vel per alios.* p. 233. Dixeram rei naturam de qua diſputatio eſt, hæc ferre non poſſe, quod certiſſimum eſt, nam, ut rectè notat alibi, tenendum ſemper, *Amanuenſes quidem diverſos eſſe, ſed eundum auctorem omnia dictaſſe Deum.* p. 225. Quod niſi divinitus conſtet, & pro indubitato habeatur, ruit certe omnis, ex collatione variorum Scripturæ librorum, facta interpretatio, ruit ſaltem illius interpretationis infallibilitas ac certitudo divina. Quamvis enim authores diverſi ſe mutuo explicent, non tamen id faciunt infallibiliter certóque: ſcripſerint puriori, vel Auguſtæo ſeculo, diverſi Scriptores, non tamen ultra probabilitatem aſcendit, omne, quod ex plurium collatione, de hujus aut illius ſenſu, protuleris argumentum; quod vel ex eo conſtat, *quod quiſque ſuum quendam habeat peculiarem uſum loquendi ſcribendique, certo verborum genere, certis formulis, certa ratione conſtructionis ambituque orationis utitur, quæ liceat ejus appellare characterem authoris, quo Saluſtii dictio diſcernitur à dictione Cæſaris, & à Virgilio diſtinguitur Ovidius. Qui ſane charecter æque debet eſſe perſpectus Interpreti, atque uſus loquendi vulgaris, quia quidam eſt veluti uſus ſingularis ejus Auctoris quem explicamus*: ut recte notaſti anteà. p. 227. Neque etiam loquendi uſus, quando interpretem Scripturæ eum efficis, prout à diverſis uſurpatur, ſed quemadmodum à Deo approbatus eſt, & uſurpatus, ſpectandus eſt, te judice p. 262. & 263. atque adeo, ut unius ejuſdemque authoris. Qui pote igitur, ut hic, *ſive idem habeatur author Scripturæ, ſive diverſi, eodem tamen modo* p. 233.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

eam per ſe ipſam explicatam iri aſſeras. Quoniam, ſi authores diverſi eſſent, ob uniuſcujuſque in uſurpatione verborum characteriſmum, ac ſingularitatem, ut ita loquar, non niſi probabilem, qualis in Claſſicis authoribus ea obtinet, interpretationem dare poſſet, eorum, facta invicem, collatio. Vel an nunc, poſtquam, eundem ac unicum totius Scripturæ authorem eſſe, certum eſt, non aliter per ſe ipſam Scripturam explicas, quam, ſi authores eſſent diverſi; non aliter ac Tullius ex Livii, aut
p. 231. ex Cæſaris Julii collatione Nepos explicatur inter Criticos? Lubrica certe erit, & inſtabilis, non religionem, non Deum decens, Interpretatio. Sic tamen, pro tua erga Scripturam ſubmiſſa reverentia, verba inſtituis, *hæc*, quæ de Ciceronis, Li-
p. 232. vii, Cæſaris, Æmilii probi, Polybii, Dionis, Plutarchi &c. collatione, indeque effloreſcente interpretatione dixeras, *haud difficulter accommodantur Scripturis.* Quibus quidem peculiare ſit, quod eidem authori univerſæ debeantur: attamen *ſive idem habeatur auctor Scripturæ, ſive diverſi, eodem*
p. 233. *modo ea per ſe ipſam explicabit noſter*: nimirum, quo Livius ex Cicerone, aut ex Æmilio Probo Cæſar lucem fortaſſis fæneretur. O ſolidam firmamque Wolzogii fidem, non alio, quam iſto tibicine fultam! non tam leviter, non tam parum reverenter de Scripturæ agendum erat interpretatione: certe eodem modo non procederem, nec eadem certitudine in ejus explicatione, ſi non crederem, Amanuenſes quidem diverſos, at eundem auctorem dictaſſe univerſam. Profuſæ largitatis eſt noſter, qui talia ſubinde concedat, quibus certiſſime ſuperetur, ac vincatur, à ſuo Paradoxo.

Aliud argumentum, quo ſeſe ipſe conficit, extat p. 177. ubi hunc in modum diſputat contra Paradoxum; *Sed quam eſt alienum à ratione, veritatem Dei nullam in oratione ejus agnoſcere poſſe, niſi rem ipſam examines; & credere, ſermone eum fallere videri,*

deri, niſi dubia & inania verba ſolo pondere rationum explicuerit Philoſophia! Hoc innuit, Deum ſic intelligibiliter loquentem fidem mereri, ejuſque *ſenſum, quem verba, quem ſcopus, antecedentia quoque & conſequentia docent & produnt*, denique *qui undique contractis locis parallellis* apparet, pro vero ſumendum, non petito, aut expectato, Philoſophiæ, ſeu rationis, de re ipſa, dictamine. At tolluntur ſic omnia, quæ de prævio, rerum omnium, per Philoſophiam examine, p. 67. aliiſque, à ratione petitis regulis, quas interpretaturo in anteceſſum conſulendas ſtatuit, antea dictaverat. Præſertim, ſi fieri nequeat, quod fieri non poſſe certum eſt, ut loco ipſo, locique circumſtantiis, ac parallellis, analogia item fidei, ritè conſideratis, alius, quam menti divinæ congruus, id eſt, verus, inibique intentus ſenſus eruatur. *Non enim eſt is Deus, qui aut neſciat loqui, quod intelligatur, aut nolit*, ait p.73. Unde & recte *Interpretem* dicit, *qui mente jungat ſenſum cum verbis, illumque his ineſſe ex ipſa verborum textura cognoſcit. Et verus demum ſenſus eſt, qui omnia complectitur quæ ex analogia loci incluſa textui ſunt, quique poſthabitis cæteris omnibus ex ipſa orationis textura effloreſcit.* At quis ſic tandem, rationis examini, ſeu arbitrio, locus ſupereſt, dum omne textus ipſe, ejuſque analogia ac paralelliſmus expediat: dum, hiſce rite conſideratis, falſum eſſe non poſſit quod ex textu elicitur, atque id eſt, quod volunt Reformati, quodque præcedentia, quæ de ratione nugatus eſt Wolzogius, inutilia reddit ac refutat, ut vel in tranſcurſu inſpicienti patet. Poſcit id, & quæſtionis omnis, quæ hic agitanda venit, natura, quam facti eſſe dixit noſter. Adeo ut abſurdè tantum operæ collocaverit, in probanda diſtinctione, eorum, quæ veritates continent, ab iis quæ non continent veritates, non enim hic quæritur proprie, quid verum ſit, nec ne, ſcriptura enim præſupponitur non poſſe falſum docere rite ex-

pen$a$,

p. 234. p. 230. p. 96. p. 111. p. 162.

p. 30. penſa, ſed an illa, vel iſta veritas, aut, quid, hoc
p. 134. loco, tradatur; quæſtio enim omnis hic facti &
p. 137. hiſtoriæ naturam induit. *Imo credimus etiam antequam ſciamus* ait p. 29. *Res* enim *Scripturæ*, non quædam, non quatenus ratione non innoteſcunt. ſed quatenus in Scriptura continentur, eæque *uni-*
p. 31. *verſæ*, fatente Wolzogio, *fidei ſubjectæ ſunt*, in ſeſe quantamvis patiantur differentiam. Licet enim quædam ſubinde occurrant, quæ & ſciri poſſint, & credi, hic tamen, *non ideo credimus quia ratio dictat, ſed quia Deus dicit*, ait p. 52. *adeo ut fides, quæ à ſola pendet authoritate dicentis, (ſicut ſcientia à lumine veritatis ipſius, quæque res ratione probatas vult) tota regnet Scriptura* teſte Wolzogio p. 30. *Spectantur enim hic mera teſtimonia quibus probetur*, ait p. 230. Omnia igitur quæ Scripturis traduntur, ut talia, ex ore, ex verbis Dei, hoc eſt, dicentis authoritate, unicè recipienda ſunt, quod fieri ſane non poteſt, ſi Philoſophiæ aut rationis ſuffragium petendum ſit priùs. *Fidei enim eſt*, ſunt verba Heidani ſæpius citata, *rationi præſcribere, & id facere ut ne ſit opus ratione.* Quæ omnia, ratione ſilere tantiſper juſſa, ex Scriptura Scripturæ ſenſum petendum unicè eſſe, ſatis ſuperque demonſtrant.

Addenda ſunt, quæ reperiuntur p. 193. ubi Philoſophiam, ſeu rationem, probat inutilem eſſe, in explicatione plerorumque locorum: hoc modo. *Ubi illa ſcilicet ratio ſeu Philoſophia veritates non invenit, aut ſi inveniat, ubi non ſunt veritates naturales, ibi nullus ejus uſus eſſe poteſt.* Notandum quod infinitas hæc theſis & inextricabiles diſputationes pariat, ſemper enim in anteceſſum diſputari debebit, an veritas ſit quod textus continet, ſi veritas, an naturalis nec ne, quod ſciri in anteceſſum non poteſt, quoniam ante peractam interpretationem, quid textus contineat nec ne, inter ignota cenſendum eſt, procul omni dubio; ac proinde, an veritatem contineat nec ne, & ſi veritatem, an naturalem an ſupernaturalem; etiam an Philoſophia ju-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

vante, loci explicatio peragenda ſit, an ſecus & ſine illa, ſemper diſquiri poterit. Quod nihil aliud eſt, quam totam Scripturam naſi cerei, ut dicunt, inſtar concipere; atque exponere ludibrio; ſed de hiſce poſtea. Nunc Wolzogium refutaturus, contendo, hac ratione evinci, non ſolum in multis, quod non tantum Paradoxi, ſed, quod & Paradoxi & Wolzogii ſententiam funditus evertit, in omnibus, Philoſophiam inutilem eſſe. *Ubi veritates non ſunt, ibi, nullus rationis uſus*, at hic in tota Scriptura, licet veritates contineat bene multas, quædam diverſo etiam lumine cognoſcibiles, & rationis, & revelationis, non tamen ut veritates, ſed ut hiſtoriæ, ut res facti, ut rei denique exiſtentia, quæque, non rei ipſius claritate, ſed dicentis unicè ac referentis authoritate, ſive veritates ſint, ſive non ſint, recipienda veniunt omnia, vel ipſo teſte Wolzogio, *res enim etiam illæ, quæ natura ſua nil habent factì vel hiſtoriæ, induunt tamen rerum hiſtoricarum naturam.* Iterum, ſi quicquam, ſi bene multum, ſi omne, quod veritatem, eamque naturalem non continet, abſque rationis ſeu Philoſophiæ arbitrio atque dictamine, explicari in Scriptura dicas Wolzogi, ego id de omnibus dixero, & ſumma cum ratione, tu enim, qui quædam ſaltem (omnia aliquando dixeras) ex rationis arbitrio interpretanda cenſes, diverſitatis rationem dare teneris, quam dare non poteris, utcunque te torqueas: audio quidem vanas, veritates inter, factaque diſtinctiones, quædam naturalem, alia ſupernaturalem veritatem continere te dictantem audio: ſed nonne vides bone vir hæc fruſtra à te dici? qui enim, vel tu iſta ſcire, aut ego iſta pro veris recipere queam? dum nihil hactenus, utrique noſtrum ſe ad Scripturam, poſtea intelligendam, jam interpretandam adhuc accingenti, de iis, quæ deinceps demum innoteſcent, conſtare queat; tu, qui analogiam fidei, qui ipſam Scripturam, in univerſæ de interprete quæſtionis deciſione, ea ratio-

[margin: p. 30.] [margin: p. 167.]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ne, quia de utraque ante omnem interpretationem nihil conſtat, audiendam eſſe negas, haſce tuas diſtinctiones, quas eadem diſpellit ratio, nobis obtrudes? cum fungis te rem habiturum & bene credulis lucis filiis, perperam, crede mihi, ſomniaſti, mi Wolzogi. Viden', ſic, quo tu à multis, eo ego ab omnibus Philoſophiam ſeu rationem arcendam eſſe, argumento demónſtravi.

p. 218. *Suum etiam illi exemplum objicimus, quando criminatur,* obſcurè, non ſatis dilucidè egiſſe Theologos, qui Scripturam ex Scriptura interpretandam cenſent. Idem enim, quod ipſe Paradoxo objicit, ſibi à me objiciendium ſciat Wolzogius: explicuerat Paradoxus, referente Wolzogio, locum, 1. Cor. II. 14. at quomodo? *Verba examinat, uſum eorum vulgarem, antecedentia, conſequentia, ſcopum adducit, loca ſimilia, &c.* Hunc agendi modum probat, *quid aliud,* inquit, *hic faceremus aut ego, aut quivis alius qui ab uſu loquentium,* (qui ab ipſa Scriptura, quam cum dicimus, loquendi uſum, à parte Scripturæ, præſupponimus) *pendemus in NB. omni interpretatione.* Imo non probat ſolum, ſed Philoſophiæ, ſed rationis normalem in interpretando uſum refutari, hac ipſa praxi, ab Exercitatore, putat: Ego autem & Wolzogianas hypotheſes, eadem iſta ratione, convello, hunc in modum. Qui à verborum examine, ab uſu, ab antecedentibus, à conſequentibus, à ſcopo, à parallelis &c. in interpretatione omni pendendum docet, is omne rejicit antecedens rationis arbitrium, idque non in quibuſdam ſed in omnibus, dicit enim NB. in omni interpretatione. At à verborum examine &c. Ergo. Major eſt Wolzogii, quâ ipſe adverſus Paradoxum utitur, eſtque univerſalis, concludens de omni interpretatione. Minor itidem eſt Wolzogii, uti jam vidimus. Concluſio autem eſt contra eundem, ut Canone tertio, ex ejus pag. 20. 21. 23. 67. eruto, patet. Huic affine eſt, quod alibi, objectis ab adverſario locis, quorum

expli-

explicationem, Philoſophiæ, ſeu rationis, normalem uſum, requirere volebat Paradoxus, ita reſpondeat, ut propriam theſin deſtruat apertè; Sacramentales & Anthropologicos loquendi modos, retulerat Paradoxus, ex Scriptura, eorum ſenſum eruendum, recte reſpondet Wolzogius, additque *leges interpretandi*, (non quæ Philoſophiam ſeu rationem includant, ſed ei opponantur) *ad uſum linguæ exactas id totum definire*) Scripturam hoc definire ipſam diceret Reformatus, ſuppoſito loquendi uſu, verborumque ſignificatione. At ſi *totum id* ex Scriptura, hæc enim loquendi uſum in ſe complectitur, eumque ſupponit, definiatur, ubi rationis, quod poſuit, arbitrium, ubi juriſdictio? nihil requiritur, præter *totius* negotii deciſionem, quam, ſi ex Scriptura haberi poſſe, idque in iſtis materiis, ſtatuat, quorſum igitur tam ſeria pro rationis arbitrio, & cunctorum, *nihilo excepto*, examine, diſceptatio? videtur autem ſentire inflictum ſibi à ſe vulnus, & rationem de ponte dejectam videre omnem: hinc limitationem addit, ſed præpoſteram: *quanquam*, inquit, *neque velim excluſam rationem. Nec enim ii ſumus qui nullas partes velimus rationis eſſe in interpretatione.* Non pro inſtrumentali, quem dicimus, rationis uſu erat diſputatio, ſed normali; clariùs igitur Philoſophiam dixiſſet, ut anteà vidimus: at ſero ſapit, & ſuæ rationis memor evaſit, noſter diſputator. Diſputatur, an omnem, an aliquam ſaltem, normalem in interpretando uſum præſtet ratio ſeu Philoſophia, probatum id voluit Paradoxus, refutaſſe videri vult noſter, dicitque *totum* negotium ex interpretandi legibus *decidendum*, quas rationi ſeu Philoſophiæ opponit diſparatè; nunc autem, poſt derogatam omnem rationi arbitrandi, decidendique facultatem, eamque alteri cuidam in univerſum injunctam, ſubdit, ſe nolle omnem rationem, ſeu Philoſophiam excluſam, ſed unde? an ex interpretatione? ſic eſt, nam de ea

p. 211. p. 67. p. 211. p. 218.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

diſquiritur, ea tota, aliunde perficienda dicitur, adeo ut ſerò nimis, rationis poſtliminio hic cauſam, atque ſic ſui ipſius, agat. Sufficiat, valeat, vigeat ratio, Philoſophia prolixe laudetur, totum modo interpretationis negotium expediat ipſa Scriptura, ſaltem, à rationis norma, nullatenus dependeat, hoc volunt Reformati, & contra Anonymum, imò vero contra ſe ipſe hic concludit Wolzogius.

Sic hactenus ex Wolzogio Wolzogium refutavimus, alia argumenta ſi velit lector, adeat Hoornbeekium loco ſuperius citato, non enim conſultum judicavi, huc ea tranſcribere. Unicum ex ipſa Gallicanæ Eccleſiæ Confeſſione publica repetendum reſtat; & abſurda quædam, ex Wolzogianis ſequentia, recenſenda ſuperſunt.

Syntagm. Confeſſ. Part. I. p. 78.

Omnem humanam ſapientiam, id eſt rationem, ſeu Philoſophiam, *ad Scripturæ divinæ regulam & præſcriptum examinari oportere & exigi*, docet dicta Confeſſio, Articulo quinto. Hinc ſic arguo, quod ad Scripturam omne exigendum, id Scripturæ, adhuc interpretandæ, regula, aut norma eſſe non poteſt, ei in omnibus arbitrium, juriſdictio, in anteceſſum, nulla competit. At ſic res ſeſe cum ratione, cum Philoſophia, habet. Ergo &c. Eo ipſo, quod dicatur omnis ad Scripturam exigenda, neceſſe eſt, ut Scriptura, aliàs enim amuſſis normæque vices obire non poteſt, per ſe, aut aliunde ſaltem, quam ex Philoſophia, in anteceſſum intelligibilis atque interpretabilis, liceat verba fingere, ſtatuatur. Atque hoc eſt, quod adverſatur Wolzogio, qui ejus arbitrium, juriſdictionem, & regulam, interpretaturo præfigenda ſuperius juſſit.

Abſurda quæ ex Wolzogianis ſequuntur.

Abſurdorum ex Wolzogianis ſequentium, magna licet copia enumerari poſſet, hac vice ſex tantum proponam.

Abſurd. i.

1. Primum eſt, Lutheranis anſam dari, majori cum veritatis ſpecie, Socinianiſmum, hac in parte, Orthodoxis impingendi. Scimus quam ſedulò cautéque ſemper noſtri cavere ſtuduerint, ne Soci-

nianorum Philoſophandi cacoethes ipſis merito exprobaretur, nec tamen iſtorum hominum duram criſin evitare potuerunt viri prudentiſſimi, ſimul atque ab iſto crimine puriſſimi. Dixerit licet, *defectum charitatis eſſe, quod Ekhardus, Stegmannus, Meiſnerus, aliique noſtros in eo cum Socinianis componant*, Voetius. Et Elenchum ignorari Arnoldus. Dicteriis nihilominus infeſtant innoxiam & inculpabilem Eccleſiæ doctrinam; quid autem nunc expectandum erit, poſtquam in terminis doceri viderint, quod antea, ſine mendacio, Reformatis tribui nullo modo poterat. Sic, pro minus felici ſua veracitate, olim noſtra ſenſa referebat Ekhardus, *placita rationis nobis quod ſit quædam quaſi ſtatera & menſura, cui res omnes, etiam Theologicas, commenſurari, & ſi quod non exactè quadret, ſaltem in peregrinum ſenſum transformari oporteat.* Crocius forſan hiſce, idem quod Hunnio, reſpondiſſet. *An noſtri tantum* Philoſophiæ *tribuant, ut omnia, nihilo excepto, ejus examini ac arbitrio tradenda doceant, teſtantur commentarii. Ego non contendam cum hominis impudentia. Commentarii quæ ſunt in omnium manu confutant mendacium.* Nunc autem idem à Paſtore, & qui Reformatus, imo, vel in hoc ſcripto, orthodoxus audire geſtit, docetur, urgetur, inculcatur: ut ex pagina 67. in fine pag. 20, 21 & 23. jam ſæpius oſtendimus. Ecce communem Eccleſiæ cauſam certiſſimo calumniarum æſtui, ab infelici propugnatore, palam objectam & expoſitam; Sed adverſarii omnem verè Reformatorum Theologorum multitudinem, imo confeſſiones, ſcriptaque publica, huic homini altùm contradicere ſæpius, noverint.

Danhou. Hodomor. Spirit. Calv. Phantaſ. l. L.B & C.p.36 & 37. Ekh. Faſcic. Quæſt. 1. Capit. 1.
Voet. Diſp. Sel. part. 1. p. 12.
Arnold. c. Ekhard. p. 2.
Crocius ad Eph. Cap. iii. Part. 1. Loc. Com. vii. §. 1.

2. Secundò hinc ſequeretur, maximos Philoſophos, feliciſſimos fore S. Scripturæ Interpretes, contra 1. Corinth. I. 18, 19, 20, 26, 27, 28. II. 6, 7. Actor. XVII. 18. &c. Quo argumento Socinianos premit Venerandus & Doctiſſimus

Abſurd. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

De Witte tegen de Socin. Eerſte deel. p. 50

D. P. De Witte, Eccleſiæ Leidenſis inſignis Paſtor. Antehac etiam vidimus, quantopere ab iſto conſequente abhorreant Theologi pii atque orthodoxi.

Abſurd. 3.

3. Revocabitur tandem Theologia Philoſophica, ac Scholaſtica, quamquam non ad Ariſtotelis, ſed ad Carteſii amuſſim efformata. Scimus, quanto cum labore, turpem & adulterinam iſtam, Philoſophiæ cum Theologia, commixtionem, impedire, prohibere, ac corrigere ſtuduerint viri ſummi, Eccleſiarum Reformatores. Nunc vero poſtliminio, ſed alia methodo, idem flagitium impune committetur. Si enim rationi, ſeu Philoſophiæ, omnia examinanda, ad amuſſim ſuam exigenda, denique Scripturam, quotieſcunque claræ rationi adverſari videatur, omnino juxta rationis ſeu Philoſophiæ dictamen & arbitrium explicandam cenſeas, nullo modo evitari poterit, quin poſtliminio Scholaſticorum tricæ ultro revocandæ erunt, idque ab iis, qui omnem Philoſophiam ac Theologiam Scholaſticorum ſpernunt ac rejiciunt, eamque vel ipſos tyrones ridere omnem atque odiſſe cane pejus & angue docent, urgentque; quo ſic ſuas cariores reddant merces, eaſque felicius majorique pretio divendant. Scholaſticorum primi aliquot, & præcipui, certè non ita omni laude indigni videntur, neque tanto cum faſtu, niſi ab ignorantibus, rejiciuntur, alii vero, inde, quô maxime laborant, ſuaque ſcripta magis noxia quam utilia evaſerunt, vitium contraxerunt, quod veritatem ſupernaturalem omnem, rationi ſuæ, ac ingenio Philoſophico, excutiendam dederint; hinc tortuoſæ iſtæ, ſpinoſæ, quodlibeticæ, infinito numero, omnifruge fructuque vacuæ, quæſtiones propullularunt, & adhuc propullulant ubertim. Aſt idem brevi videbimus neceſſario, ſi obtineat, quod vult Wolzogius, *omnia, nihilo excepto, cujuſcunque generis ſint, rationis ad examen exigenda, Scripturamque omnino juxta iſtam rationem explicandam*

p. 67. & 68.

p. 20, 23.

plicandam eſſe. Neque, ſi id jam ageretur, deeſſet, nova, novarum quæſtionum, ex Philoſophia in Theologiam turpiſſima μεταβάσει quotidie tranſilientium ſeges notanda ac refutanda. Doctrinam, de gratia ac Prædeſtinatione, NOVA Methodo propoſitam, ſeu potius Pelagianiſmum, non tam incruſtatum, quam palam expoſitum & aliquantulum interpolatum vidit hoc ſeculum, perperit, alia methodo, adultera Philoſophia. Jam mundi actualem infinitatem non repugnare, homines in Luna, aliiſque ſtellis non eſſe, non conſtare audies. Infinitatem Dei negatam, ſaltem labefactatam videbis. Immenſitas nunc actus voluntatis erit in Deo, qui nullam aliam ob rationem immenſus aut omnipræſens dicetur. quam quia cuncta gubernat ac ſuſtentat. At aliud nunc ago, ſufficient iſta ſpecimina, pauca quidem, ſed ponderoſa ſatis. Sic ab una parte qui expulſus hoſtis eſt, ab alia ultro admittetur.

4. Porro, ſi ad Philoſophiæ lancem, ac ratio- Abſurd.
nis, expendenda cuncta erunt, variam habebimus 4.
aut eandem, certam aut incertam Scripturæ explicationem, ac Theologiam, prout varia vel eadem, certa vel incerta Philoſophia erit. Quod certe, nihil aliud eſt, quam lubricam vagamque fidem fingere, imo, quam fidem deſtruere & tollere funditùs. Priori libro, fundamenta Carteſianæ Philoſophiæ inepta vidimus, quibus veritatis certa cognitio inædificari poſſit. Quam dum ſectatur Wolzogius, imo in Theologiæ ſacrarium intrudit, denique Scripturam interpretaturo normam ac ducem præfigit, certitudine & infirmitate quanta ipſius Theologemata nitantur, conjectu haud difficile reliquit lectori. Nolim fidem à rationis ac Philoſophiæ dictamine pendentem facere, malim cum Apoſtolo αἰχμαλωτίζειν πᾶν νόημα εἰς τὴν ὑπακοὴν τοῦ χριστοῦ & verbi divini.

5. Miſeranda foret gregis Chriſti conditio, ma- Abſurd.
xima quippe ejus pars, Philoſophiæ cognitione, 5.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

non multum imbuta, penetralia verbi perſcrutari minimè poſſet; quod tamen ipsâ experientiâ aliter ſæpiſſimè accidere videmus, ſolitum enim divinæ gratiæ eſt, plurimos ſcientiæ atque experien-
Mat. xi. 25. tiæ ſpiritualis theſauros, *infantibus retegere, & à ſapientibus ac intelligentibus occultare. Non enim inter vocatos multi ſunt ſapientes ſecundum carnem,*
1. Cor. i. 27. 28. *non multi potentes, non multi nobiles, Verum quæ ſtulta ſunt mundo, elegit Deus ut pudefaciat ſapientes.* Imo qui Chriſti oves ad virilem in Chriſto ſtatum, ut non ſemper, quoad ſcientiam, maneant infantes, perducere conaretur paſtor, Philoſophiam is, rationiſque dictamina, docere, imo inculcare deberet, quo ſic, ad exigenda, ad examinanda Scripturæ, juxta rationem, loca, aptæ evaderent piæ mentes. Doctrinæ pauciſſima fundamenta, exili ſatis numero ſufficere Wolzogio viſa, quamvis cognoſcerent, non tamen, juxta Petri monitum,
2. Pet. iii. 18. *creſcere daretur in notitia Domini noſtri & Servatoris Ieſu Chriſti.* Neque *ſermo Chriſti copiosè in*
Col. iii. 16. *ipſis habitare cum omni ſapientia* poſſet, *ut docendo atque admonendo ſe mutuo ſufficerent*, Philoſophiæ niſi & rationis abdita perreptent prius. O negligentiam Pauli, Petri, imo omnium ſimul Apoſtolorum incomparabilem! quod unico illi,
Joh. v. 39. *ſcrutamini Scripturas*, ita fuerint intenti, ut Philoſophiæ omnis obliti, Scripturam unice commendaverint, eamque ad ſalutem ſapientes reddere poſſe tam ſedulo inculcaverint.

Abſurd. 6. 6. Imo tota Chriſti Eccleſia infelix hactenus profecto nimis fuiſſe dicenda foret; Philoſophiæ quippe ſeu rationis ope, tam neceſſariâ, ut ejus arbitrium, juriſdictio, ductuſque ſcripturæ interpretaturo præſto eſſe debeat, hactenus eget. Quod negare non poſſunt, qui veram Philoſophandi rationem, nunc demum, Carteſio exorto ſydere, humanæ genti innotuiſſe, jactitant novelli homines. Quapropter veritatem divinam, ex Scripturæ intellectione unice addiſcendam, ad noſtra uſque

tempora

tempora in puteo latitaſſe ſimul docent: antequam enim Philoſophandi vera, certa, tutaque ratio inventa fuit, fieri non potuit, ut non deeſſet ejus opera tam neceſſaria, adminiculum, quo ſine, plurima quæ Scripturæ interpretationem ſpectant, perfici rite non queant. Imo toto cœlo omnes aberraſſe non poterit inficiari Wolzogius, niſi inter veteres, Carteſianæ Methodi, ac Philoſophiæ Carteſianæ ſectatores, vixiſſe demonſtraverit, tanta enim ejus veritas & certitudo eſt, *ut ſponte ſua* p. 197. *omnis veritatis curioſus indagator, per quaſcunque tandem ambages, fuiſſet tandem ad Carteſianam Philoſophiam revolutus.* Ut omnes, quotquot ante hoc ſeculum Philoſophati, &, quod veræ Philoſophiæ ope tantopere indiget, Scripturam interpretati ſunt, aut Carteſiani fuerint, aut, tanto adminiculo non inſtructi, veræ & ſolidæ interpretationis, profluentiſque, ex ea, Theologiæ, ſemitam omnem, prætervecti. Error certe graviſſimus, in eo tamen Socinianis peregrinus, quod horum ſententia hodie nulla exiſtat, illorum autem, ante hoc ſeculum, nulla fuerit, ſaltem vix eſſe potuerit vera Chriſti Eccleſia, in qua veritas, veræ interpretationis ope unice eruenda, reſonaret.

Exceptiones Wolzogii rejectæ.

Fruſtra & incaſſum laborabit Wolzogius, ſi, quod veritatis adverſariis ſolenne eſt (qui argumentorum robore ad incitas redacti ad exceptiones refugiunt, palliare ſtudentes aut aliquantulum corrigere, quæ veritati adverſa docuerunt priùs) exceptionibus, evadendi rimam aperiendam credat.

Except 1.

1. Primo enim ſi forſan dicat, ſe multa rationis juriſdictioni ſubducere, ut I. res facti, II. quicquid rationem ſuperat p. 221. III. Res pure Theologicas p. 221. 216. imo IV. quicquid non eſt veritas p. 192. & breviter, *myſteria, quæ ſupra rationem eſſe demonſtravi*, ſic loquitur p. 273. *ea quæ à mera Dei voluntate pendent, cum ratione nil habent commune: Hiſtoria &c.* Atque ſatis longe à Socinianis, ut & à pugna cum Reformatis abeſſe. Non quidem, ſic

 reſpondeo,

reſpondeo, ſpecie iſta carent, præſertim cum author tam prolixè de iis egerit, difficultatem tamen non tollunt, imo non minuunt. 1. Etenim rationi quædam cum eximit, vel rationis reſpicit inſtrumentalem uſum, vel normalem: ſi priorem, nihil; ſi poſteriorem, cuncta illi ſubtrahenda ſtatuunt Orthodoxi. Rationem, ut ſubjectum recipiens, & inſtrumenti loco, Theologo, aut Scripturas interpretanti, ſubſerviens, in omnibus admittunt Orthodoxi, ne quidem iis, quæ facti ſunt, aut Myſteria continent, exceptis. Ut normam vero, nunquam in interpretatione agnoſcunt: *rationem ut normam audire, ſecundum quam deciſio fiat de mente S. Scripturæ, hæc eſt prodigioſiſſima* μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. *atque tam indignum Scriptura, quam in ſe improbum, quod ratio ſibi auſit iſtud arrogare*, ait Hoornbeek.

Socin. Confut. Tom. 1. Lib. 1. p. 91.

Exceptio autem, cum firmet regulam, in caſibus non exceptis, uti loquuntur Juris Conſulti, palam facit Wolzogius, ſe in multis, *rationem normam recipere & regulam:* non enim cogitandum eſt, eo jam veniſſe, ut in quibuſdam, nequidem inſtrumentalem concederet rationi uſum, quod abſurdum eſt, & alibi ab ipſo refutatur, ubi non de inſtrumentali, ſed alio rationis uſu, diſputari, recte notat, p. 67. Neque amplius quicquam hactenus evincit, quam non omnia rationis arbitrio & jurisdictioni cum Socinianis committenda, aut cum Reformatis eximenda, adeoque ſe neutri parti in univerſum addictum eſſe. 2. Quis dicet, quis probabit res quaſdam facti eſſe & ſupra rationem? ante omnem enim interpretationem, de eorum, quæ mediante interpretatione demum innoteſcunt, natura aut indole, ſimilitudine aut diverſitate determinatè ſtatui quicquam non poteſt. Myſteria ſi referas, regerent tibi tuam Sociniani regulam, qua Scripturam, rationi quotieſcunque adverſari videretur, commode explicandam dictaviſti, ſemperque commodam, & myſterio carentem, Scripturæ dari poſſe interpretationem: ſi inſtes verba forſan, ac contextum,

ne-

neceſſario myſterium inferre, commode aliàs quod explicari nequeant. Reſpondebit Socinianus *commodum* dari poſſe ex ratione ſenſum, tuam vero ſuperſtitionem in cauſa eſſe, quod nolis, aut ignorantiam, quod nequeas commodiorem excogitare, ex Scriptura ipſos refutare non poteris, admiſsâ enim ſemel iſtâ explicandi regulâ, myſteriorum probatio ſæpiſſimè deficiet, in omnes enim ſe formas nexuſque, commodioris interpretationis gratia, flectet humana ratio; periculo ſane immenſo & inſuperabili, quicquid etiam ex Scriptura produces in medium, de eo ſemper eadem methodo, ex ipſa ratione diſputandum erit in anteceſſum. 3. Hiſtorias excipiendo, & res facti totam tuam diſputationem ſubvertis; Scriptura enim tota cum ſit hiſtorica, atque facti inſtar habenda, ac, ut hiſtorica conſideranda, juxta pag. 27. 30. univerſa neceſſe erit, ut rationi ſubducatur, quod nos contendimus, negatque Wolzogius. 4. Neque etiam ſeriò, aut in ſolidum, iſta rationis arbitrio ſubducis, niſi manifeſtè tibi contradicas: ſic enim p. 67. in fine, ubi *omnia nihilo excepto, omnia, cujuſcunque generis ſint; rationis ad examen revocanda* doces. Porro p. 69. etiam circa ea quæ vel longiſſime rationi ſubducenda videntur; *quæ nullam habent in re neceſſitatem, ſed vel à Dei pendent mera voluntate, vel factum continent eorum, qui poſſent alio atque alio modo agere*, ſaltem hoc rationi concedis, ut *etiam atque etiam caveat* NB. *& cavere poteſt, ne quid putet tanquam verum narrari, quod aperto mendacio, repugnet rationi.* Non igitur plenariè excipis aut ſubducis rationi, ea, quæ vel maxime ſubduxiſſe vis videri. 5. Imo myſteria quam plurima, quamvis ſubduxiſſe videri velis, non tantum non ſubduxiſſe, ſed ultro rationi tradidiſſe te, ſic probo: 1. Concedis in omnibus rationi arbitrium, falſos ſenſus removendi, p. 158. 161. 2. Sic alibi diſſeris, *in quantum veritates continet Scriptura, non habes quo labefactes authoris Paradoxi* eam ſententiam, quæ totius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ſui opuſculi fundamentum non ſpernendum continet, qua ſtatuit, *à clarâ diſtinctaque perceptione omnem derivandam veritatem eſſe.* Scriptura autem myſteria tradens, ſæpiſſime veritates continet, ſic veritas eſt & æterna & immutabilis, Deus eſt triunus, Chriſtus debuit eſſe θεάνθρωπος &c. in hiſce igitur non habes quo labefactes Paradoxi ſententiam: dices autem illas veritates ſupernaturales eſſe ac proinde p. 193. exceptas, quin p. 152, *omnes Scripturæ veritates ad rationis tribunal revocari poſſe* pernegas: hinc p. 216. hæc verba, *id quæritur an Theologicæ veritatis judex ſedere Philoſophia poſſit, illud autem negant nobiſcum omnes Theologi*: ſed ſtatim regeret Paradoxus, te faſſum eſſe, ſi meras veritates contineret, abſque addita, naturalium à ſupernaturalibus, diſtinctione, nihil eſſe quo labefactari queat, ſententia Paradoxi, illa ſaltem parte, qua reliquum omne quod ſtatuit ſtabilitur, ac proinde, circa veritates omnes, rationis admittendum arbitrium: deinde te dixiſſe p. 67. *omnia nihilo excepto rationis ad examen pertinere*, ſicque iſtam limitationem præpoſteram eſſe & reliquis contradicentem: præterquam quod hactenus neſcias, an aliquid ſit *factum*, an *veritas*, ſi veritas, an naturalis an ſupernaturalis: neque etiam id ſcire poſſis, niſi poſt peractam Scripturæ interpretationem, quæ autem ſi peragi poſſit ac debeat, antequam rationis arbitrium uſu venire queat, rationi hinc normalem uſum nullum, in Scripturæ explicatione, competere, contra te concludo, quod erat concludendum. At dubium omne tollit, & dicis gratia quædam excipi, non ſerio, egregie probant verba quæ exſtant pag. 70. *Quia præ cæteris ſcriptis omnibus ea eſt ſingularis Scriptorum Divinorum conſtitutio, ut meram contineant veritatem,* NB. *de qua judicare quoque poteſt ratio, & ita* NB. *definire ſæpe an aliquis ſenſus conveniat verbis nec ne conveniat.* Viden' talem ſcheſin cuncta induunt, qua rationis ſubire judicium juxta te queant, quorſum igitur iſtæ evaſoriæ imo contradictoriæ exceptiones

ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

ac limitationes? Tandem *Theologicæ veritatis judex ſedere ratio non poteſt*, ais, juxta p. 216. at, cum, ante interpretationem peractam, neſcis an Theologicam contineat, hic locus, an aliam communem veritatem, unde hoc decidetur, ut ſciam an hic admittendum ſit, an non admittendum rationis judicium? Sequitur igitur neceſſariò interpretationem Scripturæ, omne rationis normale judicium antecedere; ex Scripturæ enim interpretatione, quid ad rationem exigendum, quid non, demum innoteſcet, at Scripturæ, injurium foret, non fidere, niſi veritas, inde elicita, poſtliminio ad rationis trutinam exigatur, adeo ut antecedaneum rationis de rebus arbitrium, impoſſibile ſit, & ſubſequens, Deo injurium. Taceo jam, quod omnis veritatis cujuſcunque tandem naturæ, in ſe conſiderata, eſſe queat, ratio, hic ſit Theologica; conſideratur enim hic, non in ſe, ſed à Deo dictata, hoc eſt Theologica. *Theologicæ autem veritatis ratio judex ſedere non poteſt* pag. 216. Ergo nullius veritatis Scripturariæ judex ſedere ratio poteſt. Quod erat demonſtrandum. Atque hic author demum enucleatè tandem, de interprete ſcripſit, ac perſpicuè.

2. Dicet autem fortaſſis, quicquid ſit, rationem intelligo illuminatam, at Reſp. 1. Rationem contradiſtingui Spiritui & ut tertium, à Spiritu, ac loquendi uſu, diverſum quid, eam conſideras, ut iſtam illuminatam rationem ego ſic concipere non poſſim. 2. Ratio illa, quam dicis, vel judicat juxta rationis dictamina, vel juxta ea quæ, ſupervenientis ope luminis, innotuerunt: ſi poſterius, illa innotuerunt, vel immediato inſtinctu, (non quatenus immediatum dicitur, quod in ipſam mentem vi quadam penetrat hyperphyſica, ſed quod excludit & removet omne medium morale, neque ad aliud quid exigendum eſt) vel eô, qui, medio morali adhibito, menti ſuperveniat; ſi illo, jam enthuſiaſmos doces, ſi hoc, jam ex Scriptura ipſa judicium recipis quod nos volumus: Verum ſi juxta rationis, quæ ex inſitis principiis pro- Except. 2.

fluunt,

fluunt, axiomata judices, ratio illa, licet illuminata ſit in ſe & ſubjectivè, non niſi ex naturali principio tamen judicare cenſenda eſt, quapropter illuminatio iſta, aut non illuminatio, hic nihil ad rem ipſam facit, de qua diſputamus. 3. Idem plane Sociniani excipiunt, neque tamen ſatisfacere eo cenſentur. *Etiam*
Hoornb. L. cit. p. 122. & 101. *Smalcius,* ait Hoornbeekius, *in Præfat.c. Frantzium, non vult rationi judicium de ſacris concedi, niſi illuſtratæ.* Plura ex Brenio, Schlightingio, Crellio, aliiſque videre poterit lector in præcedentibus. 4. Rogo quid intelligas per illuminatam rationem, an illam, quæ lumine infuſo gaudeat? at ſic in Scripturæ intellectione nos illuminari negaſti antea. An illam, cui veritas objectivè clare propoſita eſt? at *ſic ludis,*
Hoornb. L. cit. p. 102. ait Hoornbeekius, *& illuminationem Sp. Sancti quam videris ponere, non credis; aliud enim eſt, objectiva illa credendorum propoſitio, atque oblatio; aliud, ſubjectiva.*

Except. 3. 3. Tertio, ſigillatim ad locum, quem ex pag. 23. citavi, ſaniorem in ſenſum interpretandum, excipiet forte noſter, ſe quidem dicere, *Scripturam rationi quotieſcunque repugnare videtur, commode, in alium ſenſum, & quidem omnino juxta illam rationem explicandam eſſe:* ſed rationem ſe intelligere, quæ fidei analogiæ innixa ſit, adeoque pro Philoſophia non multum facere aut rationis authoritate. Reſpondeo 1. Idem dici de ratione abſolutè, ſine omne limitatione P. 20. *A ratione,* inquit, *quæ petitur regula, ejuſmodi eſt, ut, quod rationi manifeſta contradictione repugnat, nil prorſus cenſeri debeat do-*
Confer. p. 67. &c. *cere Scriptura;* quare hic locus p. 23. iſtam limitationem quamvis admitteret, non tamen alius eſt authoris ſenſus, quam ille quem ſuperius refutavimus. 2. rogo, an non eandem regulam ſibi præfigat, etiam antequam iſta fidei eruta analogia eſt, & in ea eruenda idem valeat, Scripturam commode explicandam, quando &c. 3. *rationi contrarium &c.* ſic loqueris, per rationem autem hic p. 23, intelligis axioma procul omni dubio aliquod, de hoc
autem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

autem quæro, an ſit ex inſitis principiis elicitum, an vero ex ipſa profluens Scriptura, ſi poſterius, jam palpabiliſſimam committis verborum abuſionem, non enim id rationi, ſed Scripturæ, aut fidei analogiæ repugnare dici debet; ſi prius, (ut probabile reddit, quod dixeras antea, te regulam ex ipſa ratione efflorescentem proponere, deinde quod rationem Scripturæ ſoleas contradiſtinguere & fidei) jam deprehenſus in errore es, quem fruſtra, vel millenis exceptionibus, amoliri conaberis.

4. Quartò, maxima cum plauſibilitate nobis objiciet, & dicta, & praxin Reformatorum, in negotio Sacramentario, de quo ſic ſcribit p. 209. *Nam quæ de formula inſtitutionis* Euchariſticæ *profert*, de Paradoxo loquitur, *illa putant Orthodoxi pæne omnes aliquod pati judicium rationis. In iis aliquod arbitrium rationis eſt.* Reſpondeo 1. Vel putas, dum rationis judicium dicis, uſum hic rationis admitti inſtrumentalem vel normalem: ſi illum, jam non erat dicendum *pæne omnes*, ſed, omni abſque limitatione, *omnes*, non *putant*, ſed ſtatuunt Orthodoxi; neque id hujus negotio Euchariſtico ſigillatim, aut præ aliis convenit, quod in omnibus, & circa omnia, ultrò concedunt, imo requirunt Orthodoxi. Deinde, vel intelligis judicium rationis, interpretationem præcedens, vel eam conſequens; ſeu tale, quod ſe habeat, ut norma interpretandi, vel ut argumentum, ex ſuperabundanti, factam interpretationem confirmans; ſi prius jam nullus, ſi poſterius, jam abſque omni limitatione dicere debuiſſes *omnis* ſtatuit Orthodoxus. 2. Hæc ſaltem non eſt veritas naturalis, præter quam, nihil non rationi ſubducendum ſtatuit pag. 216. ubi exertè Philoſophia Theologicæ veritatis judex ſedere non poſſe ſtatuitur, & pag. 193, ubi veritates, eaſque naturales, unicè Philoſophiæ rationiſque docet admittere arbitrium, non alias, hæc autem, ſi veritas ſit, ſaltem naturalis non eſt, adeoque vel ex judicio Wolzogii, hæc materia rationis antecedens

Except. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

& normale non patitur judicium. 3. Imo non eſt veritas, ſed res quædam, à libera Dei voluntate pendens, tales autem, Wolzogius, expreſſis verbis
p. 211. rationis arbitrium non ferre ſcripſit antea. 4. Fatetur *leges interpretandi, ad uſum linguæ exactas, id totum*, quod de Euchariſticæ inſtitutionis formula objicitur, *definire*. Uſum vero loquendi rationi contradiſtinguit, quapropter neceſſariò hic nulla habenda rationis ratio eſt, cum totum verborum uſus expediat, vel ipſo Wolzogio teſte. 5. Toto cœlo aberrat in recenſenda Reformatorum ſententia, nihil minus illi, quam *arbitrium* rationis, aut *judicium* antecedaneum, hic admittunt, interpræstaturo, ut juxta eam interpretationem dirigat, præfigendum. Quin & in ipſa illa materia, præter uſum inſtrumentalem, rationi à Reformatis nihil
Coccejus Præfat. in Epiſt. ad Eph. pag. 36 & ſeq. tribui, fuſè probat alicubi Coccejus, *quid cogit*, inquit, *ut plus quam inſtrumentum ſit ratio?* quod multum abeſt ab arbitrio, à judicio antecedaneo, & normali. *Nos non exigimus*, ait Crocius, *myſterium* NB. *ad rationis ſenſum; ſed figmentum humanum tum Scripturæ auctoritate, tum argumentis à natura petitis, Scripturæ duce expugnamus. Non indulgere debemus rationi in re fidei, nec ejus decempeda metiri, ſed captivum ducere omnem intellectum ad obediendum Chriſto* 1. *Cor.* x. 5. *Hunnius rectè monet, myſterium regni cœleſtis accommodare nos non debere humanæ Philoſophiæ regulis, aut ex captu noſtro metiri. Sed* NB *vehementer fallit, fallitur que, dum id facere Sacramentarios clamat, ſic homo maledicus orthodoxos nominat. Ubi enim illi metiuntur captu ſuo myſteria? Hinc igitur cum argumentamur, non à ratione, ſed à myſterio argumentum, ducimus. Poſt argumenta à natura veri corporis petita, cur non æque valeant adverſus commentum ubiquitatis, quam adverſus phantaſma Marcionis?* Viden' deciſio ex rebus fidei, ſuperaddita interea ex ratione deſumta probatione. Multum iſta à Wolzogiano arbitrio differunt, conceſſoque, in interpretatione Scripturæ,

Crocius in 1. ad Timoth. cap. iij. Part. 11. loc. Doct. loc. vj. p. 147. a ad Eph. Cap. iij. Part. 1. Loco vij. §. 1.

ante-

antecedaneo ac normali judicio. Hinc Zanchius, hac in re, Pontificiis & Lutheranis fidei analogiam & Scripturæ collationem neglectam exprobat; nulla rationis facta mentione, idque eo in loco, quo vel maxime ejus meminiſſe debuerat. Quin Hoornbeekius, ut Socinianiſmi inſigne ſpecimen, ex Theophilo Nicol. profert locum, quo rationis judicium antecedens admittit in explicatione inſtitutionis Euchariſticæ.

Zanch. Op. Tom. viii. P. 423. & 421.

Loc. Cit. P. 93.

Ego igitur ſic ſtatuo, nunquam Scripturæ dicta ad rationis normam exigenda, eo quo dictum eſt ſenſu, verum è contra, *humanam ſapientiam omnem ad Sacræ Scripturæ regulam & præſcriptum exigendam eſſe* atque examinandam; ut recte docet Confeſſio Gallicana Artic. V. Regula autem illius eſſe non poteſt, ad quam, tanquam regulam, exigi ipſa debet. Neque *juriſdictionem* aut *imperium* (quibus terminis id quod rationi adſcribit exprimit P. 69.) exercere, in eam, cui ſubjicienda eſt.

Videri nunc poſſem officio meo functus, & præſtitiſſe quod promiſſeram. Wolzogii quippe diſſenſum à Reformatis palam feci, & detectum refutavi. Reformatorum ſententiam probavi & vindicavi. Verum Epilogi loco brevem ſenſus Wolzogiani ideam lectori conſpiciendam dare conſultum duxi, quo ſic, collectis iis, quæ hinc inde diſperſa apparent, unico obtutu, quid de ejus ſententia ſtatuendum ſit, lectori pateat. Poſtquam tranſigere cum Philopſophia, ſeu ratione, ſibi propoſuerat, omnem illi, & in omnia, quæ Scripturæ interpretationem ſpectant, *juriſdictionem & imperium* derogare abſurdum judicanti, limites ponere atque terminos, hujus juriſdictionis, neceſſe fuit. Præter inſtrumentalem uſum, ad quem unice & libentiſſime in Scripturarum interpretatione rationem admittunt noſtri, alium normalem agnoverat Wolzogen, quo *dux* ſit, non ſolum *miniſtra*, *ratio*, quo *imperium*, *juriſdictio*, *deciſio* ſæpe illi conveniat, ut Scriptura, ex ejus dictamine, ſubinde interpre-

Brevis ſentent. Wolzog. Idea.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

tanda veniat, & omnino ſecundum illam. Res autem erant non exiguo numero, quas ferre iſtud imperium vix poſſe ſerò deprehendebat, hinc, maxima cum ſedulitate, eas diſpeſcuit, diviſit, & rationi ſuas partes injunxit, quas ultra non progrederetur. Voluit autem dividere quod Deus conjunxerat, & partim rationi dare quod in univerſum arbitrio Dei, in verbo ſuo, verbum luculentiſſime explicanti, relinquendum fuit. Videbimus igitur quid rationis arbitrio concedat & juriſdictioni, quidque ei ſubducat, cui ut inſtrumento *nihil*, ut normæ, aut juxta effata ſua, pro juriſdictione judicanti, ducenti, arbitranti judici, *omnia* ſubtrahenda erant & ſubducenda. Sic autem partitus eſt operas ut admiſſæ rationis juriſdictioni limites figeret.

1. Quid Rationi eximat.

1. Eximit rationis imperio hæc ſequentia, breviter ea ſolummodo enarrabimus ut faciliori via totum negotium percipiatur.

1. Quicquid non eſt veritas, axioma quoddam intelligit, ſic p. 143. & 144. *Infinita ſunt in Scriptura quæ ad quæſtionem facti ſunt referenda, quorum cum nulla ſint propriè dictæ veritates, nec erit ulla ſecundum noſtrum Exercitatorem Interpretatio: quæ nulla veritate comprehenduntur, in iſtis à ratione ſua deſtituitur.* Quæ ſi enumerata velis, huc *Omnia quæ à mera Dei voluntate pendent, & non fundata in ejus natura ſunt*, ſic p. 144. *Quæ ſunt arbitrii divini*, ibidem. Hiſtoriæ. Prophetiæ. Præcepta poſitiva. Cæremoniæ. Opus creationis. Promiſſa. Quam benè aut malè hæc non veritates dici debeant, nunc non diſputo, oſtendo quid rationis juriſdictioni eximat, ac imperio.

p. 192.

2. Imo & aliquas veritates, *omnes veritates Scripturæ ad rationis tribunal revocari poſſe, id vero pernegamus.* Excipit autem veritates, quæ ſint Theologicæ, *id quæritur*, inquit, *an Theologicæ veritatis judex ſedere Philoſophia ſeu ratio poſsit? illud autem negant nobiſcum omnes Theologi.* Confer 221. Sic ſatis

p. 152.

p. 216.

ſatis tuto rationem admitti, ad judicium proferendum, putat, iſta modo excipiantur. Non advertens, ſemper diſputari poſſe, nunquam vero definiri, niſi jam facta interpetatione, quid veritas ſit, quidque veritas Theologica. Sic in tricas ſeſe & infinitum rixandi gurgitem immittit, imprudentiſſimus cauſæ publicæ defenſor. Tu dices *factum* eſſe, alter *veritatem*; tu veritatem Theologicam, ille Philoſophicam, finis autem hujus litis nullus erit, donec peracta fuerit interpretatio, qua mediante demum, cujus naturæ res hoc aut illo loco tradatur, ſciri poteſt: at ſciri hoc in anteceſſum debet, ut, an rationis in interpretatione hujus loci arbitrium admittendum ſit, nec ne, certus evadam, verum ſciri in anteceſſum non poteſt, en tricas, en nodos inextricabiles!

2. Videndum nunc, quid rationi ſubjiciat, ejuſque juriſdictionis, judicii, ductus, arbitriique obnoxium faciat, & quouſque. Miram hic offendet lector, & intricatiſſimam, imo ſibi adverſam ſæpe perplexitatem. Jam largitur, jam negat, confuſa rerum verborumque ſerie ſua complexus. 2. Quid Rationi ſubjiciat.

1. Concedit rationi ſeu Philoſophiæ, ut omnia ad amuſſim ſuam exigat & expendat, antequam hoc aut illud Scripturæ ineſſe, pro certo aſſeratur. *Sic* pag. 67. *Dux eſt ſæpe ratio: primo ut omnia, nihil enim prorſus excipio, ut omnia, cujuſcunque generis ſint, revocet ad examen*, idque ante factam Scripturæ interpretationem, & ut ea felicius ſuccedat, quem in finem, *omnino juxta iſtam rationem*, explicanda Scriptura eſt, quando nimirum, hæc illi p. 68. contradicere videtur, *videatque*, ſic ſonant ſequentia, *an quicquam eorum quæ putamus ineſſe Scripturis ſit manifeſtæ rationi contrarium. Cujuſmodi ſi quid deprehendatur, affirmate licet pronunciare, Scripturarum hanc mentem non eſſe, quin commodè erit explicanda Scriptura, & omnino ſecundum iſtam rationem.* Idem revera quod volunt Sociniani, neque enim quicquam ultra poſcent, ut antehac vidimus, idem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

quod, ut ſententiæ Paradoxæ ſummam, præcipuè carpendum judicavit p. 151. 152. 162. At ſic actum de pleriſque Chriſtianæ fidei myſteriis erit, quæ, cum magnam partem rationi adverſa appareant, non facile putabuntur ineſſe Scripturis, ſed omnem, quo ea rejiciat, evadendi anſam, commodiores explicationes affatim obtrudendo, captabit & excogitabit temeraria ratio. Videatur certum, ut revera eſt, Deum genuiſſe ab æterno filium, dari tres perſonas divinas & unam tantum eſſentiam, Chriſtum Deum eſſe & hominem, finitum & infinitum, moriendo viciſſe mortem &c. ratio interim huic contradicat quantum poſſit, utri cedes potius rationi an Scripturæ? rationem claram & manifeſtam clamet hæreticus, *commodam* dari, ſaltem commodiorem, explicationem, & rationi magis congruam; quid regeres, quomodo te expedies Wolzogi? dices myſterium eſſe, rationi hic judicium non deferendum: at nondum id conſtare dicet hæreticus, commodam dari explicationem prætendet: parallelos locos ſi adferas, iterum tibi rationem objiciet, commodamque juxta eam, interpretationem. Et profectò, ſi ratio, ut norma, prius conſulenda veniat, nunquam animos adiges ut credant, quæ rationem niſi captives, credi non poſſunt. *Nam plerique homines indulgemus noſtris cogitationibus & quærimus concinnas opiniones*, ait Johannes à Laſco, *Id commune malum eſt univerſæ humanæ naturæ. Sed repugnare diſcamus.* Fruſtra ſaltem antea rationis limites poſuiſti, quam nunc in omnibus admittendam cenſes.

(Epiſt. Clar. Vir. à Gabbema edit. Centur. iii. N. 1.)

2. Ad removendos falſos ſenſus rationem ſeu Philoſophiam ſemper adhibendam, ejuſque determinationi ſtandum omnino eſſe. *Rationem depellere errorem & falſum ſenſum removere ſtatuit Paradoxus*, (p. 159.) *Probè*, ſubdit noſter, *hæc omnia. De hoc primo munere Interpretis, quod in detegendo errore verſatur*, (p. 161.) *ipſe ſatis vidit Exercitator, non magnam ſibi litem motum iri.* Rurſus omne largitur Socinianis quod

vo-

volunt: ſufficit ipſis, modo ſenſus ad amuſſim rationis exigere & falſos rejicere ipſis detur. *Hoc magis premunt Sociniani*, ait Hoornbeekius, præ illo, quod ad eruendum verum ſenſum neceſſe eſt; maxime *hoc* urgere dicit, ut ad removendum falſum ſenſum admittatur ratio, in eo autem ſibi ultro adſtipulantem invenient Wolzogium: nec mirum eſt, quoniam in negativis, hoc eſt, in removendis iis, quæ nos vera eſſe contendinus, tantum non unicè verſantur. Nobis adverſus Socinianos ſemper fere probantis incumbunt partes, illis igitur, falſos ſenſus removiſſe, quicquid nos ex Scriptura probare volumus, ſatis erit. Hoc autem rationi committendum docet Wolzogius. Sic patet quam ſerio rationem in multis non admittendam eſſe ſtatuat, dum in omnibus ei ſuffragium, uti loquuntur, ſeu votum deferat negativum. Loc. Cit. p. 115.

3. Videtur omnes veritates rationis judicio ſubinde ſubjicere, hinc p. 192. exerte aſſerit, ſi meram veritatem contineret Scriptura, ſe non multum adverſario reluctaturum. p. 192.

4. Imo palam, totum quod in Scriptura eſt, expreſſis verbis, rationis ſubjicit arbitrio, etenim p. 70. *meram veritatem Scripturam continere* docet, *de qua*, ſic pergit, *judicare quoque poteſt ratio.* Tota igitur Scriptura rationi ejuſque arbitrio ſubjacet, *ut definire ſæpe ratio poſſit an aliquis ſenſus verbis conveniat nec ne conveniat.* Atque ſic tandem placidiſſime vivent, qui pugnare videbantur, & idem revera ſentiunt, quantumvis in ſpeciem differant, Wolzogius & Paradoxus. Nacta tandem defenſorem eſt, de quo gloriari liceat, Eccleſia Reformata. Ego coronidis loco hoc auſſim dicere. 1. Wolzogium longa & perplexa, de tribus iſtis, ad interpretationem Scripturæ pertinentibus, Spiritu, ratione, ac verborum uſu, diſſertatione, ne ſemel quidem quæſtionis ſcopum, aut Reformatorum ſententiam attigiſſe, multo minus explicaſſe, prout debuerat, ac defendiſſe. 2. Multis referta erroribus eſſe, ea quæ

 ſcripſit

ſcripſit de ſingulis. Poſterius paſſim priori, prius poſterioribus libris probatum dedimus. Sententia Reformatorum eſt, non rationis dictamina ſeu Philoſophiam, non hominum placita aut deciſiones, non uſum loquendi, aut Spiritum Sanctum, ſed Scripturam ſuæ interpretationis unicam normam eſſe & amuſſim. Non tamen aut uſum loquendi, aut rationem, aut Spiritum, in interpretando, ſpernunt, ſed admittunt, ſed requirunt; at longe à Wolzogio diverſo ſenſu, non normæ inſtar aut regulæ, quæ unice quærenda Paradoxo erat, Wolzogio, & mihi, in hac diſceptatione, ſed uſum verborum, ut à parte objecti, in ipſa Scriptura, ut ſic loquar, præſuppoſitum, idque tam neceſſariò, ut Scriptura Scriptura eſſe nequeat, niſi ex uſu loquendi ſcripta comperiatur, quo mediante ultra verbalem tamen interpretationem ſeu verſionem vix pertingat lector, hic autem realem quærimus: Spiritum Sanctum quod attinet, cum ad aptitudinem, aut potius aptificationem ſubjecti, ſit venia verbo, requirunt Reformati, quando autem norma quæritur interpretandi, non niſi ab Enthuſiaſtis, aut ignorantibus, ille obtrudi poterit, uti ratio, ultra inſtrumentalem uſum, non admittitur, niſi à Socinianis. Uſus præſupponitur, Spiritus ſubjectum format, & aptum reddit, dum ratio inſtrumenti vices obit, Scripturâ interim ipſâ manente ſuæ interpretationis norma, & Spiritu ſancto, in ea loquente, controverſiarum judice ſupremo, & infallibili, ſic intelligibiliter ſententiam pronunciante, ut à quibuſvis, in id incumbentibus, pro modulo perceptivitatis, naturaliter à naturalibus, ſpiritualiter à ſpiritualibus percipi queat, atque intelligi.

Errata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Errata aliquot Typogr. graviora ſic corrigat Lector, eaque ut & plura alia Authoris à prælo abſentiæ imputet.

LIbro I. Pag.4.l.17. leg.*veram*. p.13.l.9. poſt enim, adde *non*.
p.29.l.21. leg. *injurios*. p.30.l.15.. poſt magis, adde, *vel minus*.
p.57.l.9.l.*adhiberi*. p.59.l.2. poſt ego adde *illam*. p.86.l.15. pro *non*
lege *nos*. l.34. pro *tum* lege *tam*. p.98.l.23. lege *allegandi*. p.100.
l.5. lege *qui*, ante *novit*. p.104.l.23.l.*mixtæ*. p.111.l.20.l.*conſtituta*.
l.*faciens*. p.112.l.20.l.*ipſo*.

Libr. II. p.8.l.30. lege. *Res ipſa talis eſſe debet ut cognoſci poſſit;
mens oculuſque ita affecti ut cognoſcere poſſint*. p.10.l.15.l.*nos*. p.16.
l.15.l.*vicerint*. p.17.l.7. pro *vi* l.*ut*. p.23.l.8.l.*illam*. p.24.l.28.
l.*videatur*. p.25.l.30.l.*utrum*. p.28 l.15. lege *ductu, & illuminatione*.
p.30.l.7. lege *dum*. p.40.l.23. ante non lege *quod*. p.48. parentheſis
lin.11. ponatur poſt Sp. p.52.l.9. pro P.l.p. p.65.l.1.l.*Spiritus*. *im-
plorant*. p.66.l.27.l.*ſentiam*. p.72.l.28.l.*illuminante*. p.73.l.ult.
l.*acquiſiverint*. p.74.l.24.l.*Lutherum*. p.78.l.8.l.*videntur*. p.81.l.29.
ante *veræ*, pone *garriat*. p.91.l.30.l.*largiter*. p.98.l.28.l.*doceri*.
p.99.l.25.l.*occœcati*. p.106.l.18.l.*toto cœlo eos à te*. p.107.l.34.l.*ſta-
tus*. p.113.l.1. poſt frigus l.*Quis*. p.116.l.24.l.*non exerit*. p.128.
l.30. pro *propriam* lege *affectatam*. p.132.l.11.l.*& ſunt*. p.133.
l.15.l.*pugnat*.

Libr. III. p.2. pro *hujus*, lege *libri ſecundi*. p.27.l. l.*excogi-
tare*. p.28.l.4. poſt continere adde *doceamus*. p.30.l.37. poſt *&*
adde *de*. p.31.l.22.l.*audiendam*. p.32.l.13 lege *impetrandam* pro
interpr. p.33.l.11. dele *in*. p.34.l.3.l.*lætaque*. p.38.l.32. ante
omne l.*dices*. p.42.l.19.l.*eas*. p.44.l.3.l.*quam*. p.48.l.35.l.*nor-
mali*. p.50.l.4.l.ea. p.59.l.12.l.*interpretatione*. p.61.l.18.*admit-
tere*. p.63.l.10. pro *non*.l.*eâ*, p.67.l.33.*ſed* pro *ſeu*. p.71.l.13.
l.*quem*. p.95.l.22.*huic*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7

L 16
06

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
233 G 7